1596

Iacobus de Rhatt.
Licentiatus
Medicinæ.

Медичні спостереження за дивовижними явищами. Про статеві органи обох статей, про вагітність, хвороби, причини захворювання, прояви, лікування. Приклади та історичні довідки.
1596

32

OBSERVATIONVM

MEDICARVM, RARARVM, NOVARVM, ADMIRABILIVM ET MONSTROSARVM;

LIBER QVARTVS,

DE PARTIBVS GENITALIbus utriusque sexûs;

IN QVO, QVÆ MEDICI DOCTISSIMI, ET EXERCITATISSIMI, ABDITA, VULGO incognita, gravia, periculosaq;, in harum partium Conformationibus, earundemq; morborum Causis, Signis, Eventibus, & Curationibus accidere cõpererunt, Exemplis ut plurimum & Historijs proposita exhibentur.

Studio atq; opera

IOAN. SCHENCKII A GRAFENBERG, APVD Friburgum Brisgoiorum Medici, multa & varia lectione conquisita.

Continentur praterea, Illustrium ætatis nostræ Medicorũ ἀνέκδοτα complura, & nunquam publicata Exempla memorabilia, quorum Autores singulari Catalogo traduntur.

FRIBVRGI BRISGOIÆ,
Ex Officina MARTINI BÔCKLERI,
Anno cIↃ. IↃ. XCVI.

61(09)
S-31
1596

Med
Mb
278

VIRIS

NOBILIBVS;

Et

ILLVSTRIBVS;

JOANNI VELSERO,

Et

OCTAVIANO SECVNDO FVGGERO,

KIRCHBERGAE ET VVEISSENHORNI Domino;

S. CAES. MAIEST. CONSILIARIJS Intimis,

AVG. VIND. II. VIRIS PRAEF,

VII. VIRVMQVE COLLEGIO,

Ac

RELIQVO AMPLISSIMO SENATORIO ordini,

In testificationem suæ erga eundem Observantiæ

IOAN. SCHENCKIVS A GRAFENBERG, MEDICVS,

Hunc QVARTVM Observationum suarum Librum Dedicat.

Atlantici Galli Pegasus

AD DOCTISSIMI HVIVS SCHENCKIANI OPERIS LECTORES.

VT noctvrna qvies reddat quæ vota diur-
Voluerũt sensus, experto credite, dicã; (ni
Morborũ facies, herbarũ nomina mille
Perdidicit, summam evasit sapientiæ ad arcem,
Mortales veniens curas extendit in ævum,
Promeruit gratos per dædala scripta nepotes,
Contraxit distracta, recluſit clausa, retexit
Tecta, nova & rara & mira & monstrosa medẽti
Exhibuit sectæ, Brisgauum Schenckius axem
Sortitus, quo se toti communicet orbi.
Huic nonnulla viro poscenti carmina, crebris
Ingenij lita luminibus donare volebam
Nec respondebat conatus: idonea deërant
Verba rei; haud deerat verbis res ipsa perinde,
Quærebam, instabam, urgebamq;, dieq; peribam
Continuo miser: oppressit nox denig;: somno
Declinavi oculos: ad partes spectra venire
Cœperunt, mentemq; etiam turbare quietam.

Ales

Ales equus, Graiûm celebratus Pegasus ore
Propter strata mei est visus consistere lecti.
Acceptum refero quòd sit consistere visus
Docte Maro tibi, Pegaseas tu dirigis alas.
Aeneam major nam te quis nuncius ornat?
Inventa est via (quaerenda est, ne dixeris ultra)
Qua te tollis humo (non, qua te tollere possis)
Iamque virûm volitas (potes haud volitare) per
ora.
Argutum commendat equos caput, iste vigebat
Arguto capite, atq; omnino epigrammatis artem
Signabat, cujus peperit Verona Catullum
Artificem, Romam tellus ac misit Ibera
Scriptorem. Nervis contenta atque ardua cervix
Plectra pati dignabatur, lyriciq; poëtis
Insertum, atq; adeò ferientem sidera Flaccum.
Qua duplex agitur per lumbos spina Tibullo
Sessori parebat, amatoriq; Corinnae,
Et cui de nihilo consuevit maxima nasci
Historia. Ad veram, qui nos adhibes rationem
Cor sapiens laudis thyrso percusse Lucreti,
Luxuriare toris animosum pectus honesto
Latabaris equo. Brevem amabat Persius alvum
Tota minùs Marsi ut memoretur Amazonis, unus
Quàm Persî liber, effecit largitor acuti
Ingenij venter. Iuvenalem adjungere cogor
Pegasea saturatum alvo, graviterq; rogantem

Semper ego auditor tantum? Calcaria nulla
Ardebat, Senecæ est jussu glomerareq; jussu.
Non aliter Divûm regina Sororq; Tonantis
Incedit: Plautus sed enim propiora pedestri
Sermoni meditans, lectosq; Terentius Afer
Ilignis pedibus faciens in Sole, represso
Incessus fastu, captabant. PLAVDITE simplex
Prosubigi terram pedibus, plaudique jubebant
In densos humeris Musas producere catus
Inferni & raptoris equos sub luminis auras
Edere quidam ausus, numero claudi abnegat apto
Gorgonei comebatur juba densa caballi
Huic agili dextrâ. Caudam mulcebat, agresti
Iucundos calamo ducens Calpurnius annos
Et socium à Nemesi claroq; vocabat Olympo.
Deluso tot imaginibus spumantia frena
Mandari, tradi, credi mihi maximo amore
Majore ac studio properabam. Heu liber habenis
Frenorumq; exors medium aëra & æthera summũ
Tranârat, paribusq; alis superaverat ales.
Spectra fugã dederant, tristis manси, artubus agrũ
Defluxit somnus, brevis atq; ignavia vitæ.
Quando autem vatum pleno bona copia cornu
Meditare inopem verborum debuit, atq;
Ditavit nihilo magis: exantlâsse legendo
Herculeos quoniam videor sine fruge labores:
Constitui excusum spiranti molliter ar

Pegasum ei libro vobis quem Schenckius offert
Quartum, Lectores, præponere (si verit auctor)
Emptores libri bella invitabit imago.
Ridetis. Valeant æris ludibria sculpti;
Carmina præfigam minimè mala. Rursus apertum
Solvimini in risum, male nec censetis, inepta
Prafigam; mala præfigam, censetis ineptè;
Sum minimè malus. Expressit studiosa voluntas
Carmina ab indocto. Noscatur Schenkius ex se;
Non ex me noscatur. Erant præconia scripto
Schenckÿ, adhuc clamet livor, facienda, refellam.
Vendibili scripto frustra præconia fiunt.

GANNIENS MVL-
CES ME.

CLEMENS MAGINVS
per Anagramma.

Τῦ αὐτῦ πρὸς τὸν πολύϊστορα καὶ πολύπειρον Σχέγκιον.

Τὰς βίβλους τὰς σὰς κριτῶν ἐν γόνασι κεῖσθαι
Λαμπρὸν ἀκεστορίης Σχέγκιε ἴσι φάος.
Καὶ πῶς ὁ δόλιος Φοῖβος ψήφοισι κέρωνον,
Ἐνθέμενος ψυχὴν πρώματι Ἱππολύτου;
Ἔξοχος δ' ἔσαι ὅτι Ἱππόλυτόν σύ ποτ' ἔγνως.
Σκιδνάμεν ἱητρῶν πεῖραι, ὁ Ἱππόλυτος.

ΤΕΤΛΑΘΙ ΔΗ ΚΡΑΔΙΗ.

CATALOGVS

AVTORVM,

Ex quorum scriptis publicatis Observationes Libri Quarti congessimus.

MEDICI

GRAECI.

Hippocrates
Diocles
Aristoteles
Theophrastus
Dioscorides
Archigenes
Athenæus
Aretæus Cappadox
Priscianus
Cleopatra
Cl. Galenus
Oribasius
Aetius
Paulus Aegineta
Καισαρίδων author.

LATINI VETERES.

Cornelius Celsus,
Hipp. latinus
Cælius Aurelianus
sive Soranus latinus
C. Plinius
Marcellus.

ARA-

Petrus Bayrus Platearius
Theoph. Paracelſus
Valeſcus de Tharanta.

ARABES.

Rhaſis
Avenzoar
Albucaſis
Avicenna
Hali Rhodoham

LATINO BARBARI.

Ant. Guaynerius
Bernhardus Gordonius
Frãciſcus Pedemõtanus
Gentilis
Iacob. Carpus
Iacob. de Forolivio.
Ioan. Arculanus
Ioan. de Tornamira
Ioan. Mich. Savonarola
Marcus Gattinaria
Marſilius Patavus
Matth. de Gradi
Nicol. Florentinus

RECENTIORES.

Achilles P. Gaſſarus
Adrianus Alemannus
Aegyd. de Hertoghe
Alb. Bottonus
Alex. Benedictus
Alex. T. Petronius
Amatus Luſitanus
Ambr. Pareus
And. Cæſalpinus
Andr. Laurentius
Andr. Veſalius
Ant. Benivenius
Ant. Chalmeteus
Ant. Maria Betta
Ant. Mizaldus
Ant. M. Braſavola
Ant. Valetius

Apoll.

Apoll. Menabenus
Bald. Ronſeus
Carol. Cluſius
Carolus Stephanus
Caſp. Bauhinus
Chriſtoph. à Coſta
Chriſtoph. Encelius
Chriſt. à Vega
Claud. Giardinus
Conſtant. Varolius
Cornel. Geſnerus
Cornel. Gemma
Deſid. Iacotius
Dominicus Lampronius
Dominic. Leonus
Donat. Ant. ab Altomari
Ferdinandus Mena
Ferrandus Senior
Franciſc. Rouſſetus
Franciſc. Saguinerius
Franciſc. Valleriola
Franciſc. Valleſius
Gabriel Fallopius
Garzias ab Orto
Georg. Bertinus
Georg Melichius
Georg. Pictorius
Guil. Guazenbenus
Guil. Rondeletius
Hier. Accorromb. Eugubius
Hier. Cardanus
Hier. Fabricius
Hier. Fracaſtorius
Hier. Mercurialis
Hier. Montuus
Hier. Reuſnerus
Horat. Augenius
Iacob. Dalechãpius
Iacob. Dovynetus
Iacob. Horſtius
Iacob. Olivarius
Iacob. Sylvius
Iacob. Rûeff
Ioach. Camerarius
Ioan. Albofius
Ioan. Bapt. Codrõchius
Ioan. Bapt. Montanus

Ioan.

Ioan. Bauhinus
Ioan. Boscius
Ioan. Bruyerinus
Ioan. Fernelius
Ioan. G. Anderna-
cus
Ioan. Heurinus
Ioan. Lalamantius
Ioan. Langius
Ioannes Marquar-
dus
Ioannes M. Pascha-
lius
Ioan. Nefius
Ioan. Riolanus
Ioan. Vrsinus
Ioan. VVierus
Iodoc. Lommius
Iodoc. VVillichius
Iulius Alexandri-
nus
Iulius Cæs. Aran-
tius
Iul. Cæs. Scaliger
Laur. Ioubertus
Leonh. Fuchsius
Levinus Lemnius
Lucillus Philalthæus
Lud. Bonaciolus
Lud. Duretus
Lud. Mercatus
Marcellus Dona-
tus
Marsil. Cagnatus
Marsil. Ficinus
Marsil. Acakia
Maur. Cordæus
Matth. Cornax
Matth. Lobelius
Nicol. Massa
Nicol. Monardes
Nicol. Piso
Petr. And. Matthio-
lus
Petr. Forestus
Petr. Paul. Pereda
Petr. Pœna
Petr. Salius
Petr. Toletus
Philippus Gærin-
gus
Prosper Alpinus

Real-

Realdus Colũbus
Reinerus Solenander
Remb. Dodoneus
Renatus Tioneau
Salamon Albertus
Scholiographi Galeni
Scholiographi Hollerij
Simon Provanchecherius
Symph. Campegius
Thaddæus Dunus
Thomas á Veiga
Thomas Eraſtus
Thomas Mouffetus
Victor Trincavella
Vidus Vidius Iunior
Volh. Coiter

MIXTI.

Abbas
Afranius
Agellius
Alanus Copus
Albert. Crantzius
Alb. Magnus
Aloyſius
Andr. Dudithius
Andr. Pet. Peruſinus
Antigonus
Ant. Campanus
Apian. Alexandrinus
Arrian. Iurecoſſ.
Aventinus
D. Auguſtinus
Bernh. Scardoneus
Botruffus
Bruſchius
Cæcilius
Cæl. Rhodig.
Chronicon Antonini
Conr. Lycoſthenes
Cromerus
Cuſpinianus
Diodorus
Euſebius
Eutropius

Ful-

Fulgosus
Guido Bituricensis
Heliodorus
Herodotus
Hostiensis
Iacob. Capellus
Ianſonius
Ioan. Bodinus
Ioan Pontanus
Iul. Obſequens
Iul. Pollux
Lampridius
Lucianus
Lud. Vives
Maffeus
Martialis
D. Matthæus
Natalis Comes
Paul. Diaconus
Philoſtratus
Phlegon. Trallianus
Plautus
Plutarchus
Pamponius Lętus
Poſidonius
Raphael Volaterranus
Reinerus Reineccius
Rupertus Gaguinus
Sabellicus
Sebaſt. Verro
Sigebertus
Sillius Italicus
Solinus
Strabo
Suidas
Tertullianus
Thom. Fazellus
Titus Livius
Traianus
Trogus Pompeius
Valer. Maximus
Vetus Teſtamentum
P. Vergilius
Vitruvius
Vlpian. Iurecoſſ.

CATA-

CATALOGVS

AVTORVM,

Qui anecdota Exempla ad nos miserunt, & aliquid ad hunc Quartum Librum contulerunt.

Adolphus Occo
Casp. Bauhinus
Casp. VVolphius
Conr. Gesnerus
Christoph. Rumbaum
Cyriac. Lucius
Esaias Meychsnerus
Felix Platerus
Francisc. Tidicæus
Georg. Garnerus
Georg. Palma
Hercules Saxonia
Hier. Faber
Iacob. Horstius
Iacob. Oethæus
Iacob. Suterus
Ioach. Camerarius

Ioan. Aicholtzius
Ioan. Bauhinus
Ioan. Cos. Holtzachius
Ioan. Culmannus
Ioan. Dryander
Ioan. Faber
Ioan. Francus Hildesius
Ioan. Hessus
Ioan. Iacob. VVeckerus
Ioan. Iess. à Iessen
Ioan. Kentmannus
Ioan. Knoblochius
Ioan. Posthius
Ioan. Schenckius
Laur. Scholzius
Martinus Holtzapffel
Melch. Sebitzius
Oswaldus Gabelchoverus
Thobias Cneulinus
Valentinus Hennerus.

OBSER-

OBSERVATIONVM.

MEDICARVM, RARARVM, NOVARVM, ADMIRABILIVM ET MONSTROSARVM,

LIBER QVARTVS.

DE PARTIBVS GENERATIONI dicatis.

PRÆFATIO.

AD Dei OPT. MAX. *imaginem creatus homo, divinorum atq; caducorum particeps: Anima immortali tanquam hospite: Corpore vero caduco atque mortali, velut hospitio constitutus est. Proinde cum materiæ occasione hominem immortalem producere haud licuisset: ad sobolis certe procrea-*

tionem, generuſque humani propagationem, Summus Rerum Opifex, admirandum illud generationis atque educationis ſobolis opus, Marem & Fœminam, pro ſua immenſa ſapientia copulari voluit. Atque in utroque ſexu, genitales partes de quarto loco, ob ſpeciei conſervationem Principes ea ſolertia effinxit atque conſtituit: ut ad ſeminis ſuſceptionem, & concepti fœtus perfectionem, partumque felicem, nulla excogitari aptior poſſet. At cum poſt triſtem primorũ parentum lapſum, divinum hoc generationis opus fœde adeo contaminari & prophanari indies proch dolor, magis magiſq; cõtingat: vix ut verecunde quis de partibus generationi ſervientibus, miſereque morbis afflictis, loqui poſſit. Nos proinde, pro Operis noſtri inſtituti ratione, præter eos, quos plerique alij ſuperiorum ætatum Medici, morbos, de vulgo cognitos, has partes affligentes, annotarunt: vel eam ob cauſam, raros, novos, ἀπίκους alios, & rationem ſæpe omnem excedentes, de recenti obſervatione exhibemus. Idq; eo magis, quo execrabilioribus, adeoq; nobis, qui CHRISTVM *profeſſi ſumus, indigniſſimis, deteſtabilioribuſq;, vagarum, horrenda-*

rendarumque libidinum generibus, inquinati: augusta illa generationis organa, per quæ æternitas quædam humano generi quasi per successionē parta est, conspurcantes; lōge in eo belluinam rabiē superantes, in impurissimū, omnisq; sentinæ & cœni atq; corruptionis putrefactionisq; stabulū quoddam, inexpiabili scelere cōvertimus, insatiabili quidē insania, at longa sæpe nōnunquam cita, certaq; nostra perincie. Vnde fit, ut p penē & uterū, bonos aurib. esto, aliquāndo p anū, alias que alienas partes mingere, & nōnūquā hæc ipsa membra vel tota vel p partes resecare, mutilareq;, cū extrema miseria contingat. Hinc illa nova morborū, maxime vero gallici, soboles: caruculæ in meatu urinario: strāguriæ atq; gonorrhœæ fœdissimæ, aliq; innumerabiles, condigni ejusmodi libidinum fructus. Quæ nobis plereq; omnia, hoc libro, velut in speculo quodam, DEO duce, proponere visum est: ut tandem in nos ipsos descendentes, homines nos, nō bestias esse, cognoscamus: augustumque illud hominis domicilium opificiumque pie & reverenter, ad Corporis Animaq; salutem habere & tractare discamus.

DE GENITALIBVS PARTIBVS IN GENERE.

OBSERVATIO I.

Monstrum bicorpor pubetenus, cætera simplex: Genitalia Genitalibus inserta habens.

INfans natus in Britannia, cujus genitalia genitalibus inserta erant, crura commixta ut in duo redirent: cætera duorum: caput, brachia, venter, atque ex adverso positi, &c. Cardanus lib. 14. ca. 77. de Varietate. De hoc plura alia infra lib. 5.

OBSERVATIO II.

Genitalibus utriusque sexus carens, natus quidam.

VIdi qui natus est, & non habebat neque vulvam, neque priapum, neque testiculos: & erat in forma sua, & in suis moribus secundum assimilationem castrati, & erat ei foramen minimum, ex quo mingebat tantum. Hali Rhodoham Comment. ad lib. 3. Galeni Art. Medicinalis, text. 77.

OB-

OBSERVATIO III.

Hermaphroditi, qui olim Androgyni.

QVibus gemina habere genitalia accidit, alterum maris, alterum fœminę, ijs semper alterum ratum, alterum irritum redditur, cum per alimentum subinde deliteſcat: quoniam præter naturam eſt: agnatum enim eſt modo abſceſſus, nam & abſceſſus abſumunt aliquid nutrimenti, quamvis poſt geniti ſint, & præter naturam. Ariſtoteles lib. 4. cap. 4. de generat. animal.

Gignuntur & utriuſque ſexus quos, Hermaphroditos vocamus, olim Androgynos vocatos, & in prodigijs habitos, nunc vero in delicijs. Plinius lib. 7. cap. 3. Nat. Hiſt.

Supra Naſamonas confineſque illis Machlyas, Androgynos eſſe utriuſque naturæ, inter ſe vicibus coeuntes, Calliphanes tradit. Ariſtoteles adijcit, dextram mammam ijs virilē, lævam muliebrem eſſe. Idem lib. 7. cap. 2.

De Equo & Cane hermaphroditis vide

Mulierum paucis prodigioſa aſſimilatio; ſicut hermaphroditis utriuſque ſexus: quod etiam quadrupedum generi accidiſſe Neronis principatu primum arbitror. Oſtentabat certe hermaphroditas ſubjunctas carpento ſuo equas, in Treverico Galliæ agro repertas: ceu

Cardanus li. 30. cap. 33. de variet.

plane visenda res esset, principem terrarum insidere portentis. Idem lib. 11. cap. 49.

De Cervis Androgynis Langius Epistola 70. to. 1.

Hermaphroditos seu Androgynos vocant etiam διφυεῖς & Ἀνδροθήλυας & Ἀρσενοθήλυας. In maribus id fit tribus modis, cum in perinæo sive inter fœmineo muliebre pudēdum exiguum videtur, cum itidem in scroto, sed nullo excrementi profluvio: cum ibidem exeunte lotio. In Fœminis unico. cum penis supra genitalis fastigium, in clitorio & ima pube prominet. Addunt quidam in maribus, cū supra colis radicem muliebris natura extat: in fœminis, cum penis ad inguina vel in perinæo profertur. Rhodig. cap. 10. 15. & 12. 19. Androgynos vocavit & Pollux concubinos. Dalechampius Annotat. ad cap. 3. lib. 7. Plinij N. H. litera. d.

M. Messala. C. Livio Coss. In umbria semimas duodecim ferme annorum natus, aruspicumque jussu necatus. Iul. Obsequēs l. prodigiorum.

L. Metello. Q. Fabio Maximo Coss. Lunæ Androgynus natus, præcepto aruspicum in mare deportatus. Idem.

P. Africano. C. Fulvio Coss. In Agro Ferētino Androgynus natus & in Flumen deportatus. Idem.

Gn. Do-

Gn.Domitio.C.Fannio Coss. In foro Vessano Androgynus natus, in mare delatus est. Idem.

L.Aurelio. & L.Cæcilio Coss. In agro Romano Androgynus annorum octo inventus, & in mare deportatus.Idem.

L.Cæcilio.L.Aurelio Coss. Saturniæ Androgynus annorum decem inventus, & mari demersus.Idem.

Q.Metello.Tullio Didio Coss.Romæ Androgynus in mare deportatus.Idem.

Cneo Cornelio Lentulo.P.Licinio Coss. Androgynus inventus, & in mare deportatus erat.Idem.

Sinuesse natus infans ambiguo inter marem ac fœminam sexu. Lycosth. lib. prodig. & ostent.p.125.

In Sabinis incertus infans natus masculus an fœmina esset: Alter sexdecim annorum, jam item ambiguo sexu inventus. Idem pag. 136.

Vidi virum qui habebat veretrum & testiculos & vulvam mulieris simul. Haly Rhodoham Comment.ad lib.3. Techn. Gal. Text. 38.

Inter tot admirabilia & rara, quæ in humani corporis fabrica diversis temporibus observavi, nihil admirabilius, nihil rarius

censeo, quam quod de neutra natura diligenter investigavi. Proposito enim mihi androgyno, seu hermaphrodito, subjecto inquam eodem mare & fœmina, superioribus etenim annis fœminam mihi videre contigit, quæ præter vulvam membro quoque virili prædita erat, quod tamen non erat admodum crassum. Quamobrem in ejus anatome generationis vasa accurate admodum perveſtigavi: vasa seminaria testesque considerans, nunquid ulla inter hæc communio & consensus adesset: tãdem hoc comperi, vasa quidem præparantia ab aliarum fœminarum præparantibus vasis non differre: sed deferentia differre. nam bipartita erant, & ex binis quaterna natura genuerat, ex quibus duo, quę etiam majora erãt, ad matricis concavum destinabantur, reliqua duo ad penis radicem, qui glandularum parastatum expers erat. Hoc tam admirabile visu & speculatu erat, quam quod maxime: quo pacto natura prudens sagaxq; locum satis tutum selegerat, per quod vasa hæc ad penem deferri possent: & quemadmodum meatum, qui in ipso est pene, perforarent, qui meatus in alijs tum semini, tum lotio communis existit. hic vero urinæ nihil quicquam opis afferebat: nam instar aliarum mulierum urina exibat. Vterus autem, nec non uteri cervix à cæterarum

terarum fœminarum matrice colloque nihil distabat: sed in testibus discrimẽ erat: nam testes in hac crassiores erant, quam in reliquis mulieribus: sed quoad situm ipsorum nullum discrimen deprehendi. Peni scrotum contiguum non erat, imo vero scroto prorsus carebat, & duobus musculis præditus erat hujus fœminæ penis, non quatuor, ut in maribus perfectis. Præterea penis hujus hermaphroditi tenui pelle integebatur, nullum aderat præputium, sed duo spongiosa corpora, per quæ duæ arteriæ ferebantur, ab illis ortæ, quæ ad vesicam tendebant. Atque hæc sint satis de hermaphrodito, quem mortuum dissecui.

Duos deinde hermaphroditos viventes cõsideravi, in quibus alter mas, fœmina altera erat (dicuntur autem à superabundanti vel mares vel fœminæ, ut vel plantandis hominibus, vel homini suscipiendo sunt aptiores, vel aptiores creduntur) Fœmina erat æthiopica mulier earum, quas Cingaras appellant Longobardi. hæc neq; agere neque pati commode poterat, nam uterque sexus imperfectus illi contigerat suo magno malo: penis namque minimi digiti longitudinem, crassitiemq; non excedebat: vulvæ autem foramen adeo angustum erat, ut minimi digiti apicem vix intromitteret. optabat misera, ut hunc illi penem

evellerem, quippe qui sibi impedimento esse diceret, dum cum viro coire exoptabat. optabat etiam ut vulvæ foramen illi amplificarem, ut viro ferendo idonea esset. Ego vero, qui horum vasorum discrimen intueri sæpius cupiebam, verbis detinui. Non enim sum ausus aggredi illius cupiditati satisfacere, quoniam id absque vitæ discrimine fieri non posse existimabamus.

Hermaphroditus vir, quem vivum summa diligentia inspexi, hoc modo habebat. penis aderat cum scroto, testibusque, sub quibus in perinæo seu tauro, quo loco (inter anum scilicet & testes) fit sectio pro extrahendo vesicæ lapide: foramen quidem perstabat in vulvæ morem, sed non penetrabat. atque hi sunt, quos vidi, Hermaphroditi. Columbus lib. 15 Anatom.

Vidi corpus puellæ annorum circiter octodecim, omnibus, vestitu nimirum, capillis, & habitu universo, puellam præferentem, cum puellis cubantem, & perpetuo, ut ancillam, elocatam. Quæ peste mortua, cum ectimatibus multis & magnis atque lividis, inter alia, reperta est habere duos testiculos amplos, membrum virile amplum: pubescebat pubes pilis nigricantibus: existimabatur puella, quia per parvum

parvum foramen ſubcole, qua parte adhærebat pubi, mingebat. Aperto corpore, nulla matrix viſa eſt, ſimilis alijs maſculis. Videbatur etiam rem cum puellis habuiſſe, præputiũ enim facilime detegebatur, nulla ſordities circa balanum, mammæ nullæ: diſſecto cole, nervi duo ampli porosi: urinarius ductus nullus. Hujus affectus meminit Paulus Ægineta inter Hermaphroditos lib. 6. cap. 69. & ſimilis fere affectus hypoſpadicorum lib. 6. c. 54. D.D. Ioannes Bauhinus de obſervat. proprijs.

Contingit generari quoſdam & aliquouſq; adoleſcere, de quibus inſpicienti non conſtet cujuſnam ſexus ſint. Imperitiores illos utriuſque ſexus eſſe autumant, ſed longe falluntur. Fit enim caſu aliquo, ut ex terroribus ſubitis etiam circa hæc membra ſemen aliquid vitij contrahat. Exempli gratia. Contigit nobis talem offerri infantem, de quo non ſatis conſtaret cujuſnam ſexus eſſet. Prominebant quidem teſticuli, membrum præterea nullum. Infra teſticulos ruptura erat, unde urina efflueret. Sed quia propter virgæ prominentis defectum (nec enim tota aberat, ſed intro cõverſa ad modo dictam rupturam deflectebat) hanc natura urinæ viam dediſſet, non pro fœ-

mella,

mella, nec androgyno, sed pro masculo hunc haberi & baptizari placuit. Fatebatur autem mater se ex viso quodam adeo territâ, ut hinc infanti hoc contractum esse conijceret. Iacob. Rueff. lib. 5. cap. 3. de conceptu & generat. hominis.

Agendum hic de hermophroditis seu Androgymis, quoniam à seminalis materiæ ubertate monstrosi hi fœtus causam suæ generationis & conformationis obtinent. Ita vocantur, qui utroque gignuntur sexu: matre scilicet tantum seminalis materiæ quantum vir effundente. Hinc enim fit, ut dum formatrix facultas, quę simile semper sibi aliquid fingere conatur, in utramque materiam paribus ferme viribus incumbit, faciat ut in eodem corpore uterque visatur sexus. Quanquam sunt qui hermaphroditorum quatuor constituunt differentias. Prima est hermaphroditus mas: qui scilicet virilem sexum perfectum & potentem habet, in perinæo autem exciſam tantum in vulvæ formam rimam, minime tamen perviâ, ut à qua nihil neque urinarij, neque seminalis humoris prodeat. Secunda est hermaphroditus fœmina: quæ scilicet præter vulvam naturaliter constitutam, seminali nempe & menstruo fluxu manantem, supra ad os pectinis membri virilis carneam & cutaceam quandã

simili-

similitudinem habet, arrectionis & profusionis seminis impotentem, scroto & testibus carentem. Tertia est eorum Hermaphroditorũ, qui, etsi utriusque sexus expressam habeant imaginem, sæpius adverso sibi situ respondentem, inefficacem tamen ad generationem & seminis profusionem experiuntur, alterutra ad mictionem tantum conferente. Quarta eorum, qui utroque sexu valent, marisque & fœminæ munera potenter obeunt, quod utriusque genitalia omnibus numeris ad generationem necessarijs completa & perfecta, imo mammam dextram mari, siniſtram fœminæ similem habeũt. Hos Leges sexum quo uti & in quo manere ac vivere velint, eligere jubent, capitali pœna addita, si ab electo semel sexu discessisse deprehendãtur, quidam enim utroque abusi creduntur, & promiscue cum viris & fœminis voluptuati. Signa sunt quibus virilis ne an fœminei sexus potentes sint androgyni, an vero utriusque impotentes dignoscere Medici valent. Apparent hæc in genitalibus præsertim & facie. Nam si vulva sic ad amussim omnibus suis dimensionibus exacta & pervia sit, ut virile membrum admittere possit, si mẽses illac profluant, si promissi sint & tenues ac molles capilli, si denique ad illam totius corporis effœminati mollitiem,

animi

animi quoque fracti & timidi parem conditionem additam habeant, fœminei sexus potentiores,& plane fœminæ judicantur. At si pilis obsitum perinæum & anum habent,quę fere loca mulieribus glabra sunt,si penem cōvenienti magnitudine compositum habent,si valide & alacriter arrigentem, si semine manantem,virilis sexus potentiores & plane viri pronunciātur. Si par sit utriusque genitalis in figura,mole,& efficacia conformatio, utriusque sexus potens, hermaphroditus censetur. Quanquam Aristotelis sententia, hi quibus gemina habere genitalia accidit, alterum maris,alterum fœminæ, ijs semper alterum ratū, alterum irritum redditur,cum per alimentum subinde telidescat, quoniam præter naturam est:agnatum est enim modo abscessus. Nam & abscessus absumunt aliquid nutrimenti, quamvis post geniti sint, & præter naturam. Pareus lib.24.cap.4.

Anno 1519. Tiguri Hermaphroditus vel Androgynos natus est,supra umbilicum egregie formatus : sed circa umbilicum rubeam carnis massam habens : sub qua membrum muliebre,& infra hoc loco convenienti virile quoque.Iac.Rüef.lib.5. cap. 3. de Concept. & generatione hominis.

Anno

Anno Domini 1486. ad Heidelbergam in agri Palatini pago, Rorbachio, gemelli duo nati sunt, dorsibus cohærētes & hermaphroditi ambo. Lycosthenes lib. prodigiorum Anno Domini 1486.

Androgyni sive Hermaphroditi, quibus ex Mercurio ac Venere nomen est inditum opinione Astrologorum ortus causam debent astris, illis præsertim signa bicorpora occupantibus. Porro aliud sentit Avicenna, dum scribit in hanc sententiam, post mensium profluvium ex Venere, die primo ad quintum generatur masculus, deinde ad octavum fœmella, ac ad duodecimum quoque masculus: verum istis nec ratio nec experientia suffragatur. Nā fœtus masculus vel fœmellus ex dominante nascitur semine masculo vel fœmineo, dierū nullo discrimine, ac eodem die, ac momento quocunque masculi & fœmella nascuntur. Si nascerentur Hermaphroditi post duodecimum fluoris mensium diem, copiosior eorū reperiretur numerus. Quare ortus eorum æquipollentibus marium ac fœminarum seminibus adscribendi sunt. Boscius, Thesi 53. 54. 55 56. 57. Concordiæ medicorum & phys. de hum. conceptu.

OBSERVATIO IV.

Verus Hermaphroditus, qui ancillas comprimere, & in his generare: idemque filios & filias exseparere solebat.

IPse novi hermaphroditũ, qui sequioris sexus seu muliebris putabatur, viroq; nupserat; cui filios aliquot & filias peperit: nihilominus ancillulas comprimere & in his generare solebat. Hier. Montuus de Med. Theoresi lib. 1. cap. 6.

OBSERVATIO V.

Naturalis sexus humani mutatio: qua, mulieres in viros: rarius vero viros in mulieres conversos esse, visum est.

ANtiochiæ, quæ est ad Mæandrum sita, homo mixto sexu, quem Androgynum appellant, fuit: Præsidente Athenis Antipatro, Romæ, M. Vinicio & T. Statilio Tauro, cui Corbilij cognomentum fuit, Coss. Etenim virgo quædam parentibus nata illustribus, cum annorum esset tredecim, multis procis petita ob pulchritudinem: Postquam de parẽrum sententia desponsata est, nuptiarum die appeten-

appetente domo progressura, subito dolore vehementissimo correpta, exclamavit. Domestici eam reductam in ædes ita curaverunt, ut quæ doloribus ventris & conversionibus intestinorum laboraret. Verum dolore per triduum continuum permanēte, cum omnes ejus Vrbis medici nullam affectus causam invenirent: quarta die sub auroram, intendentibus se acrius doloribus, puellaque magno cū ejulatu exclamante, subito virilia prodierunt, ac è virgine vir est factus. Qui aliquanto post Romam fuit ad Claudium Cæsarem adductus: atque hic prodigij istius causa in Capitolio Iovi Averrunco aram posuit.

Alius fuit Androgynus Mevaniæ, quæ est urbs Italiæ, in diversorio Agrippinæ Augustæ, præside Athenis Dionysodoro, Romæ D. Iunio Syllano Torquato, & Q. Asterio Antonino Coss. Nam virgo quædam Smyrnæ nata, philoris nomine, cum matura viro nuptum tradita esset à parentibus, masculino enato membro in virum abijt.

Eodemque tempore Epidauri alius fuit Androgynus, natus inopibus parentibus, cui nomen prius erat Sympherusa, in virum autē mutatus, Sympheron cœpit vocari, vitamque colendis hortis trivit.

Quin & Laodiceæ, quæ est in Syria, mulier Æteta nomine, etiamnum cum marito degēs, è fœmina vir extitit, cui nomen Ætetus, præside Athenis Marino: Romæ Consulatum gerentibus. L. Lamia & Æliano vetere. Hunc ipse quoque Phlegon Trallianus Adriatij Libertus, lib. de Mirab. & Longævis se vidisse scribit.

Ex fœminis mutari in mares, non est fabulosum. Invenimus in annalibus, P. Licinio Crasso, C. Cassio Longino Cons. Cassini puerum factum ex virgine sub parentibus, jussuque aruspicum deportatum in insulam desertam. Plinius lib. 7. cap. 4. Nat. Hist.

Licinius Mutianus prodidit, visum à se Argis Arescontem, cui nomen Arescusæ fuisset, nupsisse etiam, mox barbam & virilitatem proveniisse, uxoremque duxisse. Idem loco citato.

Ejusdem sortis & Smyrnæ puerum à se visum. Idem Plinius.

Ipse in Affrica vidi mutatum in marem nuptiarum die, L. Cossicium civem Tisdritanū. Idem sæpius annotato loco.

Q. Fabio Maximo, & M. Claudio Marcello Coss. vir ex muliere Spoleti factus. Livius lib. 4. secund. bell. Punici.

Tem-

Tempore Imperatoris Constantini, manifestum est, Puellam in parte Campaniç, in masculum fuisse mutatam, & Romam ductum. D. Augustinus de Conjugijs veteris ac novæ legis.

In quodam nostri temporis nato, testiculi infra pellem contenti erant superius, ita quod prominentiæ eorum repræsentabant duo labia vulvæ, & fissura videbatur esse in medio clausi per pellem, ut habilitaretur ad coitum. Incisione facta prosilierunt testiculi & virga, & postea duxit uxorem, ex qua plures genuit filios. Albertus lib. 18. de Animal. tract. 2. cap. 3.

Anno salutis 1478. regnante Ludovico undecimo apud Arvernos, quidam, cum hermaphrodita esset, gravidus est effectus, asservatusque summa diligentia, donec parturivit. Rupertus Gaguinus lib. 10. Annalium Gallicarum: citante Marcello Donato hist. med. mirab. lib. 6. cap. 2.

Romæ Alexandri temporibus virgo quædam nuptiarum die subito erupto genitali vir marito apparuit. Raph. Volaterranus. lib. 24. Comment. Vrbanorum.

Cajetana mulierecula viro piscatori nupta, cum quo annos multos rem veneream miscuerat, ut Antonius Panthormita pisca-

toris amicus nobis adoleſcentibus referre ſolitus eſt, poſt quartum decimum annum è muliere in virum tranſijt, exorto repente in muliebris naturæ loco virili pene. Quo facto, quod conditionis perpuderet ſuæ, ut qui à viris pariter, mulieribuſque rideretur, è civili vita ad vitæ genus religioſum tranſijt, vixitque in monaſterio, in quo ipſi eum novimus, vitæ ſuæ reliquum, ſepultuſque eſt Romæ in templo Mariæ ad Minervam. Iov. Pontanus lib. 10. de reb. cœleſtibus.

Alterius quoque fœminæ meminit Æmilę nomine, quæ Antonio ſponſæ civi Ebulano matrimonio juncta, poſt duodecimum matrimonij annum maſculinum ſexum induta fuit, ac uxorem duxit: ortaque cum primo marito lite, de reſtituenda dote, Maſius Aquoſa, juſſu Regis Ferdinandi reſtitutioni proſpexit ſoluta controverſia.

Vide proximè præcedens Lemma ũ quo cõvenit.

Idem Autor teſtatur (quod fidem omnem ſuperat) aliam mulierem, cum prius filium peperiſſet, virilem ſexum adeptam fuiſſe: quod etiam teſtimonio Antonij Colotij Vmbri cõfirmat Marcellus Donatus hiſt. mirab. lib. 6. cap. 2. Alanus Copus dialog. 1. cap. 8. ex Gaudentij Merulæ lib. 1. memorabil. cap. 3. Accidit hoc circiter annum Chriſti 1496. ut apparet ex continuatione temporum, addita ad Chronicon Euſebij.

Vt au-

Vt autem huic naturæ miraculo firmior detur fides, quid ætate noſtra contigerit Neapoli regnante Ferdinando primo, audi. Ludovicus Gnarna Salernitanus civis, quinque habuit filias, quarum natu majoribus duabus, alteri Franciſcæ, alteri Carolæ nomen erat: quibus poſteaquam ad quintum decimum pervenerunt annum, in marium morem virilia eruperunt membra, mutatoque habitu pro maribus habiti ſunt, Franciſcus & Carolus nũcupati. Fulgoſus lib. 1. cap. 6.

In oppido Eſgueria novem leucis à Conymbrica, nobili apud Luſitanos civitate, puella quædam genere nobilis erat, cui nomen (ſi recte teneo) Maria Pacheca erat, quæ cum ad ætatem perveniſſet, in qua mulieres menſtrua primum emittere ſolent, vice menſium Priapum uſque ad id tempus intus latitantem extra ejecit. Et ſic ex fœmina factus eſt maſculus, & virili toga indutus, ac ſacra aqua reſperſus, Manuel fuit vocatus. Qui ad Indos perveniẽs, & dives & clarus factus. Poſtea ad ſuos redijt, & uxorem duxit, ſed an liberos genuit non ſatis compertum habeo. Conſcij tamen ſumus, imberbem hunc ſemper manſiſſe. Luſitanus Cent. 2. Curat. 39.

Nonnunquam ex fœmina virum à natura factum, non ſolum ex authorum fide multis

ante ſecutis ſcribentium, ſed etiam noſtra hac tempeſtate auditu certo percepimus. Patrum quidem noſtrorum memoria, in Hiſpaniæ parte quadam id contigiſſe, certo certius, deſuetо quidem, ſed non inaudito tamen prorſus exemplo, habetur, neque non vel cum rationis alicujus perſuaſione poſſibili. Quandoquidem imperfecto aliquando operi, quod fœmina eſt, ſed neceſſarium ad propagationē tamen, ut quamvis id primitus non intendiſſet, perfectionem quandoque addat natura deinde, aut caloris novi alicujus acceſſione, aut ſpiritibus ſupervenientibus novis, calorificiſque magis, non fieri prorſus non poſſit. Quod, cui notæ probe fuerint genitales ſexus utriuſque partes omnes, non perinde miraturus ſit, ſi propulſis tantum foras, quæ prius intus latebant in fœmina membris, ac veluti everſis, vir fiat. Iul. Alexandrinus lib. 22. cap. 14. Salubrium.

Antonius Loqueneus Indictionum ad ſancti Quintini apud Veromanduos fanum Regius quæſtor, nuper affirmavit mihi, vidiſſe ſe virum Rhemis in hoſpitio cui Cygnus pro inſigni eſt, anno Domini 1560. qui pro fœmina ad annum uſque ætatis decimumquartū habitus fuerat. Tum enim contigiſſe, ut cum ludibundus cum ancilla, cui eodem in lecto accubabat

cubabat, lasciviret, virilia ipsi huc usque implicita se explicarent & erumperent. Quod cum parentes rescivissent, interveniente ecclesiastica potestate, ipsum nomine mutato Ioannem pro Ioanna nominarunt, & virili habitu induerunt. Pareus lib. 24. cap. 5.

Superioribus annis cum essem in Caroli noni Regis comitatu, in Vitriaco Francico ostensus est mihi vir Germanus Garnierus, quibusdam Germanus Maria dictus, quod olim fœmina Maria vocaretur, statura mediocri, quadrato corporis habitu, barba densa & rusa. Is ad quintum usque & decimum ætatis annum pro virgine habitus fuerat, quod virilitatis in ejus corpore nulla vestigia apparerent, & quod fœmineo vestitu indutus inter fœminas muliebria obeundo assidue versaretur. Decimoquinto igitur ætatis anno dum in agro porcos suæ curæ demandatos, & in messem irruentes acrius persequeretur, fossam obviam magno impetu transilivit: quo factum est, ut ruptis velut involucris & vinculis, addita virilia derepente & haud sine dolore emergerent. In casam regressus apud matrem ejulans conquestus est sibi ab alvo intestina prosilire. Quo spectaculo attonita mater, Medicis Chirurgisque, in con-

Ejusdem hist. meminit Georg. Bertinus Medicinæ suæ li. 4. ca. 10.

in consilium adhibitis, audit eum in virum e' vasisse. Itaque re tota ad Cardinalem Lenuncurium Episcopum delata, convocata concione, viri nomen habitumque recepit. Idem loco annotato.

Ex fœminis mutari in mares non est fabulosum. Nam virgo quædam ut testatur Volateranus nuptiarum die, subito erupto genitali vir marito apparuit. Idem contigisse in Altera Virgine, à Sereniſſima Regina Eleonora Caroli V. Imperatoris germana auditione accepi. sed in his, sexus potius detectus, quam mutatus fuit. Hier. Montuus lib. 1. cap. 6. Theor.

Anno 1574. dum hæc scribimus in urbe Spoleti, in Vmbria positæ, vulgo Spoletto vocant: Puella octodecim annorum, filia cuiusdã vocati Totaccia & Soror Ioannis Francisci d' Anguilo, de Norcia in virum evasit, prodeunte membro virili, quemadmodum à pluribus illius loci affirmatum fuit. Marcellus Donatus hist. mirab. lib. 6. cap. 2.

Meo tempore in Gallijs prope oppidum Corbeil ad Sequanam, puella in cœtu mulierũ ad quatuordecim annos habita & educata, ac pudendo muliebri nata. Quę tãdem, erumpente illi circa pubertatis annos membro virili, in cœtum virorũ, mutato nomine ac habitu,

bitu, adscripta fuit. Referente nobis medico N. ad Plateam Moberti, Anatomen privatim docente, præsente D.D. Georgio Cellario, & Caspare VVolphio Tigurino, medicis, amicis, & commilitonib. nostris. D.D. Ioan. Cuelmannus de observationib. proprijs.

Empedocles Agrigentinus Pythagoricæ Philosophiæ assecla inquit, Et puer ipse fui, nec non quandoque puella. De Empedocle hæc Philostrat. lib. 1.

Ausonius Beneventi puerum quempiam repente virginem factum, his verbis refert:

Nec satis antiquũ, quod Cãpano in Benevẽto
Vnus Epheborum virgo repente fuit.

Causas & modum hujusmodi mutationum require apud Galeottum Narniensem ca. 18. De doctrina promiscua: Cardanum lib. 8. cap. 43. de Varietate. VVierum lib. 4. cap. 24. de præstig. dæm. edit. 6. Gemmam lib. 1. cap. 7. Cosmocrit. Marcell. Donatũ. hist. mirab. lib. 6. cap. 2.

Vide præterea Anatomen Constantij Varolij lib. 4. c. 4. pag. 98. & 99

OBSERVATIO VI.

Mulieres quædam, ob maritorum desuetudinem & mensium defectum, mutata voce, barbatæ factæ, in virilem habitum transiere, non sine valetudinis & vitæ periculo.

PHAëthusa Pythei Conjunx in Abderis, olim, dum juvenis esset, fœcunda fuit. Cum vero maritus ejus in exilium fugisset, menses illi multo defecerunt tempore. Quo facto, dolores & labores deinceps in articulis acciderunt. His autem factis, corpus virile, & in universum hirsutum & pilosum redditum est, barbamq; emisit, & vox ipsa aspera effecta est. Cum autē omnia, quæcunq; ad menses proritandos necessaria essent, tētaremus, nō profluxerūt, sed cū haud multo tēpore post vixisset, mortua est. Hipp. part. 8. l. 6. Epidē aph. 45.

Idem hoc Namysiæ Corrippi uxori in Thāso cōtigit. Medicis. n. omnibus, quibus cum & ego versatus sum, unica esse spes videbatur, ut effœminaretur, quo menses naturaliter promanarent. Verū cum multa tentassemus, huic non profluxerunt, sed paulo post mortua est. Idem aph. proxime sequenti.

Id exemplū afferre liquido possumus, cū in Græcia essemus, viduæ cuidā, quæ prius sępius cōceperat, ex abstinentia purgationibus menstruis sublatis, barba exorta est, ac vox corporisq; habitus in virilem mutatus est. Alex. Benedictus lib. 26. cap. 4. de Curand. morb.

OBSERVATIO VII.

Scytharum morbus effœminatus.

Hero-

HErodotus in Clio author est, Scythas prælio fusis Medis universa Asia potitos, jamq; ut in Ægyptum contenderent, Syriam & Palestinam ingressos, à Psammiticho rege precibus & muneribus fuisse persuasos, ut ea regione intacta relicta in loca sua reverterentur: cumque in Ascalonem Palestinæ urbem pervenissent, multos ipsorum vetustissimum Vraniæ Veneris templum depeculatos esse, ob quod factum Deam illam templi spoliatoribus, eorumque posteris omnibus morbum fœmineum immisisse, quo quicunque laborabant, à reliquis Scythis ἐνάρεες sive ἐνάριες, hoc est, evirati vocabantur. Cæterum qui nam fuerit is morbus cum Herodotus non docuerit, Hippocratem qui & morbum & originem veram, ejusque nominis rationem explanat, in medium adducemus, cum ut Herodoti historiæ major claritas addatur, tum maxime, ut per Herodotum Hippocratis verba & sententias facilius intelligamus. Sic ergo in lib. de aëre, aquis & locis scribit. Plurimi Scytharũ eunuchi fiũt, & muliebria officia obeunt, instarq; fœminarũ omnia faciunt & loquuntur, vocanturq; hi Effœminati. Et regionis quidẽ incolæ causam ad Deũ referunt, coluntq; hos ipsos hoẽs & adorãt, sibijpsis timẽtes, ne quid tale ac-

tale accidat. Mihi vero hi affectus divini quidem esse videntur, sicut & reliqui omnes: neque ullum aliquem alio esse diviniorem aut humaniorem, sed divinos omnes : verum unusquisque eorum suam propriam habet naturam , neque aliquis citra naturam accidit. Quare quomodo hic affectus contingat , ut mihi videtur, narrabo. Ab equitatione ipsa diuturni eos corripiunt articulorum dolores, nimirum propendentibus semper ex equis eorum cruribus, deinde claudi fiunt , contrahunturque coxendices , cum invaluerit morbus. Medicantur autem sibi ipsis hoc modo. A principio morbi utramque venam retro aures incidũt: quo facto, sanguine multo promanante, somnus eos corripit præ imbecillitate, sicque obdormiscunt : quorum quidem aliqui depulso somno sani exurgunt, aliqui vero minime. Atque mihi sane videntur ea medicatione seipsos perdere. Sunt enim venæ post aures, quas si quis secet , steriles fiunt ij quibus secantur. Quare id etiam ipsis ex earũ incisione accidere certum est. Quando igitur postea uxores adeunt , impotentesque se factos vident, cum illis coire , primum quidem nihil molestius cogitantes, quiescunt: cum autem bis aut ter aut amplius frustra opus tentarunt, neque quicquam proficiũt, mox putant

se Deum

se Deum offendisse: in quem culpam reijciũt, induuntque veste muliebri, palam se eviratos esse confitentes, ad mulierumque contubernia transeunt, earum opera tractantes. Hoc itaque malo ditissimi Scytharum afficiuntur, minime vero infimi, immo qui maxime & genere & potentia prævalent, ex nulla alia quam continuæ equitationis causa hoc perpetiuntur: pauperes vero minus, cum non multũ equitent. Atqui oportebat, siquidem is morbus alijs divinior est, ut non nobilissimis neq; ditissimis Scytharum fere solis accideret, sed esset omnib. æqualiter peculiaris, immo magis invaderet pauperes, circa cultum deorum negligentiores: si gaudent dij etiam in hominum admiratione constitui, & pro hoc beneficia hominibus retribuunt. Divites enim sæpius dijs sacra faciunt, victimas offerũt, statuas erigunt coluntque, cum pecunijs abũdent: pauperes autem minus id faciunt, cum non habeant: quin etiam aliquando deos detestantur, qui eis opes non suppeditent: ut verisimilius esset pauperes ac parum abundantes hoc malo propter crimina sua puniri, quã divites & qui opibus abundant. Verum (sicut & prius dixi) divinus quidem hic affectus est, similiter atque alij omnes, singuli autem secũdum naturam fiunt. Atque ejusmodi morbus

ex ea

ex ea, quam diximus, occasione Scythis cõtingit. Hactenus Hippocrates: à quo facile unusquisque comprehendere potest, Scytharum morbum ab Herodoto nominatum eundem esse quem ipse refert: & quando hic eos ἀνανδρίας vocat, vel ἐνάρεις, ut apud Herodotum, corrigi debet, vel utramque dictionem idem significare putandum: nimirum eviratos seu effœminatos: sicuti quoq; Scytharum vates, utpote castratos, appellatos in Melpomene meminit. Mercurialis lib. 3. cap. 7. Variarum Lectionum.

DE PARTIBVS GENITALIBVS IN SPECIE.

DE MASCVLORVM GENITALIBVS.

Et primum.

DE PENE ET PRAEPVTIO.

OB-

OBSERVATIO VIII.

Pene gemino visus quidam.

VIdimus Bononiæ in publicis dissectionibus cadaver viri qui duplicem habuit penem. D.D. Ioannes Iacobus VVeckerus in suis mihi communicatis Observationibus.

OBSERVATIO IX.

Sine mentula natus infans, sed cum scroto & testiculis.

ANte paucos dies misellus infans natus apud nos est, cui membrana circa umbilicum resolura herniam præferebat: carebat membro virili: cujus loco foramen, quo urinam profundebat, conspiciebatur. scrotum ambobus testiculis, ut in alijs conformatum visebatur. Parentes Chirurgi opera utuntur: at vix supervicturum opinor. D.D. Thobias Cneulinus de suis mihi transmissis Observationibus.

OBSERVATIO X.

Glans imperforata & quænam ejusdem perforandi rationes.

Pueris

PVeris quibusdam genitalis postremum & meatus qua excrementum vesicæ transit, non eodem tetéderunt, sed infra meatus ille trãsegit, quamobrem demissis clunibus mingunt, qui testibus paulo in superiorem parté retractis, videntur à longe simul & maris habere genitale & fœminæ. Aristoteles lib. 4. ca. 4. de gen. animal.

C. Claudio M. Perpenna Coss. Puer ex Ancilla natus sine foramine naturæ qua humor emittitur. Iul. Obsequens.

Pauli Bonini filium novimus, qui glande colis clausa natus, paulo infra eam itinere patefacto urinam reddebat. Benivenius cap. 7. de Abditis.

Ad clausarum partium tractationem pertinet glandis masculæ occlusus anterior meatus, quem in nobili adolescente VVuestphalo conspexi: qui lotium redditurus, acu longa & crassiuscula meatum aperiebat, coalescentem rursus paulatim exonerata urina. Huic affectui secure medeberis, altiori incisione ab ora loci naturalis & consueti, usque ad apertum virgæ canalem: inde turundulam rotundam, cavam, tenuem, ex plumbo vel argento concinnatam inseres, prius tamen oleo rosaceo illitam: & postea linimento cicatricem inducente, uti diapompholigo cum paucillo rosacei dissolu-

to, vel

to, vel simili. In turundæ autem usu perdurabis, donec cuticula munitam esse urinæ viam senseris. Ea vero interim quandoque movebitur, ne in sanatione connascatur impedimentum. Si pellicula durior postea videbitur, oleo amygdalarum dulcium vel butyro insulso tepido introrsum illinatur aliquoties. VVierus lib. Observationum.

Infans natus annos duos, ab ortu suo glans illi perforata non fuit, nec vestigium aliquod in ea ubi foramen esse debuerat apparebat: ad radicem tamen ejus prope testiculos foramen erat, per quod lotium non guttatim fluebat, sed directe emanabat, ut facile quis diceret, naturam & masculum & fœminam producere in lucem tentasse, esseque ex Hermaphroditorum genere. An vero glans huic perforari debeat, in dubium traximus: nam & Antonius Musa Brasavola, & Franciscus Chirurgus, nullatenus contendebant: nos vero cum Ioanne Baptista Canano anatomico insigni oppositum contendebamus: quia si glans non perforaretur, non posset liberis operam dare. Sed quonam modo perforari debeat, aut quo instrumento? Cananus sic machinatus est: nam cannulam argenteam fabrefieri curavit, admodum subtilem, intra quam acus argētea continebatur, quæ cānula per foramē

prope testiculos,ut dixi,existēs, versus glandē immitti deberet,quo ad illa penetrare posset: quum vero ultra ire nō posset,glandis residuū cum acu intra cannulam cōtenta perforandū erat:tunc vero solena ibi, quoad ex toto meatus urinarius fabrefactus maneret,dimittenda erat.Sed quum controversia justam ignorātiæ suspicionē ostendit,atq; auditores incredulos reddat;factū est,ut parentes pueri nolint filiū in vitæ discrimē trahere:& sic ab opere destitimus.Amat.Lusitan.Cent.1.Curat.Medic.23.

Curandi ratio in hoc solū posita est,ut quia impedita est facultas expultrix à suo munere, ex toto hujusmodi impedimentum auferatur, quod quidē non medicamētis fieri potest,sed solū operatione chirurgica,quæ nequaquā timenda est,propterea, quod sit citra periculū: cum magna pars orbis circūcidat puellos teneres.Sed dicet aliquis:cur ergo Galen⁹,nono secundū loca sexto, proponit remedia ad eos qui nō sunt perforati?Si. n. solo opere chirurgico hoc fieri potest,cur hæc proponit? Dico perforationē,ad quam proponit medicamēta Galen.non esse hanc naturalē,de qua agimus, sed esse adscititiā,& phimosin,quæ sicuti facta est casu,&morbo;ita medicamētis tolli potest. Vt autē modicum hujus curationis tradamus, primū de meatu primario clauso loquemur, qui in viris dupliciter contingere potest : vel

quia præputiũ coaluerit, vel quia glandis foramẽ sit occlusum. Vbi morb. sit propter præputiũ, ante cætera purgandũ est corpus blãdissime, & præ cæteris, dicit Celsus, abstinendũ ab ambulatione. & hoc sit perpetuũ, ne videamur medici circũforanei, ut semper ante quamcũque operationẽ chirurgicã corpus purgetur, & si opus est, sanguis mittatur. nam ad evitandã inflammationẽ nihil magis necessariũ est, quam purgatio, vel sanguinis missio. Vbi autẽ purgatũ est corpus, primo tentãda est facilior curatio, ut scilicet præputiũ ferro perforetur. Circa quam perforationẽ debent duo notari. Primũ, ut ferrum sit rotundũ: secundum, ut sit ignitũ, quia ferrum rotundum facit vulnus rotundum, atq; vulnera rotunda, ut dicit Cassius medicus & Alexãder 1. Problẽ difficilime coalescunt, quod optatur in hoc casu. Præterea ubi ferro ignito fit vulnᵘˢ, duo bona fiũt. Primo fluxio sanguinis inhibetur: Secũdo, vulnus dũ sanatur duriorem callũ contrahit, ut nõ facile iterũ coalescat, & hæc albo lapillo sunt notanda, quia non sunt vulgaria. Vbi sic facta fuerit perforatio, habẽda est cannulla plũbea, quæ in foramine tam diu est detinenda, donec sanatum sit vulnus, & callum contraxerit. Sed si hæc ars non juvat, ut mihi Romæ non profuit in nobili juvene, quid agendum est?

nihil aliud, nisi ut incidatur præputium ferro ignito, ut fit in verpis, & in circumcisis. Vbi autem error est in ipsa glande, similiter glans ipsa perforanda ferro ignito, atque detinenda est ibi cannula vel argentea, vel plumbea, quæ extrahatur ubi mingendum est, & iterum reponatur ubi nulla fit mictio. Atque hæc est ratio, quæ ab Albucasi chirurgo data fuit. Cæterum Celsus lib. 7. cap. 25. præter hanc rationem demonstravit & aliam, sed potius cõvenientem phymosi, quam imperforationi. Mercurialis lib. 1. cap. 9. de morb. pueror.

OBSERVATIO XI.

In glande virili cujusdam duo meatus distincti animadversi, quorum unus urinæ, alter seminis excretioni serviebat.

HIc Patavij Adolescens Iuris Studiosus, ac è Nobili Symionum apud Forojulienses familia natus, mihi familiaris est. Qui in glandis apice duos obtinet meatus: unum semini, alterum urinæ paratum. Vesalius lib. 5. cap. 14. de Corp. hum. fabrica.

OP-

OBSERVATIO XII.

Breviore pene quidam; Et alius ob cancrum eo inciso, genuit.

QVẽdam cui penis rigidus infra tres digitos erat; Et aliũ cui ex cancro inciſus erat breviſſimus, genuiſſe ſcribit Savonarola, ob valentem uteri attractionem, & reliqui penis jaculationem. Sylvius in Comment. de menſib. mulierum.

OBSERVATIO XIII.

Contorti & ad procreationem inutilis virilis Colis, ad fœcunditatem correctio.

VIdimus qui membro ita obtorto non poterat gignere: quod ſemen ſemper reſtitaret in cervice uteri. Huic paratus eſt canaliculus plumbeus, vel argenteus accomodatus craſſitudini ipſius penis. In quem immiſſo pene, circumpoſitæ & alligatæ ſunt ciſtellæ, ita ut tandem figuram membri rectam ac naturalem recuperarit, & genuerit. Hollerius Comment. ad aph. 63. lib. 5. Hipp.

OBSERVATIO XIIII.

De nova pudendi distortione.

VEneri nimium addictis, rarum affectionis genus, antiquis ignotum, quod speciei propagandæ adversatur, interdum accidit; etenim genitale distentum, ac spiritu turgens tristi cum doloris sensu distorquetur, quo fit ut semen in uterum recta ejaculari nequeat. De hoc morbi genere neminem reperio qui ita pertractarit ut veram effectus causam noviſſe videatur: appellant tamen nodum penis; nam etsi demisso & flaccido genitali nihil percipiatur incommodi, particulam tamen pertractanti parvulus quidam tumor fabæ vel glandulæ speciem referens percipitur. Huic affectui plerosque vidi, causæ ignaros, emollientia adhibuisse quod arbitrarentur, se duriusculam illam substantiam, quasi humore affluxo imbutam, discutere posse: sed tantum abfuit ut id præstarent, quod etiam quotidie in deterius lapsi fuerint: nam arietini cornu in modum, in illud latus quo tuberculum est, mentula reflectitur. Sed age causam patefaciamus: primum tamen in memoriam revocare oportet genitale viri nihil aliud esse,

quam

quam duo ligamenta à pubis ossis exorta, rotunda, atque intus arundinis in modum cava; fungosa tamen, & rara substantia prædita, quæ spiritu influente turgent. Qui vero Veneri nimis indulgent, frequenterque & diu, ut mulierculis placeant, distento sunt genitali, in hoc malum incidunt; etenim spiritus ille inclusus in aliquam alterius ligamenti concavi partem impetum faciens, ejus particulam ita impellit, ut eam relaxet ac protuberare faciat, quo fit ut quantum latitudini affectæ particulæ adijcitur, tantum longitudini detrahatur. Quod vero protuberat mentulæ, id ex propria natura ligamentali, non autem ob novi humoris affluxum accidit, ut morbus in figura, non in magnitudine censendus sit. Satis igitur ex jam dictis constare videtur, quod emollientia adhibentes à ratione recedant, & affectum quotidie augeant, cum laxatum compingi, & roborari postulet: conveniunt igitur quæ procidenti umbilico, atque hernijs descripta sunt; fotus præterea ex vino austero, nigro, in quo gallæ, absynthium, myrtilli, balaustia. s. sumachij & ejus generis efferbuerint. Commonefaciendi sunt interim ægri ut à venereis abstineant, vel parce utantur, usque

quo affecta particula confirmetur. Sed hæc ad novi affectus cognitionem & curationem dicta sint satis, si mihi ad hunc usum probata medicamenta adjecero. Recipe aquæ nucum pini, aquę nucũ cupressi, omphacij, aquę myrtil. lanæ uncias tres m. & ex his tepidis lintea madefiant, gĕitaleq; obvolvatur. Aliud, Recipe cort. myrobalanorũ citrinor. cort. myrobalanorum chebulor. ana unciam semis nucum cupressi numero quindecim, nucum pini numero quatuor, rosar. rub. pugillũ unum, absynthij pontici. m. j. gallarum, granorum myrti, sem. sumach ana unciam unam; contundantur, incidantur, macerenturque omnia in vino nigro austero & aqua nucum pini, ac destillerentur per balneum, egredietur enim aqua magnæ virtutis ad constringendum. Hac decoctione tepida madentia lintea adhibete; prædicto enim affectui curando aptissima est, admirabilique ad præcavendum ab infect. venerea, facultate pollet, si quis infusa lintea, inter glandem, & præputium contineat, & cadẽ aqua interdum mentulam laverit, est enim quasi antidotus, qua prohibetur ne ob infectæ mulieris congressum, quod longo usu cõpertum est, venenosa morbi malitia concipiatur. Iul. Cæs. Arantius, de tumor. præter nat. cap. 50.

OB-

OBSERVATIO XV.

De Phymo seu Phymosi præputij cum carnea ἐκφύσει.

DVorum annorum puerulus præputium habebat à nativitate prægrande, & carnea mole seu tubere turgidum, id quia incrementum sumebat indies magis atque magis, anxia & solicita deliberatione diu agitatum fuerat, quo pacto hoc malum tolli posset. Erat enim jam turgidum instar tuberis sive rad. cyclamini, aut instar ficus: Quin & ῥαφὴ quoq; turgebat. Indolens quidem malum erat, sed incommodum, præsertim ætatis progressu: nam præterquam quod glans detegi non posset, verendum erat, ne in nimiam molem excrescens, fascia circumferendum esset. Accitus itaque chirurgus Hebræus, itemque alius circumcisor, qui adjuncto sibi filio suo, solerti cura abscidit præputium illud, non sine solicitudine: nam glans penis admodum exiguus & pusillus erat, neque retrorsum deduci poterat, quia adnata erat ad præputium ea parte qua ῥαφὴ præcedit, quod prioribus aliquot diebus ante exploraverant chirurgi, cum emolliendi gratia applicarent circa illud, emplastrum ex contusis herbis chamomill. melilot. malva, &c. Apparatis itaque singulis, & ligatis

gatis fascia manibus pueri, tenente famula, distentis cruribus, chirurgus manibus compressit præputium, quia putabat glandem subtus esse, alter gladiolo abscidit phymosin, & ea dissectione facta unguibus prælongis (quos fovent Hebræi circumcisores) avulsit glandē à præputio, quod puerulo valde dolorificum erat. Et quia glandi paululū de præputio adhærebat, illud forficula rescindebatur. Facta itaque avulsione, & reductione præputij, mittebant glandem per tria quatuorve linteola, oleo balsamino intincta, in quibus singulis exiguum erat foramen ut vix transmitti glans posset, ut distingueret glandem à præputio, ne amplius coalesceret ad præputium, & superne adhuc applicabatur aliud linteolū nō perforatum eodem oleo intinctum. Porro glans erat admodum exigua pro ætate ejus pueruli, ut credas nutritionem ejus partis in ecphysim illam phymiseos transmissam & transumtam esse. Hoc continuabant ad dies 4. vel quinq;, ligatis tamen pueri pedibus primis tribus diebus, ne linteola illa decuterentur. Ad pubem vero & circa pubem applicabant defensivum repercussorium ob metum inflammationis. Hæc sane Curandi ratio expeditior multo & certior mihi videtur esse, quam illa quæ traditur ab

tur ab Ægineta lib. 6 cap. 51. Hæc ex manuscripto insignis cujusdam medici, cujus nomen ignotum, communicabat D. D. Casparus VVolphius.

OBSERVATIO XVI.

Ingeniosa curatio eorum quibus glans præputio nudari non potest, & propemodum occalluit, gravi sterilitatis noxa,

Affectus quibus glans præputio angustiore non detegitur, extrema namque præputij anterior pars vel secundum naturam, vel ex accidenti exiguo adeo foramine prædita est, ut non solum glandem detegi prohibeat, verum & urinæ interdum excretionem, seminisque ejaculationem remoretur: ex consequenti steriles, atque infœcundos viros efficiat, ubi præsertim præputium, glandis foramine angustius fuerit. Idem & in mentulæ accidit freno, si inferiori glandis parti juxta foramen arte connectatur: eo enim adhuc integro, in primisque congressibus minime divulso, non solum fit, ut in venere exercenda molestiã adferat, sed quod majus habet momen-

momentum, ſpeciei propagandæ maximę adverſetur; nam præter id quod erecto genitali ejus diſtorquetur extremitas ut recta ſemen ejaculari nequeat, anguſtius etiam ex ejus attractione fit foramen, per quod ſemen in uterum affatim ejaculari debet. Duo iſti affectus quamvis ad propoſitum negotium ſpectare minime videantur, cum tamen ad ſpeciei propagationem pertineant, paucis eorum curationem perſtringere placuit; contigit enim mihi aliquando, ut anguſtiore præputio, ac pudendi pano ſecto, ex improlificis fœcundos effectos viderim: opportuno igitur anni tempore, victus proba ratione, & purgatione prę-miſſis, linea recta per ſuperiorem mediamq; præputij ſedem atramento ita notanda eſt, ut vaſa grandiora vitemus: curvo deinde, & quod proportione reſpondeat inſtrumento, inter præpurium & glandem inſinuato, perforata cutis ſecundum rectam lineam, uno ictu ſectio abſolvenda eſt, animadverſione habita, ut interna & externa cutis ſibi mutuo ita reſpondeant, ut par ſit utriuſque ſectio, neque minor quam exuſu ſit, etenim diminutā plerunque fuiſſe eventus docet: ſectione adhibita, ſiccis linamentis, probe compreſſis ſanguinis fluxus compeſcatur: deinde ovi albo, & roſacea per lintea curetur: nam adeo conducit,

ut cica-

ut cicatricem etiam obducat, animadversione habita, ne ficca filamenta plagæ adhærentia auferantur, donec per se decidant, vel rosaceæ perfusione mollia reddantur, nam sanguis copiose manare solet. Itaque per triduum post sectionem, quiescant, & per noctem assistat, qui madentia lintea admoveat, eo quod per somnum distento genitali cruor effundatur. Iul. Cæs. Arantius de Tum. præter Nat. cap. 54.

Aliquando ita callosum fit præputium ut nõ amplius possit detegi glans, in eo casu nostri chirurgi, & bene, secant præputium, & videtur colis, veluti præfectis naribus, & omnes hucusque illud fecerunt, præterea dum intumescit glans, dolet: idcirco vos ego docebo à me inventam novam rationem curandi. omnes ego sano plumbo, verbi gratia, habebo præputium ita angustum, ut non possit ingredi specillum, in eo casu accipio fistulam parvã ex plumbo, & ita impono in foramine, & volo ut æger per illam mingat, interim ego oleo amygdalarum dulcium inungo, vel pinguedine gallinæ, vel pomata. secunda die ego impono parum majorem fistulam, tertia adhuc majorem: & hoc modo procedo deinceps, ita ut spatio octo dierum possit detegi glans. & sic emollitus remanet callus, & præputium dilatatum.

tum. Ego non solum in cariebus Gallicis utor, sed etiam quando est hoc à natura factum. Fallopius de morbo Gallico cap. 84.

OBSERVATIO XVII.

Præputij resectionis ratio nova.

ASsyrij sanis parem strangulatus effectum sæpe inducunt, cum grandiusculis adolescentibus, aut viris præputia demetere volunt ne sentiant: tum in balneo supinis venas, quæ circa guttur sunt, comprehendunt, quibus & sensus & motus protinus stupet, illi cultello pudenda, corporis partes veluti apoplecticas amputant. Alexand. Benedict. lib. 1. c. 54. de Curand. morb.

OBSERVATIO XIIX.

Virulento scorti cujusdam congressu, omnibus illico pustula in glande excitabatur, qua penis, cum vitæ periculo, paucis horis arrodebatur, nisi vel sectione, vel ustione, etsi dubio sæpe eventu, succurreretur.

INter Bononiæ prostibula erat quædam insigni forma, cum qua si qui rem habuissent, livente

livente pustula statim glans illorum corripiebatur, qua paucis horis pudendum totum ita arrodebatur, ut amputatione tantum veretri & ustione ex multis pauci curarentur. Sic Zachæus Cæsarino Cardinali à Secretis cauda plus quam media multatus à Iacobo Perusino Chirurgo Pontificio feliciſſime evasit. Romanis Medicis mulieris inspiciundæ negotium datum. Cumque ij nihil in formosissimo corpore labis deprehendissent, nativa quadam intemperie id accidere argumentati, quod simile quid de puella napello nutrita Arabum commentarijs referrent. Andreæ Petri Perusini, Iacobi, discipuli, hypomnema.

OBSERVATIO XIX.

Puer quidam medium colem lino arcte constringens, eundem usque ad urethram discidit: unde per calloſa vulnera perpetua urinæ excretio consecuta.

MEdium sibi colem lino & quidem arcte deligaverat puer inscijs parētibus, eoq; tam diu vinctus fuit, donec plagæ altitudo adiret urinæ ascenderet duobus locis: quibus, & quod

& quod urina ipsa inde mitteretur, & quod utrinque ora occalluerint, coire ulcus atque conglutinari nullis unquam remedijs potuit. Benivenius cap. 68. de Abditis.

OBSERVATIO XX.

Ob castitatis Zelum, Zelotypiam & insanum Amorem sibimetipsis quidam vel colem vel testiculos amputantes, servati sunt.

MOnachum vidimus atque curavimus, qui ob Zelum castitatis, sed indiscretum tamen, ac minime secundum Dei rationabile obsequium, colem sibi, & quidem pubetenus prorsus absciderat: ex quo cũ sanguis copiosus effluueret, ac propterea medicamenta omnia vinceret & exuperaret, arduum sane ac laboriosum fuit ejusmodi profluvium sistere atq; inhibere. Oportuit enim singulas venas, quæ sanguinem fundebant, apprehendere, atque ita deligare, ut ora præclusa coirent. Quo facto, reliquum curæ genus haud admodum difficile fuit, donec vulnus rite curatum, penitus sanesceret. Benivenius cap. 68. de Abditis.

Pistor

Pistor quidam (ut mihi retulerunt) cum suspectam de adulterio uxorem suam haberet, tametsi pudicam & probam, nec eam in stupro deprehendere posset, testes sibi amputavit, ratus, si illa forte uterum gereret, non ex se, ut qui ob ademta genitalia generando ineptus esset, sed ex altero concepisse, certo sciret, nulla enim hac dementia major esse potest. Mart. Acakia Comment. ad art. parvam Galeni.

Vidimus plures Maniacos, Melancholicos & insanos, qui sibimetipsis tam testiculos, quam virgam præsecuerunt. Quod à me Aureliæ observatum est in Episcopi Nannetani Architriclino, qui ex rabie amoris in profundum puteum præcipitem se dederat, quo loci omnia ea quę amoris morbum causabant, exsciderat, tanta cum hæmorrhagia, ut facile est colligere, cum ea perseverarit donec exinde extrahi posset, tamen mortuus non est. Franciscus Roussettus de Partu Cæsareo cap. 6. Sect. 4.

OBSERVATIO XXI

Eunuchismus Turcarum.

NOn intrabit Eunuchus attritis vel amputatis testiculis, & abscisso veretro Ecclesiam Domini. Deuteronomij cap. 32.

Eunuchos posse etiam, non velle solum, ut ait Terentius, jam compertū est magno malo puberum apud Turcas. Qui non solos, ut olim, testes, sed penem quoq; abscindunt. Scaliger Exercit. 104. numero 8. ad Subtilit. Cardani.

In Turcia, Eunuchis, quos Imperatoris cubicularios esse volunt, non solum, ut olim fiebat, testiculi vel atteruntur, vel excinduntur: sed cum testiculis tam membrum, quam scrotum adimūtur. Francis. Rousset. de Partu Cæsareo sect. 6. cap. 6. hist. 2.

Solent nunc Turcæ tota virilia præcidere, & evadunt multi, quoniam copioso opio in profundum somnum ducuntur. Cardanus Comment. in Hipp. lib. de Aëre, Aquis & locis, lect. 62. Text. 19.

Quod Gallo cuidam nobili ex Narbonensi provincia oriūdo accidit, mirum est, eo quod & risu simul & deploratione dignum videatur. Is ex itinere captus à Turcis, & in Thraciam abductus Dynastæ cuidam donabatur, &, (ut opinor) Bellerbeco, qui cis Bosphorum Thracium per Macedoniam præfectus militum dicitur. Ab hoc ille non aspere cœpit tractari more Barbaro, sed perhumaniter, eo quod gyneceo destinatus esset ob formam ac ætatem. Itaque tandem die quodam, cibi ac

potio-

potionis tum varietate, tum copia fuit effectum, ut in somnū triduanum incideret. Quo finito, quum experrectus mingere vellet, exectos sibi testes animadvertit, tum demum attonitus cognovit, quam diu dormijsset, & cur tam laute semper ac affluenter tractaretur, atque ex quo cibi genere tam alto correptus fuerat somno. Redijt tandem ad suos, & hanc attulit causam, cur nuptijs facile carere posset. VVierus de Præstig. Dæmo. lib. 3. ca. 17. edit. 6.

Possunt quidem homines mandragora & narcoticis potionibus soporari, ita ut mortui esse videantur: sed horum alij ita soporantur, ut nunquam evigilent: alij epotis eis, ad triduum, quatriduumve indesinenter dormiūt: prout ijs faciunt Turcæ, quos castraturi sunt. Et Vasconi cuidam ex inferiori Occitania captivo, qui post fuit redemtus, accidit. Bodinus lib. 2. cap. 5. de Magorum dæmononia.

OBSERVATIO XXII.

Res mira, per penem pedere; exemplo quorundam, qui micturi per penem non minus atque anum olidos ventris crepitus emittere soliti sunt.

ABſceſſum ani viſum eſt interdum in veſicam penetrare, ac tum micturo crepitus è pudendo, perinde atq; è podice, deinde puris, atque etiam fæcis nonnihil miſtum urinæ prorumpebat. Fernelius Patholog. lib. 6. ca. 11.

Mirabile eſt hoc. Quidam cum laboraſſet ulcere fiſtuloſo ani, eoque admodum calloſo, ita ut non cederet acerrimis erodentibus, cujus varios ductus cæcos eſſe perhibebant, & ulcere penis ſanioſo ſimul tenebatur, & ex eodem pene crepitum velut ventris cum fœtore emittebat. Cauſam hujus rei alij afferebant, quod à veſica materia, ob imbecillitatem collecta, tranſiret in flatum, qui ex compreſſu vicinarum partium, & in primis abdominis muſculorum, & veſicæ ipſius protruſus hũc ſtrepitum excitaret. Fœtorem autem ex eo provenire ajebat Mercurialis, quod affectus inteſtinorum ſæpe communicarentur veſicæ. Si quid enim colorati & fœtidi in Clyſterem injiceretur, urinam prodeuntem poſtea ſæpe de his indicia præbere, eo ipſo colore & fœtore. Sed an valeat, tua prudentia dijudicare poterit. De CL. V. D.D. Ioachimi Camerarij Obſervat. Patavio acceptis & mihi communicatis.

Petrus Spehr, ammanuenſis olim noſter, qui hoc tempore Reverẽdiſſ. & Illuſtriſſ. Prin-

cipis

cipis Electoris Archiepiscopi Moguntini liberalitate Patavij Medicinę strenuam operam navat, mihi sancte affirmavit, observasse se in Aula Principis sui Tubicinem, cui ob virulentam ex lue venerea stranguriam intempestive suppressam exulceratio suborta, & eousq; progressa est, ut vitiatis circumsitis partibus, tandem etiam anum & vesicam eroserit; quo factum, ut spectāte & assistente illo ventris crepitus per penem non semel excreverit: qui eidem malo vel in hodiernum usque diem obnoxius, multisque experimentis factis, etiam per lusum apud familiares hujusmodi spectaculum edere soleat. Ioannes Schenckius.

OBSERVATIO XXIII.

Alia non minus admiratione quam commiseratione digna historia, quibus ostenditur, nonnullos vel naturæ errore, vel morbi occasione per mentulam stercora excluſisse.

LApicidæ cujusdam Scaphusiani filiolus clauso ano natus est, qui diebus aliquot paucis, quibus supervixit, una cum urina stercus per penem excernebat. Puelli cadavere dissecto, deprehēsum fuit rectum intestinum

non ad nates ferri, sed vesicæ implantatũ: quæ causa fuit, cur cum urina alvi fæces excerneret. Cujus Historiam integram libri tertij, sectione prima, Obs. inter eos qui ano clauso nati sunt requires, à CL. V. D.D. Cosma Holtzachio Poliatro Scraphusiano mihi liberalissime communicatam. Schenckius.

Huc etiam pertinet quod anno Domini 1583. mense Aprili videre contigit. Erat in Bercau pago, à civitate Goudana miliari dissito, mulier, quæ prolem masculini sexus cætera perfectum & omnibus modis absolutum enixa est: anum tamen imperforatum habebat, atque ita imperforatum, ut non simplex pellicula, aut caro eidem obducta videretur, quo excrementa per insolitum meatum, hoc est, per penem, aut sola per se, aut una cum lotio excernerentur, totosq; dies undecim, hoc est, tantisper dum infans animam exhalaret, ita continuaret: Neq; hic verisimile fuit, manuali actione aliquid promotum iri, quando via insolita, & inusitato canale sese excrementis exonerarit natura. Balduinus Ronsseus Epist. 14. Miscellan.

Secto cadavere Petri de Schartes, in recto intestino è regione colli vesicæ inventa est carnositas putris, quæ sua putrilagine vesicam ita laceraverat, ut intestinorum excrementa,

menta, ante obitum, una cum urina redderet, ad miraculum usque: & forsam antea non visum. Ferrandus Senior Libello de Nephrit.

OBSERVATIO XXIV

Calamum cum spica quidam per propriæ virgæ meatum adegit, qui sesquennium post ex apostemate in sinistro crure oborto, & suppurato, prodijt.

QVædam res digna nobis visa est, quam silentio minime præteriremus. Namq; ad divinam sapientiam & misericordiam laudandam argumentum & materiam suppeditare etiam, ut alia omnia, potest, qui tantam naturæ vim, tantã rebus efficaciam esse vult. Res Guadaupe me præsente accidit anno à Christo nato millesimo quingentesimo decimo sexto, ea hujusmodi est. Homini cuidã, ex cœnobij familis, cui pascẽdarum capraru cura erat, dũ in agro esset, stulta quædã libido incessit, calamũ spicę cum spica ipsa per proprię virgæ meatum intrudendi: spica autem arida jam, granisq; omnibus decussa erat. Narrabat autem ille nihil se doloris percepisse dum intruderet. Vbi vero educere vellet, non potuisse,

quod ſpicæ ariſtis in carnem fixis vehementi dolore teneretur. Tandem ſe ſatius eſſe duxiſſe totam penitus protrudere, quam eam partem quæ intruſa erat extrahere, atq; intra paucos dies ad veſicam uſque ſibi eſſe tranſmiſſam. Cum autē per totum annum & dimidium mali nihil ſenſiſſet, in urinam cōverſam à ſe mictā fuiſſe putaverat. Poſt hoc vero tempus in ſiniſtro crure apoſtemate laborare cœpit, cujus curandi cauſa ad ejus monaſterij hoſpitiū, quod pauperibus curandis dedicatum eſt, venit: quo in loco dum curaretur, dumq; tumor jam maturus apertusque à nobis eſſet, accidit ut quadā die mane cum ulcus abſterſiſſemus, parvam paleam in ipſo ulcere forte videremus. Eam vero ratus ego cū filis pridie mixtam carni inhæſiſſe, forpiculis tollendam curabam, & demum calamus cum ſpica facile me trahentem ſecuta ſunt. Attoniti autem rei miraculo nos omnes medici atq; alij qui aderant, quid illud rei eſſet divinare non poteramus, donec ſenex ille noſtro rumore excitatus caput attollens, & ſpicā mihi in forpiculis hęrentē videns, ait. Egomet mihi ab hinc anno & dimidio per virgæ meatū intruſi. Atq; ita rē omnem quomodo facta fuerat, & dies quibus penit⁹ à ſe protruſa fuerat, narravit. Quo in loco ſumma nobis admiratio, ſūma divinæ providentiæ

videntiæ laudandæ occasio orta est. Namque ita Deus homini consuluit, ut vesicæ pellis paulatim rumperetur, atque ex rupta spicam ad proximam carnem expelleret, deinde rursus vesicæ pellis coiret, atque caro tumescens matureſceret, & maturo tumore, atque curato spica prodiret. Et tandem senex ille intra pauciſſimos dies liberaretur, nam penitus sanatus est. Arcæus lib. 2. cap. 4. De curand. vuln.

OBSERVATIO XXV.

Capitis cum pene indicibilis prope cõsensus, variis & fere incredibilibus historijs atque symtomatibus confirmatus.

NOn levis consensus inter Caput & Penẽ (ut experientia docet) invenitur. Superioribus namque annis, nostra etiamnum ætate, quodam magni nominis chirurgo, rem quandam, quę veluti filum album, in penis ulcere dextrum versus hærere videbatur volsella rapiente, statim caput & collum ęgri in dextram partem, qua filum erat, reclinatum est, atque ita octo vel novem menses permansit.

Ad hæc chirurgus alter ęgri cujusdam præputium gallicis ulcusculis inquinatum, ungẽto ex hydrargyro semel tantum, & id solum

vesperе inungens , mane faciem illius totam,caputque totum,reliquis partibus integris,excepto p ne,inflatum reperit.

Præterea lanio cuidam urinæ suppressionem patienti,argentea fistula in virgam violẽter immissa , tum sanguine prodeunte statim cervix ingenti cum dolore convulsa est , aures obtusæ, temporaq; , velut re aliqua insigniter comprimente,depressa.

Atque hodie hic Romæ vir quidam nomine Bassaninus apud officinam veterem , ubi nummi signabantur,urinæ difficultati ob carnem in virgæ canali natam obnoxius, quando urina forte supprimitur, statim vehementissimo frontis dolore afficitur, quando autem illa subinde solvitur,statim ab eo vindicatur.

Huic simile Illustrissimo Evandro ex nobilissima comitum familia nuper accidit , per hyemem enim scabie quadam laborabat : circa præputium ingenti pruritu afficiebatur , id sæpe apud ignem ambabus manibus vehemẽter fricabat , sed cum hujus immoderatæ frictionis causa id solum,neque sane totum , sed summa ejus pars , & non alia in gangrænam, deinde in sphacelon intra breve spaciumincidisset , statim surdus effectus est , faucibus velut aculeos sensit , devorare non potuit.

Huc

Huc pertinet quod caput ex coitu maxime omnium imbecillum redditur, quod item & capaciſſimum & veluti cucurbita medica, (ut enim inquit Hipp.) univerſo corpori ſuperſtat ita, ut quæ infra ſunt, facile ad ſe trahat. Alexand. Traian. Petron. lib. 2. cap. 17. de Morbo Gallico.

DE TESTICVLIS, VASIS SPERMATICIS VARIIS ET SCROTO.

OBSERVATIO XXVI.

Teſticuli & mammæ prodigioſæ magnitudinis.

TEſticulos & mammas, alijs utroſque, alijs alterum duntaxat immodice increviſſe compertum habemus. Galenus cap. 9. lib. de diff. morb.

OBSERVATIO XXVII.

Ob caſtitatis votum inviolatum cuidam teſtes cum vaſis ſpermaticis mire contabuerunt.

Nos

NOs olim in Agro Barchinonienſi obſervavimus in cadavere Religioſiſſimi Monachi à Pleuritide & peſtilenti febre abrepti, cujus teſtes in adoleſcentia (ut ipſe adhuc vivens tanquam inauditum quippiam nobis retulit) licet moderatam magnitudinem à natura fuiſſent adepti, nihilominus proceſſu temporis, ob votum caſtitatis inviolabiliter ab eo per multos annos obſervatum, fere penitus contabuere, vaſaque ſpermatica ejuſdem Monachi, una cum ſemine ejus redundante adeo aruere, ut cum ejus cadaver ſecaretur, exſiccatorum nervorum, ſeu duriorum ligamentorũ potius imaginem præſe ferrent. Vidus Vidius Iunior, de Curat. memb. lib. 11. cap. 2.

OBSERVATIO XXIIX.

Sine teſticulis nati, qui natura eunuchi ſunt: vel unico ſolum.

Εὐνοῦχοι qui ab ortu, βάκηλοι qui aliquando viri fuerunt, ijdemque forte Spadones, ἀπὸ τῆς ἀπάδης. Item ἀποκοπὴ & ἐκτομία, Lucianus in Eunucho.

Sunt Eunuchi, qui de matris Vtero ſic nati ſunt: Et ſunt Eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus: Et ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cœlorum. D. Matth. ca. 19.

Arria-

Arrianus Iureconſ. ſcribit Digeſtis de re militari, Sillam & Cottam uno tantum fuiſſe teſticulo inſignes. Author item Vlpianus eſt, Digeſtis de ædilicio edicto: ſanum videri, qui unum teſticulum habeat, quoniam poſſet generare. Cælius Rhod. lib. 4. cap. 7. A.L.

Dorotheus Præſul Antiochenus, vir eruditiſſimus, Græce & Hebraice doctus, Eunuchus ab ipſa geneſi fuit: quo magnopere Aurelianum Principem delectatum fuiſſe teſtatur Euſebius.

Sunt Eunuchi qui de utero matris ita nati ſunt, & ſunt Eunuchi, qui ab hominibus enũchizati ſunt, & ſunt Eunuchi, qui ſe caſtraverunt propter regnum cœlorum. D. Hieronymus contra Iovin.

Dicuntur Eunuchi qui nati ſunt ſine teſticulis, vel quibus ante pubertatem teſticuli ſunt exſecti, & aliquando totus coles. Hollerius ad aph. 28. lib. 6. Hippocrat.

Sunt duorum generum, aliqui ſic nati, alij præciſione facti: quidam à pueritia ſtatim, alij jam grandiores natu: & quidam præciſis genitalibus totis: ut nunc apud Turcas: quidam ſolum exemtis teſticulis, ut apud nos curandæ hernię cauſari ſſimum. Cardanus ad eundem aph. Hipp.

Qui cum uno teſticulo natus eſt, quive amiſit,

miſit, jure militabit, ſecundum d. Trajani reſcriptum, nam & duces Sylla & Cotta memorantur eo habitu fuiſſe naturæ. Locus eſt lib. 49. Pandect. juris, titul. 17. qui eſt de re militari. Aliſius ait ſe vidiſſe hominem cui teſtes fuerint exigui, fabarum inſtar, illum non generaſſe, barbam & aſpectum non virilem habuiſſe, & alium ſcroto prorſus vacuo, ſed aſpectu ſatis virili, barbatumque. Arrius Menander lib. de re militari: Annotante CL. V. Geſnero, & communicante D. D. Caſparo VVolphio.

Vidi qui natus eſt cum uno teſticulo tantũ. Hali comm. ad lib. 3. techn. Gal. text. 177.

Vidi canem, qui cum uno tantum teſte fuit genitus, ita & ſine oculis. Trincavella de rat. Curand. particulares humani Corporis morbos, lib. 11. cap. 25.

OBSERVATIO XXIX.

Aliquando etiam tres teſtes viſos in quibuſdam, id quod familijs nonnullis proprium & ſingularis libidinis argumentum exiſtit: quinetiam tuberculum tertium teſticulum ementiens animadverſum.

Agatho-

Agathocles Siciliæ Tyrannus à Timæo τριόρχης dictus est, sive quod avi Triorchi, quem Buteonem vocant Latini similis esset rapinis, sive ab efferata libidine. Nam ingressus pubertatis annos, libidinem à viris transtulit ad fœminas. Traditur item cum esset perfunctus fato: uxorem quærulam flebilibus modis illud subinde ingessisse τί σ' ἀπέκτεινα, τί σ' ἀπέμεσον. Quid non ego tibi, quid tu non præstitisti mihi. Cæl. Rhod. lib. 24. cap. 4. A.L.

Bergomi familia Coleonum illustris (Bartholomæo Coleono & fortitudine & fide apud Venetos clarissimo insignis, cujus equestrem statuam Venetijs in area D. D. Ioannis & Pauli videre licet) hoc peculiare habere fertur, ut multi ex ea familia mares tres habeant testiculos. Cui rei attestatur, vel saltem suspicioni occasionem dedit gentilitium familiæ symbolum, tres nigros continens testiculos. Hinc proverbium Italis usitatissimum, Coglioni da Bergamo de re monstrosa & inaudita, non autem ut vulgus aurumat, de homine stupido & obscœno. Idem loco citato.

Francisco Philelphio tres fuisse testiculos proditum scio. Idem lib. 17. cap. 12. A.L.

Illi

Illi quos τριόρχας vocant, esse solent libinis indomitę, quod verum esse scimus in quodam viro. Montuus cap. 37. tom. 4. Anascev. morb.

Tertium testiculum omnibus cujusdam familiæ superare novimus. Fernelius lib. 1. cap. 8. Patholog.

Observavimus in Anatome viri cujusdam, tres testiculos. Quidam ex adverſ. Ioan. Dryandri.

Δίδυμοι (dicuntur) quod singulis hominibus bini ut plurimum soleant esse testiculi. Etiamsi τριόρχας quosdam, sicut inter accipitris genera bulconem legimus. Iod. VVillitechius lib. 1. cap. 19. Anatom.

Videre nobis contigit in puero typographi filio tertium testiculum. Nec desunt qui asserant quibusdam familijs peculiare esse, ut tertium habeant testiculum. Scholiographi ad cap. 62. lib. 1. de morb. Intern. Hollerij.

Testium in viris situs nulli non est conspicuus, & ut binarius ipsorum numerus, unde etiam δίδυμοι & gemini appellantur: quamvis interdum unus tantum, & interdum tres simul reperiantur: at id rarius quam nonnulli existimant, tertium testium tuberculum aliquod præter naturam, in scroto reconditum

enume-

enumerantes. Vesalius lib.5.cap.15.de Corp. hum.fabrica.

OBSERVATIO XXX.

Vlcus latens in peritonæo, ex quo altero testium intenso dolore intumescente mors consecuta est.

VIdimus aliquando Adolescentem, cui testis cum vehementi dolore intumuerat. Is nullis auxilijs adjutus, tandem obijt. Inventum est ulcus exiguum circa peritonæum, è quo perennis saniei defluxio in testes tumoris causa fuit, & mortis. Iacotius Comment. ad Coaca Hipp. pag. 826.

OBSERVATIO XXXI.

De carcinomate sinistri testiculi ob emolliẽtium & resolventium medicamentorum usum exulcerato, ac in cancrum immedicabilem conversо.

NObilissimus & magnificus vir N. annos 28. natus, constitutione gracilis, temperamento bilioſus, statim à duodecimo ætatis suæ anno, & frequenti Veneris consuetudine utebatur, & inordinato assiduæ equitationis exercitio corpus exagitabat : quæ duo tum

meatuum relaxatione, tum debilitationis interventu disposuere membra genitalia ad suscipiendos defluxionum impetus à partium superiorum concitatione: veluti etiam capitis quod acuminati verticis respectu continuæ destillationi adeo erat obnoxium, ut præter ingruentes quasdam arthritidis minitationes, vereretur, ne materiæ ad pulmones delapsus, aliquando tandem induceret insanabilem tabidæ luis contagionem. Huic vero apparatui materiam suppeditat prava victus observatio, quæ maxime propter patrium (hoc est Germanicum) compotationum morē sanguineæ moli communicavit summam humorum corruptionem & adassationem, quam forsitan auxerunt reliquiæ labis Neapolitanę male curatæ, cujus insignijs alias quoque ornabatur ad lascivæ juventutis imitationem. Ex eo occasionum confluxu incurrit progressu temporis, intercedente tamen hernia varicosa, in sinistri scroti tumorem, quem primum quidem vulgaris chirurgi studio cataplasmatibus discussum iri sperabat: at indies malo ingravescente, me citari jussit. qui prævio loci affecti intuitu, ilico meam de Sarcoceles præsentia sententiam, adstante chirurgo pronunciavi: & hanc eo usque progressam, ut nulla rerum applicatione resolvi aut discuti posset:

atque

atque operam lusuros quotquot in eum finem aliquid tentarent. Hoc tamen suasi, ut contentus ad septimanas aliquot sola incrementi ejus mali prohibitione, per applicationem illorum, quæ leviter refrigerando exiccarent, aquæ plantaginis incocta, & victus legis studiosa observatione: ut nimirum à vehementiori equitatione, insolescentium incussantiumque equorum usu, continua veneris exercitatione, & poculorum certamine desisteret. si tamen interea temporis tumorē increscere animadverteretur, posse tuta illius tumidi testis ablatione malum prorsus tolli, maxime si victus & reliquarum necessariarum observatione comitaretur obedientia. Ille neglecto consilio in rerum non naturalium delicto, & naturalium transgressione persistens, ferocemque equestris concussionis tumultationem commodæ sessioni curruli præponens, in consueta vitæ libertate perseverabat. Pertæsus tamen valetudinariæ conditionis, tradit sese in potestatem chirurgi, cujus mira in similis cas profligatione felicitas prędicabatur: qui præstita opera pollicitatione applicuit cataplasma sibi πολύχρηστον, ex multa emollientiū & resolventium farragine congestū: quod haud obscure ostētavit ignorationē suā circa & medicamētorū usū & ægritudinis

essentiam. Hinc variorum hominum consilia secutus æger, topica experitur multiplicia, partim emollientia, partim discutientia & resolventia pulmenta, cataplasmata, unguenta, linimenta, cerata. Hac ratione eo promotum est post paucorum mensium curriculum, ut supra testem leve tuberculum rubore aliquo tinctum apparere cœperit, quod à chirurgo pertundebatur: immissoque specillo ad scrotũ usque, id identidem aperiebatur: nihilque effluxit, ac tentæ immissæ extractęque nullũ latentis in eo tumore humoris indicium commonstrabant. Quare ijs quę mollirent, putrefacerent, ac pus generarent perseveratum est, donec proserperet, seq; ostentaret, latens cãcer, rerum dictarum applicatione permotus, irritatusque: qui deinde eo loco putredini usque adeo obnoxio, furore tanto brevi efferbuit, ut ater, teterrimo cum fœtore, & frequẽti sanguinis fluxu tumoris multam partem depasceretur, exederetque miserabilem in modum. Sic tandem cruciatus incredibilis continuatione, & fœtida putredinis exhalatione victus, animam cum magna sui ipsius abnegatione libenter Deo reddidit, commendavitq; in Ianuario, ãni sexagesimi quinti supra sesqui millesimum. Ante mortem, cum ex Illustrissimi Principis nostri ministerio ad meam familiam re-

liam reversus, ab ægroto vocarer, mox cum multo luctu exclamabat: Vtinam tuo obsecutus fuissem consilio. Nec alio hujus narrationis institutum quis torqueat, quam ut in similis vitij ambiguitate, provide magis consilij ratio perpendatur. Nam ab emollientibus cancrum mire exasperari, diligenter prænonuit Galenus lib. 5. simplic. quod ratio etiam dictat, cum putredinis parens & auctrix sit mollificatio. VVierus lib. Observat.

OBSERVATIO XXXII.

Lapilli in testiculis geniti.

TOphi & in testiculo & in membrana erythroide occallescunt, renixu multo duritie & inæqualitate à carnoso ramice & aquoso discreti. Paulus Ægineta lib. 6. cap. 63.

Monspelij in cadaveris cujusdam dissectione, testiculi lapillis pleni inventi sunt. Gesnerus lib. de Fossil. lib. cap. 11.

Lapillos in pulmonibus studiosi cujusdam rotundos, albos tophaceos, uti & in testibus sectione deprehendi. D.D. Felix Platerus in Observat. suis.

Inter varia quæ de calculorum generatione scribuntur, etiam notandum videtur: quod, cum Anatomiam facerem, in sinistro testiculo, lapillum albicantem, & nonnihil gem-

mæ modo nitentem, lenticulæ fere figura, sed majorem, esse generantum, invenerim. Quod cum clariss. D.D. Philipp. Mentzelius collega meus observandus, tunc etiam præsens, vidisset: Lapidem illum orchiten esse appellandum scite dixit: Vbi & illud notandum, quod hoc in eodem corpore contigerit, in quo splen adeo magnus fuit visus, idque in splenis latere sinistro. D.D. Cyriacus Lucius in Observationibus suis.

Anno Domini M. D. LXVIIII. in dextro testiculo, decollati cujusdam hominis, lapillum subalbidum, lentis magnitudine inveni; quem, ob rei raritatem, in hunc usque diem asservo. D.D. Ioan. Knoblochius.

OBSERVATIO XXXIII.

Monstrosæ Venarum & Arteriam seminalium conformationes: quarum nonnullæ, vel θηλυγονίας, vel indomitæ veneris causæ videntur.

BInas in eodem latere seminarias venas animadverti. Columbus lib. 15. Anat.

Sæpe videre datum est nobis tres, quatuor arterias seminales. Corn. Gemma. Art. Cyclonom. lib. 2. pag. 75.

Infima

Infima trium emulgentium ad confinium, cavæ, unde fuerat explantata, proferebat de se venam σπερματικὴν, (quod alias tantum, & perpetuo quidem, in sinistris usu venire solet) cujus caput supra in modum infundibuli dilatabatur, partibus inferioribus sese in canalem arctiorem coangustantibus, quo seminis materia profundi affluentius, ac ceu prodigi potuit. Non enim aliunde, quam hinc peti posse causæ videntur, non solum uberioris in isto homine seminis proventus, & aviditatis exercendi venerem prope inexhaustæ, quæque vix satiari posset, super qua paulo ante supplicium quæstus fuerat, ingenue pernegans ullo unquam præter hunc in vita sese morbo divexatum fuisse: sed & θηλυγονίας perpetuæ, cui solũ habilis à natura esset. Nunquam enim marem procreavit, neque in conjugio, neq; in adulterio atque stupris, quibus creberrime se polluerat, ob assiduos stimulos impetusque veneris, quos inhibere omnino ipse nequijt. Est autem hoc satis notum jam æque testatum, ductus, quibus in corpore provincia aliquo deferendi materiam data est, tanto promtius & liberalius sibi concreditos humores distribuere, quanto sunt decliviores. Rursum quo σύψασις seminis liqui-

dior est magisq; fluxa, hoc effœminatius fere id esse, quippe quod negligentius elaboretur, & caloris, qui ejus quasi anima est, minus possideat. Denique, quanto semen de copiosioris seri ammistione acrius redditur, tanto ad veneris usum incitare ac lacessere vehementius. Hinc nimirum neque modum Veneris sibi facere, neque marem procreare potuit. Iam vero etiã σπερματικὰς arterias è caudice aortę vidisses emergere, non similiter alijs, sed prægrandem ramum ac singularem recta aliquousque inde progredi, postea infra exortum pollicis latitudine in alios duos dirimi, directos in involucra testium, ad vitalem ijs spiritum afferendum. In corporibus animantium nusquam perinde ludit divina potentia & sapientia, ut in renibus & stomachis eorum emulgentibus. Salamon Albertus in structura Vreterum Renis dextri mirifica.

OBSERVATIO XXXIV.

Vasis semen in penem deferentis cavitas exemplo demonstrata.

VAsis hujus in penẽ insertio cõspectũ quodamodo fugit, & coit?, aut alias excretionis seminis tãtũ tẽpore aperitur, quod quidã

Patavij

Patavij dissect⁹, facile edocuit. qui ante suspēdiū involuntario seminis fluxu laborans, hos meatus omnes apertos, laxosque habuit, eos potissimū, qui ex testibus in deferentis semen vasis revolutiones gyrosve pertingunt, & quibus dextrum & sinistrū deferentia semen vasa in vesicæ cervicem terminantur. Vesalius lib. 5. cap. 13. de corp. hum. fabrica.

OBSERVATIO XXXV.

Glandosum corpus collo vesicæ adnatum, gonorrhœa laborantis, semine non minus quam testes refertum visum.

IN involuntario seminis fluxu laborāte, quē Patavij dissecuimus, corpus glādosum cum divideretur, non minus quam testes ipsos semine oppletum conspeximus: & si verum fatendum est, inter dissecandum in nulla penitus corporis parte tanta seminis vis usquā, atque in hoc glandoso corpore adinvenitur, quantumvis id à testium substantia, mollitie, æquabilitate, multum variet. Idem Vesalius, Libro & Cap. supra scripto.

OBSERVATIO XXXVI.

Glandoso corpore, quod collo vesicæ adhæret, nimium resiccato: urinæ difficultas inducta: atq; curata.

NVper quidam difficulter urinam mittebat, ijs exarefactis adenis, quæ paraſtatæ vocantur, variciformes seu adeniformes, & sunt partes additę inter testes & seminaria vasa, quales in faucibus reperiuntur, nec nisi ingenti urinæ pondere exonerabatur vesica: ficque perfundi eas partes unctionibus, atq; universum corpus instaurare jussi, & ita libero urinæ meatu sanitati restitutus fuit. Suspicienda me hercle historia rarius cōtingens, cujus meminit Iul. Pollux referente Alexandro Benedict. lib. 24. cap. 3. de curand. morb.

OBSERVATIO XXXVII.

Lapides in glandoso corpore, quod collo vesicæ adhæret, animadversi.

NOs in D. Friderico Triviolo dispositorum equorū Mantuæ Magistro in glanduloso corpore illo, quod vesicæ collo adnascitur, & in quod deferentia vasa, postquam soiere, inseruntur: seminis elaborationi, præter

ter alios usus, inservieti, quemadmodum probat Vesalius adversus Gal. lib. 5. cap. 13. observavimus lapidem infixum. non poterat hic vir semen, nisi paucũ admodum aquosumque valde, in coitu excernere, dissectusque pro lapidis vesicæ extractione ab empirico occubuit.

Sit in Ioanne Maria Facino medico Mantuano, in eodem corpore glandoso, ut mihi retulit Cornelius Manilius Chirurgus, in dissectione lapillum pusillũ invenit. Quare text. Rasis 10. cap. 2. cum ait, Et non vidimus lapidẽ in glandulis, existimo mendosum esse: & potius legẽdum, Nos vidimus lapidem in glandulis: ita ut impressoris vitio litera S fuerit conversa in L & N. Marcell. Donat. Hist. Med. Mirab. lib. 4. cap. 30.

OBSERVATIO XXXIIX.

In scroto lapis visus qui ex ejusdem exulceratione procidit.

MOnspelij scrotum quidam prætumidum habebat, quũ vero medici dubij essent, tandem ex putredine ruptũ apertumq; fuit: unde lapis excidit in quinq; partes diffractus. Saporta, alijsque velut rarum & singulare quidpiam admirantibus. Nec forte unquam alias in oscheo lapides visos. Id quod ego à Præce-

Præceptoribus Monſpelij annotavi. Iacobus Moccius.

OBSERVATIO XXXIX.

Lapilli ex collo veſicæ & ſcroto per ſectionem exemti circiter 178.

ANno Chriſti 1581. Menſe Februario, in Noſocomio publico, quidã juvenis, annorum 28. ante aliquot annos in calculo veſicæ fuerat ſectus, ac lapis ſatis magnus, integer exemtus. Lithotomus autem minus peritus, aut diligens, tantum reſpexit ad externũ vulnus, quod alioqui facile conſolidatur, neglecto altero ad collum veſicæ, quare hoc tandẽ in fiſtulam degeneravit. Ex ſordibus itaque & ſanie circa collum veſicę, & in ipſo ſcroto, purulenta & ſabuloſa materia paulatim fuit collecta, quæ tandem in lapillos plurimos concrevit, ac ſcrotum intumuit, ut pro hernioſo illum omnes haberẽt. Perpeſſus vero eſt longo tempore ingentes cruciatus, & ardorem urinæ vehementiſſimum. At natura tandem exitum quęrẽs, fiſtula ſuppurata fuit aperta, & lapides paulatim protruſi ad 23. circiter. At cum tumor & dolor non decreſcerent, ſed inſuper grandior lapis, (qui, ut poſtea apparuit, formam & magnitudinem lupini omnino repræſentabat) ἰσχυρίαν periculoſiſſimam inferret,

ferret, lubens se rursum sectioni subjecit. Quę fuit administrata à lithotomo Reipublicę nostræ exercitatissimo, Balthasaro Gros, atque exemti lapilli 152. quorum duo grandiores lupinos referebãt magnitudine & figura. Cæteri vero omnes quadrangulares, sed multo minores fuere. Fistula deinde mundata, & topicis convenientibus magna diligentia adhibitis, spatio unius mensis misellus iste valetudinem satis tolerabilem Divina benignitate, est rursum consecutus. Huic Curationi postea quam videret me lithotomus, meus amicus, cum summa admiratione interesse, in rei, alioqui vix credendæ, testimoniũ lapillos istos mihi donavit, quos adhuc inter rariora nonnulla asservo, & alijs Doctissimis Medicis ostendere soleo. De observ. Cl. V. D. D. Ioach. Camerarij.

DE COITV.

OBSERVATIO XL.

Ex effreni coitu sanguis purus emictus.

AB Archigene scriptum reperio quibusdam per circuitus, ut in hæmorrhoidibus, sanguinem multum collectum renibus emingi,

emingi, unde ſubleventur; idque accidere juvenibus qui majori licentia Veneri indulgent. Mileſius quidam apud Aurelianũ. 5. χρονιῶν, ſanguinem emictum affirmabat eſſe ex infirmitate ſeminalium vaſorum. Ab Aureliano reprehenditur. Sed cum experientia doceat è renibus per vaſa ſpermatica defluere, & ab his & à renibus exire certum eſt. Vidimus qui à coitu multum ſanguinem effunderent, quiq; non facile reprimeretur, laxatis nimium vaſis, & imbecillioribus redditis, profuſo omni ſemine. Scholiograph. ad ca. 52. lib. 1. Hollerij de morb. intern.

Nos ipſi vidimus adoleſcentes duos, qui propter immoderatam venerem ſanguinem purum mejebant. In his veriſimile eſt fuiſſe vaſorum ſpermaticorũ imbecillitatem. Hollerius Comm. ad Aph. 78. lib. 4. Hipp.

Meminit Theophraſtus radicis cujuſdam, ab Indo allatæ, qua non edentibus ſolum, ſed etiam tangentibus genitalibus, coitus vel ſeptuageſies provocabatur. Verum emiſſionem ſeminis guttatim tantum proceſſiſſe, demumque in ſanguinem deveniſſe. Vide Lemma Aphrodiſiaſtica prodigioſa.

Quod attinet ad Patavinum illum (qui pedellus erat univerſitatis) hæmorrhagia per penem laborantem, retulit eam mihi hiſtoriam.

Nob.

Nob. Dn. Volcardus Mülstetter à Mauren, Tytolensis, Anno 81. cum una degeremus Lutetiæ fuisse nimirū uxoratum, qui (ut Medico confessus erat) intemperantius uxori gratificari voluerit, & in hæmorrhagiam copiosam per penem inciderit, adeo ut in tribus diebus ultra mensuram nostratem sanguinis puri, floridi, & non grumosi emiserit, eundē curatum esse refrigerantium & consolidantium internorum & externorum medicamētorum usu, præmissa venæ sectione. D. D. Martinus Holtzapfelius.

OBSERVATIO XLI.

Coitus desiderio flagrantes nonnulli, semine loco crepitus per alvum elidere soliti.

ADolescens quidam nos accessit, & se vehementer coitum appetere cōfessus est: verum ubi cōmiscere tur semen emittere non posse, sed flatus plurimos sibi per sedē erumpere. In hoc itaque conjecturam feci, vasorum seminariorum siccitatem adesse: quod ipsum etiam adepta sanitas demonstravit. Nam postquam humida & boni succi diæta esset usus, semen emisit. Aëtius Tetrabib. 3. Sermon. 3. cap. 55.

Iuvenis

Iuvenis Dalmata, forma eleganti præditus, mœstus & tristis ad me venit, se malle mori inquiens, quam simile vitium pati, hic namque, cum coibat cum muliere, nullum emittebat semen, sed potius ventris crepitus pedebat, qua de re, eum à tanto dedecore, & vitio liberem, me rogat. Ego vero hujus vitij causam inquirens, multam pituitam crassam, inferiore intestino hærentem, conjeci. Cujus præsentia, vasa seminaria frigida & coarctata erant, unde semen genitale deficiebat, pituita vero, motu & caliditate dissoluta, in flatus vertebatur, quã primo depellere statui. id quod assecutus sum, proposito primo victu calido, qui ex cibarijs optimis & multi succi constabat, veluti potu vini vermiculi & odori, dein vero præparato per oxymelitis assiduum potũ corpore & recte purgato, ac injectis infusis pituitam quoque hanc minuentibus, imum ventrem & inguina ac inter anum & pudendum hoc unguento illini faciebam quod habet, Piperis albi & nigri ac longi an. drach. unã semis, seminis erucę, seminis urticæ, nigellæ an. drach. semis. pyrethri scrup. unum, ol. lilini, in quo injectæ sunt erucæ herbarum, aut pinus animalia tria vel quatuor, & per aliquot dies insolata unciæ duæ, de castorio uncia semis, ceræ q. sufficit misce fac unguentum, & eo ut

dixi

dixi partes inungantur, præcipue in aurora, & eâ nocte in qua non coibat, nam hora coitus vino calido se lavabat, sed in aurora etiam, & hora coitus, unciam mediam ad drachmas sex hujus electuarij deglutiebat, & super parum vini malvatici pitisabat, habet autem sic. ℞. diasatirionis uncias duas, diagalangæ drach. duos, specierũ diambræ, diamoschi an. scrup. duas, ramenti pudendi cervini aridi drachmã semis, nucum pinearum, pistaceorum, amygdalarum dulcium mundatarum an. unciam semis, carnis scinci drach. duas, seminis erucæ, urticæ, nasturtij an. scrup. unũ, pectusculi capi cocti uncias tres. terenda terantur & melle optimo fac Electuarium liquidum secundum artis ordinem, ijs enim hic intra mensem voti compos fuit factus, & artis laudum maximus evasit buccinator. Amat. Lusitan. Cent. 6. Curat. 95.

OBSERVATIO XLII.

Coëuntibus nonnullis etiam ventris crepitus didi: vel alvi excrementa, magna fœditate profluere.

SVnt qui in Coitu ventris crepitum emittant, ut Arcesilaus. Nonnullis vero horror fit. Quibusdam autem sicut Demagoræ, ubi cum mulieribus congressi fuerint, venter

inflatur. Hippoc. Aphor. 20. Partic. 3. libr. 6. Epidem.

Senibus cumplurimum in venere excrementa fluunt: resoluto nimirum ani musculo, ex naturali imbecillitate, vel frigida pituita resolvente: vis enim illa omnis ad genitalia in venere transmittitur, subducto à sede spiritu. Id evenisse cuidam Andreæ Tragurienſi tantum novimus, ex vehementi enim voluptate id accidere scribunt authores. Alexander Benedict. lib. 24. cap. 36. de Curand. morb.

Ani musculi juvant paratatas in emissione spermatis in coitu: cujus signum est, quod sunt aliqui coeuntes simul & egerentes. Carpus in Isagoga Anatomica de recto intestino.

Cacando quidam semen emittebat Paduæ, homo quadraginta annorum. Acroama cujusdam.

OBSERVATIO XLIII.

Bestiolam exiguã, pilosam, polypodem, cum multo semine ejectam.

EPhebus Athenis serpentem pusillum, pilosum, & plurimis pedibus statim ambulantem, multo cum semine ejecit. Plutarchus lib. 8. Sympos. Problem. 9.

OBSER-

OBSERVATIO XLIV.

In Coitu semine destituti ob Gonorrhœam in somno.

A Dolescens domesticus minister, confessus est se, quando cum muliere rem haberet, semen effundere non posse: quum vero dormiret, plurimum ei semen prodire. Visum itaque mihi est, vasa ejus seminaria, propter multam una cum frigiditate humiditatē, calfieri nō posse, propterea quod caliditas in cocundo ad corporis superficiē diffunderetur. In somnis vero amplius calefieret, propterea quod somni interna calefaciunt, & refrigerāt exteriora. Quare hunc ipsum infernas partes exercere jussi, atq; id maxime per equitationē. Castoreum etiam bibendum præbui, & diætā omnem calidam & siccam constitui. Aëtius Tetrabib. 3. Sermon. 3. cap. ultimo.

Dum ipse Medicinam facerem Excellentiss. Medicus, doctissimusq; philosophus, felicis recordationis, Franciscus Valerius, qui peste anno 1576. urbem nostram vastante, dum magis alienæ quam suæ vitæ curā gereret, extinctus est: me consuluit, ut sentētiam meam ipsi aperire vellem in casu illustris juvenis, qui in venereo cōgressu cum muliere semē emittere nequibat: quamvis in somno atq; manib. perfricata

fricata mẽtula, vel nullo negotio excerneret. Quod pariter & alteri M. viro urbis noſtrę accidiſſe teſtari poſſumus, licet eorum nomina, cum adhuc vivant, ſilenda eſſe decere arbitremur. Marcell. Don. Hiſt. med. mirab. lib. 4. c. 18

OBSERVATIO XLV.

De ijs, qui ſemen non excernunt.

AVdivi ab Helideo, ſe quẽdam noviſſe, qui propter teſtiũ duritiem, ſemen nunquã excreviſſet, & tales ſteriles eſſe. Similis caſus etiam mihi oblatus eſt, quũ anno 57. in Montibus Sebenenſib. Galliæ, non procul Monſpeſſulo medicinam faceré. Huic tendebatur quidẽ membrũ, & actu venereo utebatur quidẽ, ſed non abſolvebat tamen, quia ne tantillum quidem ſeminis ejaculabatur. Præſcripſeram tum ei quę ſemen generarent, & vias aperirẽt, verum utrum profuerint, quum nõ ad me redijſſet poſtea, ignoro. Helideus dixerat tum quoque nonnullos ſteriles naſci propter conſtellationem, Saturni & Martis in quinta, idq; in quodã ab eo fuiſſe obſervatũ. Ex annotatis Bononiæ, & ppria praxi D.D. Caſp. VVolph.

OBSERVATIO XLVI.

Quidã coeundo, præpopere nimis ſemen profundunt, cum ſterilitatis noxa.

Multos

MVltos novi, qui procreare liberos minime cum uxoribus suis poterant hac præsertim ratione, quia non poterant tantisper in effundendo semine morari, donec & mulier moveretur & resolveretur, ut coitus utriusq; seminis fieret. Trincavella lib.11.cap.17.de rat. curand.part.hum.corp.affect.

OBSERVATIO XLVII.

Castratos coivisse, & semen exclusisse.

EXectum virũ etiam coijsse, scribit Albertus, ac genitalem profudisse urinam, sicut taurum Aristoteles. Et Varro. Admirandum, inquit, accepi, exemtis testiculis, si statim vaccas admiseris, cõcipere. Confirmat Columella, ratione non omissa: nec non Palladius: sed sanguinis fluore vitulum interire opinatur, etiãsi generet certissime. Cœlius lib.4.c.4.A.L.

Si à nativitate, vel paulo post, exsecti sint testes, maneant tamen virga & scrotum, Venere uti poterit, sed nõ generare. Vt apud Martialẽ.

Cur tãtũ eunuchos habeat tua Gellia, quæris
Pannice? vult futui Gellia, non parere.

Cardanus comment.ad Aphoris.27.Hipp.

Aristotoles ait esse animalia quædã quę generent absq; testiculis. Et apud Vitruvium fit mentio tauri, qui exectis testiculis statim coijt

& generavit, & ſpadones generant, modo relicta ſit pars ſuperior teſticuli. Eunuchi emittunt ſemen, ſed nō generant. Hollerius Com. ad aph. 63. lib. 5. Hipp.

OBSERVATIO XLXIIX.

In venere mortui.

COrnelius Gallus Prætorius, & Titus Ætherius eques Rom. inter uſum (quidam addunt Puerilis) veneris abſumti ſunt. Val. lib. 9. cap. 12. Plin. lib. 7. cap. 53.

Beltrandus Ferrerius in Hiſpania Barcellone in venere expiravit. Pontanus lib. de Obedientia cap. 10.

Diximus ex Ariſtotelis Quæſtionibus venere hominem plurimum inter cætera animalia diſſolvi: quod plurimum genituræ ſpiritalis uno initu diffundat, atque ita ſalaciores laxari, breviorisque vitæ fieri, paſſerum natura, quibus vita breviſſima eſt. Ex nimia (ut conſtat) veneris voluptate, quidam interiere. Exemplo cujuſdā Viturij Senatorij Ordinis, qui admodum ſenex, in venere obijt. Alexand. Benedict. de Curand. morb. lib. 24. cap. 22.

Giachetus Geneva Salutianꝰ, inter Salucianos clarus homo, ætate jam ingraveſcēte, per poſticā puellam admittere cōſueverat, prætextu ut enſilium curādorum, veſtiumq; purgandarum.

tum. Quodam die cum puella diutius, quam consueverat, recipere se ad uxorem ac liberos tardaret, seriorq; hora uxorē ac liberos in suspicionem adduceret, ne quid marito adversi contigisset, quia strepitum nullum, in musæo, evoluendorum librorum, (ut ei mos erat) exaudiebant: posteaquam vocando pulsandoq; non profecerunt, effracto loci ostio, cum lumen intulissent, invenerunt, in puellæ complexu cum illius ventri, eo modo, quo venus exercetur, incūbere, atq; utrumq; exanimē, sine ullo violēte mortis signo, esse. Fulg. li. 9. c. 12

Novimus mulierem, scortū insigne, Lucretiam vocatam, quæ in coitu aliquando animo linquebatur. Marcell. Don. Hist. med. mirab. lib. 4. c. 17. Quo loco causas hujus eventus, uti in plerisq; alijs, efficaces & eruditas deducit.

OBSERVATIO XLIX

Exemplum ignotum cujusdam, qui plagis ferventior cooriebatur in concubitum.

HOminum naturam extra reliquorū modum admirātibus succurrit exemplū raro alias auditi eventus. Siquidem non multis ab hinc annis vixisse quendam in Venereis, nō gallinaceæ salacitatis, verum ingenij stupendi ma-

di maxime, quodque vix impetret fidem, ex adjuratiſſimis compertum eſt: qui quo pluribus affectus fuiſſet plagis, eo impetuoſiusque ardentiusque in concubitum ferebatur præceps. Fuit omnino mira res; neſcires, utrũ affectaret avidius verbera, an coitum, niſi quod illorũ mentu libidinis voluptas conſtabat. Proinde extẽtis ſe precibus difflagellari expoſcebat, pridie quam id pateretur flagello aceti aſperitate obdurato: quod ſi converberator lentius agere foret viſus, velut extimulãte rabie convitijs inceſſebat: nec factum ſibi ſatis arbitrabatur, ni inter cædendum ſanguis ſeſe oſtendiſſet. Vnus, opinor, mortalium inventus, qui eodem impetu in ſuppliciũ ferretur, ac delitias: quique inter tormenta ſenſuum titillationes ac æſtuantem pruritum, vel expleret, vel incenderet. Quodque nec mirum minus eſt, non latebat hominem flagitij inuſitata ſpecies, ſeq; in eo exęcrabatur, ac ſibi ipſi erat infeſtus. Cæterũ conſuetudine depravata amplius prævalente, utebatur vitio, & improbabat. Irroborarat vero ea, radicesque egerat altius, quod ita foret aſſuetus puer, cõmunicata ſtupri fœditate, inter æquales plagarũ allectatione. Documento inde præſigni, quantum moribus inoleſcẽdis, educationis poſſit ratio. Cœlius lib. 11. cap. 15. Antiq. Lect.

IMPO-

IMPOTENTIA VENEREA.

OBSERVATIO L.

Virilitas ademta & restituta.

CVm nobilis quidam adolescens, in pudendis, pediculorum quodam genere, quod ea loca maxime vexat atque infestat, conflictaretur, à Chirurgo quodam petijt, ut sibi unguentum aliquod ad depellendos illos subministraret. Chirurgus exhibet illi quoddam ex argento vivo confectum, quod ille dum aliquoties illeviſſet, sensit membrũ virile plane frigidum, ac torpidum, & ad venerem plane ineptum. Quo damno vehementer perculsus, cum mihi noxam hanc apperuiſſet, dixi bono animo esset, fore ut naturalem vim genitalium brevi reciperet. Itaque ut una illa animalcula depellerem, & illum torpem genitalium corrigerem, dedi ipsi oleum spicæ subinde illinendum. Quo cum usus esset, & illos pediculos fugavit, & genitalem vim brevi tempore recepit. Caveant vero Chirurgi ne unguẽnto illo mercuriali, magno ægrorum incommodo, abutantur. D.D. Iacob. Oethæus lib. Obser. propriarum.

OBSERVATIO LI.

Iuvenis veneficio mutone spoliatus, quomodo restitutus fuerit.

NOnnulli reperti sunt ex veneficio mutone privati, ut ex multis historijs patet. Quorum unam duntaxat hoc loco referre liceat. Iuvenis, obscuro loco natus, diu quadam juvencula potitus, nolens deserere, reperit se genitalibus privatum. Cum vero tristis cellarium vinum emturus adivisset, supervenienti cuidam mulieri causam tristiæ aperit, & effectum ipsi inquirenti monstravit, quamq; maleficam in hoc negotio suspectam haberet, dixit. Cui mulier, vel blandissimis verbis ac pollicitationibus, vel minis & vi opus est, ut eam ad pristinum statum restituendum cogas & impellas. Qui monitis parens, observato tempore in noctis crepusculo, opportuno loco eam comprehendēs ubi preces eam flectere non potuissent, injecto collo panniculo lineo & clamare mulierem prohibitam pene ad mortem compressit, donec ea sanitatem promittente, laxavit. Quæ tactu manus inter femora præstigium omne abstulit. Quærunt modo Doctores, an dęmon vere, ac re ipsa pudendum virile possit auferre. Et quamvis nōnullis argumentis id esse posse probabile videatur,

deatur, nihilominus, in eam probabilorem sententiam veniunt, id potius fieri præstigiosa ac illusoria dæmonum arte, quam multis modis exercere potest, ut apud ipsos legere est. Baptista Codronchius, lib. 3. cap. 6. de morbis veneficis ac veneficijs.

OBSERVATIO LII.

Virilitas carmine ademta.

SI virilitas carmine (quod sæpe fieri solet) aut veneficiorum injuria intercepta fuerit, sine ulla corporis injuria, aut membrorum vitio, primitivave causa evenire haud dubitamus. Alexand. Benedictus lib. 14. cap. 14. De medend. morb.

Extinguitur virilitas ex senio, ex morbo, ex causis omnibus quæ insitum spiritum roburque dissolvunt, ex incantamentorum (neque enim fabula est) maleficijs & medicamentis quæ genitale semen aut proprietate aut qualitate manifesta perimũt. Fernelius lib. 6. cap. 13. Patholog.

Quod incantamentis quidam vinciri putentur ut cõcubitus omnino impotẽtes, quasi evirati reddãtur: hoc naturali occasione varijs de causis usu venire potest, vitiatis impeditisve vel natura vel ex accidente cõgressus organis, quæ etiã propinato phamarco labefactari

queunt

queunt Vnde legem de frigidis & maleficiatis & ad libidinis usum ineptis, tulerunt theologi.(Decretal. Greg.9 tit.15.) Propterea non semper erit incantationi imputandum illud vitium,nec statim suspitione aggravandus insons. A dæmone tamen ut quidem genituræ instrumenta posse concubitui in idonea reddi fateor,ita quoque spurcissimæ anus maligna voluntate & insulsa imprecatione id effici,cõstanter nego:quanquam illa, iniqua à dæmone persuasione inducta, secus aliquando credat. Eodem authore, alias cum certa fœmina congressus,sæpe eidem homini permitti,relictis ejus organis liberis, potest:alias cum altera vicissim prępeditis venereæ actionis instrumentis inhiberi, ubi nullo alterius adminiculo illi opus est. Sic in Italia viros se quoque impotentes reddere arbitrantur nobilissima ac eadem putidissima scorta,si anterius subligaculi ligamẽ furtive alicui subtractum colligent:eo etiam reddito, ab ea impotentia se rursus eundem liberare autumant. Idem de lupi virga in alicujus nomine ligata vel soluta creditur. Si quis item malevolus cubiculi in quo sponsus cum sua sponsa decumbit, ostiũ solum pulset,inclamerq; infigẽs januæ cultrũ cuspide,atque in ligno relicta, is qui adornat maleficium,discedat tacitus, sponsum ea nocte ni-

ête nihil posse in re venerea fertur. At nugæ sunt. Quidam narrat, quendam conterraneũ suum, virum nobilem, juratsse, ligatum se fecisse, ne cum mulieribus congrederetur: ac restitutum dexteritate quadam, qua hic alterius persuasionem confirmabat, adducens ei librũ Cleopatræ, quem de fœminarum informanda speciositate fecerat: legensque locum, ubi eo modo ligati corpus totum inungi jubet corvino felle, mixto cum sesamelæo, & ita juvari. Hoc audito confisus ille libri verbis, id fecit, citoque augmentato libidinis æstu restitutus est. Quemadmodum impia credulitate quis læditur: sic & levari eadem, credibile est, usuque observatur. VVierus lib. 3. cap. 18. de præstigijs.

OBSERVATIO LIII.

Impotentia laborans desperata curatus.

HIspanus nobilis, qui serviebat Duci Albano, quo tempore Carolus Quintus cogitabat bellum contra Germanos, anno 1545. Lutetiam venit, frustra petitis auxilijs in Italia, Hispania, Germania, remedijs sequentibus curatus est. Ad venerem ineptus erat, quod flaccido esset pene, quique erigi non posset.

posset. In quam rem cum ad me venisset, vocatis è senioribus & celebrioribus Medicis Parisiensibus ad consilium, visum imprimis malum ab ulcere esse, & læsis nervis atque arterijs, quæ impletæ flatu penem erigunt, partes ita lædi, ut spirituosum sanguinem non exciperent. Curandum fuit ulcus, instituenda omnia quæ calidos flatus gignerent, & partes genitales corroborarent. Atque habita primum ratione corporis totius per medicamẽta, levem phlebotomiam & decoctum guajaci, hæc compositio singularis & divina erigẽdo peni & excitandæ veneri instituta, qua cũ, remedijs alijs frustra tentatis, convaluit. ℞. vitell. ovorum unciam unam semis, butyr. recẽt. pudẽd. tauri, cice. galãg. satyrion. zedoarię, zinziberis conditi, ment. testicul. galli. testicul. vulpis ana unciam unam, cerebellor. columb. & passer. bene coctorum & assorum ana libram unam, medull. avellanæ Indicæ, pineolorum mundatorum, fisticor. jujubar, amygdal. dulc. mundat. semin. malvæ, sem. mercurialis, avellan. excorticatarũ, dactylorum ana unciã unã, semin. dauc. caryophyll. piperis trium generum, linguæ avis, sem. cœpæ, porri & scariol. cinam. ana unciam unam, coquantur simul omnia in lacte ovino: postea fortiter terantur. Omnia conficiãtur cum melle rosaceo & saccharo

charo albissimo: coquantur lento igne, bene misceantur. Poterunt aromata post coctionē aliorum inspergi, quomodo fit in conservis, cōditis. ℞. diasatyrionis ex 2. descriptione Mesuæ uncias duas, utriusque diamargariti, aromat. rol. ana scrup. unum, cinam. scrup. semis, pudend. cervi scrup. unum, cum melle anthosato & radic. una zinziberis viridis misce omnia. Detur mane & hora somni ad modum majoris avellanæ cum vino albo. Item. ℞. ol. de spica, lilior. & mastichini ana unciam unā, adip. cunicul. & anat. ana unciam semis, adip. passerculorum farctorum radice satyrion' & modico zedoarię, adip. colūb. ana drach. sex, sem. cruc. raphan. cœpæ pulverat. zedoariæ ana drach. semis, croci grana sex. fiat linimē pro lūbis, pectine & perinęo. His sanat⁹ remedijs, abijt. Hollerius, Libel. proprio Obser. 22.

OBSERVATIO LIV.

Ab impotentia venerea quidam commoda victus ratione instituta liberatus.

NOs sequenti victu quendam validum fecimus. Præcepimus ei ut sex integris diebus ab uxore extra urbem secederet, deinde nocte postrema accedēs, iter equestre trium horarum perageret, & cum uxore cœnaret capum assum, & carnis vervecis elixæ

partem

partem cum eruca, vinum autem nigrum biberet, ad finem vero vinum mulsum, hoc autem peracto, ut se ad somnum reciperent, atque uxor marito lumbis hæreret, ad mediam usque noctem, & interpellaret ea hora somnum, & rursus media hora transacta aut paulo plus ad somnum rediret, mane vero cum uxore congrederetur, Qui mihi retulit omnibus his peractis, valuisse satis non tantum ea, sed pluribus alijs noctibus, quibus id remediū tentavit. Quamobrem placuit idem in alijs experiri, qui etiam voti compotes evaserunt. Christ. à Vega. lib. 3. sect. 10. cap. 5. De arte medendi.

OBSERVATIO LV.

Aphrodisiastica prodigiosa pleraque nova & rara.

AD rem veneream mirum in modum herba pollebat, quam Indus attulerat. Non enim solum edentibus, sed etiam tangentibus tantum genitalibus vim dixere vehementem adeo fieri, ut quoties vellent, coire valerent. Et quidem qui usi fuerunt, duodecies egisse dixerunt. Indum autem ipsum, qui vel magno atque robusto corpore erat, septuagesies aliquando coivisse fatentem licuit audire: verum emissionem seminis guttatim fuisse, demumque in

que in sanguinem deveniſſe. Mulieres vero vehementer etiam citari libidinem, cum eo medicamine uſæ fuerint, dicebatur. Hæc igitur vis, ſi vere narratur, mirifice omnes excedit naturas. Theophraſtus lib. 9. cap. 20. De hiſt. Plantar.

Eſt in Atlantis jugis Occidentalibus, quæ pars Sutnag ab incolis nuncupatur, radix quędam, cujus eſu ad venerem augendam continuandamque mirifice corroborentur. Quin ajunt, ſuper eam ſi quis urinam reddiderit, illico turgere libidinibus. Virgines, quæ præſunt paſcuis, ſi ſuper ea ſedeant, aut urinam faciant, eis perinde rumpi naturæ membranā, atque ſi à viro fuerint vitiatæ.

In ea Indiæ provincia, quæ ſub terra laboratoris eſt, verſus Iſthmum Dariem, arbor eſt Pyri facie & magnitudine, perpetuo folio viridiſſima, nitidiſſimaque ſuperficie. Fructus quoque Pyri ſpecie, ſed colore viridi, etiam cum maturus eſt. Medulla intus concolor, dulcis, pinguis, butyri ſapore. Quæ adeo validos efficit ad coitum, ut propius ſit miraculo ejus efficacia, Agnacæ illi nomen eſt. Scaliger Exercit. 175. ad ſubtilit. Cardani.

Colocaſiæ (culcas appellatæ Ægyptijs) radicem tum crudam tum coctam libētiſſime veneri indulgentes mandunt, tum quia putant

ſemen multum gignere, tum libidinem prævalide movere. Proſper Alpinus de Plantis Ægypti cap. 33.

Alexandriæ Vrtica prima, quam Ægyptij vocant angiar, provenit copioſiſſime, & proinde ejus ſemina multos uſus ibi quoque habent, maximumque ad venerem excitandam, præſertim in frigidis corporibus, ſi cum Vino dulci bibantur. Nonnulli ad idem ex ſeminibus ijs, radiceq; buzeidam, ac melle componunt electuarium, cujus ſemuntiam quotidie ſumunt. Proſper Alpinus de Plant. Ægypt. cap. 42.

Indi Bangue ſemen & folia edunt, ut fiant in Venerem procliviores. Gartias ab orto lib. 2. cap. 22.

Si vero hilares eſſe volunt, & præſertim in venerem procliviores; ambaro & moſcho, cōpoſitioni cuidā ſuæ additis ſaccharo excipiūt. Chriſt. à Coſta qui compoſitionem quoque exhibet.

Hoc Bangue plurimam affinitatem habere videtur cum Turcorum Conſtantinopoli degentium Maſtlach, quo ad varios effectus utuntur: nonnulli etiam veſcuntur excitandæ veneris gratia. Cluſius in notis ad eundem à Coſta Locum.

Nuper ex Alexandria ſemen allatum eſt, ſimile

mile semini gossipij, sed lanugine nulla obvolvéteque ad venerē impellendam uti tradunt: Bamiam Alexandrinam vocant. Andr. Cæsalpinus lib.15.cap.4.de Plantis.

Satyrij erithromi radix, venerem, ut produnt, si omnino manu teneatur, stimulat, eoque magis si bibatur in vino. Satyrij trifolij radice utendum dum concubēdi incumbit necessitas: siquidem ea proniores ad venerem fieri affirmant. Testiculi illius quem Græci cynosorchin vocant radicem mollem ajunt in Thessalica mulieres in lacte caprino bibere, ad stimulandos coitus: aridā vero, ad inhibēdos, & alterum alterius potu resolvi. Dioscor. lib.3.cap.126.127.124.

Eruca cōcitatrix est veneris, genituráq; parit, hanc maritis in venerem pigris excolēdam tradimus, vel hoc nomine, quod venerē dormientem & sepultam excitet & inflāmat, teste ipso Columella. Bruyerin⁹ l.8.c.22.de re Cibaria. Maroré hispanicā erucā ad hunc usum mirifice cōmēdat Pena & Lobeli⁹ in Adversarijs.

Fungus Cervinus in ciborum usum hactenus non venit, nec eo vescuntur Boemi, sed eo ijs in medicamentis utuntur, quæ venerem movent. Siquidem ad hoc plurimum illum valere putant, & præsertim qui humani genitalis speciem refert. In quem usum suum

pulverem ex dulci vino propinant, drachmæ vel sesquidrachmæ pondere. Matthiolus Epist. ultima lib. 3.

Apud Indos magnus Cubebarum in vino maceratarum usus est ad excitandam veneré, tum etiam in Iaoa ad excalfaciendum ventriculum. Gartias lib. 1. cap. 23. Aromat. hist.

Caryophylli quatuor drachmarum pondere, ex bubulo caprillove lacte hausti, veneré excitant. Matthiol. Comment ad cap. 153. lib. 2. Dioscor.

Tamo (vulgo sigillo Mariæ) vim præstantissimam inesse ad conciliandam venerem, si sub cineribus ferventibus decocta devoretur: imo hanc cætera superare auxilia, quæ libidinis flammas accendunt, scripsit ad me Martinus Guidotinus Tridentinus Myropola. Idem Comment. ad cap. 177. lib. 4. Dioscor.

Ova cyprinorum frixa sola, & sic comesta, venerem mirum in modum, etiam in decrepitis excitát, & ad generationem faciunt propter naturam animalis, plurimum enim generat. Cardanus de sanit. tuenda lib. 3. cap. 68.

Polypos ajunt, si concoquantur probe, eos valenter alere & venerem vehementer ciere. Acetabula atque extremitates, cirrorum sale Venetias ex Illyrico & Dalmatia inveterata adferuntur, à senibus expetuntur ad parandam so-

dam sobolem. Est polypus qui moschum odore repræsentat, quem magis ajunt venerem proritare, quam alios ὄσμυλος Græcis dicitur. Bruyerinus de re Cib. lib. 21. cap. 14. Ex Diocle. Aëtio, Ægineta, Iovio & Rondeletio.

Ad venerem ciendam Oribasij apud Aëtium: Stellionem ustum quam tenuissime cõterito, deinde oleum affundito, atq; ex eo magnum dextri pedis digitum inungito, & coito, ubi vero à coitu cessare velis digitum ipsum abluito.

Mirum de stellionis cinere si verũ est, linamento involutum in sinistra manu venerem stimulare: si transferatur in dextram, inhibere. Plinius.

Oleum formicarum volantium plurimum facit ad coitum incitandum. Sic autem fit: Formicæ alatæ cum oleo in vase vitreo, sedulo occluso, insolantur dies quadraginta. Melichius in Antidotario.

Gallinaceum pinguem verno tempore, demta cute & interaneis, sale fartum in umbra suspendito, donec atefiat: mox illum exossato, atque una cum sale conterito, in vitrea, hamula ad usus servato, obolis duobus si bibitur mire venerem concitare dicitur. Alexand. Benedict.

Cervinum penem ex bestia ubi libidine effera-

efferatur, capta detractum, probe exiccato, & in pulviſculũ deterito. Cujus drachmas duas cum drachma piperis nigri remiſta ex vino malvatico mane cõtinuis aliquot diebus hauriendum præbeto ijs qui pigritante & propemodũ emortua venere laborant, quos miraculo quodam reſtitues. Emelius, Matthiol. & alij.

Quum Nobilis quædam mulier gallos exẽtis teſticulis eunuchos redderet: teſticulos, ut optimi ſucci nutrimẽtum pro marito in edulium, adjecto melle & aromatibus, redigit. quo cum maritus in cœna veſceretur, ita in priapiſmum devenitur poſt lõgum cum uxore cõcubitum, ipſa jam laſſa viribus, nec amplius laborem ferre valens, à cubiculo utriq; communi fugam fecit. At maritus furibũdus, pruriente adhuc materia, quum uxorem perſequeretur, nec ipſam aſſequi valeret, quum alteri cubiculo occluderetur, ad ancillas tres vel quatuor domeſticas ſe direxit, quibus omnibus apprime ſatisfecit. In aurora vero medico accerſito, (nam etiamnum humor titillabat) res in jocum trahitur, & ſemine viticis cum camphora ebibito, ac ex populneo linimento ſupra renes facto: à furore illo & veneris irritamentis liber factus eſt. Amat. Luſitan. ſcholio ad Cent. 1. Curat. 81.

Sepijs, nucibus & allio paratis, quidam ve-

ſcua-

scuntur, ut salaciores in venerem prorumpãt. Matthiol Comment. ad lib. 2. cap. 27. Dioscor.

Scincorum partes circa renes tanquam naturalibus erigendis efficaces bibuntur, Trallianus 99. Ajunt carnes quæ renes amplectũtur, (Marcellus vertit laterum carnes, & Plinius quoque latera scinci nominat, alij lumbos, sed videtur quicquid circa renes est undiquaque accipi posse, cum alioquin totum corpus simpliciter, præter caput & pedes, in remedijs detur) id sibi vitium vendicasse, ut si drachmę põdere bibantur, cum vino, veneré accendãt. Gesnerus l. 2. hist. Animal. de Scincis.

Genus quoddam resinæ à Persa mercatore caputa viva cognominatũ ob id Dominus Orator quantumvis magno emendum putavit, quod illius nullam adhuc apud quenquam, nisi sub alio fortassis nomine, mentionem factam intelligeret. Venerem inprimis stimulare, cõtraria virtute ab Arabibus attributa Caphuræ idem mercator referebat. Guil. Quacelbenus Epist. 1. lib. 3. ad Matthiolum.

Indi vestros Lusitanos docuerũt, chrysocollã, boracẽ officinis dictã, ciceris magnitudine in ovo sorbili ebibitã, hominem in priapismũ trahere, & rentiginem ciere. Amat Lusitanus cent. 2. curat. 18.

Ad ignaviam genitalium expertus sum bo-

racem officinis vocatum ciceris magnitudine in ovo ſorbili mane crebro acceptum, erectionem & coeundi poteſtatem facere. Mercurialis Conſil. 48. edit. Baſil.

DE GONORRHOEA.

OBSERVATIO LVI.

Syſimbrio comeſto quidam gonorrhœam provocabat.

NOvi ego quendam, non ignobilem, qui cum ſyſimbrio liberaliter veſceretur, genituram per ſomnos effunderet. Bruyerinus lib. 8. cap. 43. de re Cibaria.

OBSERVATIO LVII.

Nonnullos mentulam non modo non arrigere, ſed eadem flaccida quoque, aliquando genitura diffluere.

DIcam quod vidi, juvenem quidem 24. annorum ætate, ſanguineum complexione, cum phlegmatis participatione, qui devenit ad impotentiam ſolitam erectionis virgæ & & mecum conqueſtus, dicebat ſe ſentire quãdoque notabilem cordis frigiditatem, quandoque nocumentum aliud, & adhibito remedio ad cor convaluit. Savonarola tract. 6. c. 10. rubr. 1.

Con-

Congenerem historiam tradit Matth. de Gradis Cons. 3. de quodam qui cum volebat coire, non erigebatur illi membrum, sed semen emittebat, cujus eventus causam copiose Marcell. Donat. Hist. med. mirab. lib. 4. c. 18. proponit.

OBSERVATIO LVIII.

Gonorrhœæ species rara & admiranda.

SEd & gonorrhœæ quædã species est, cum occasione minima semen emittitur, ut in eo qui sola clysteris perfusione semen ejaculari consuevit. Sed & quendam vidi qui longa gonorrhœæ consuetudine, per insomnia atq; etiam cogitatione sola purum sanguinem, nõ minori voluptate quam semen effunderet. Malum quidem est gonorrhœa mulieribus perinde atque viris commune. Est autem in hac semen crudũ, aquosum, liquidum ac tenue, nec prorsus album. Effluvij causa est spermaticarum partium infirmitas, qua vel non concoqui, vel non retineri semen potest tantisper dum concoquatur atq; crassescat. Quãobrem frequens ijs esse solet, qui impuberes nec dum matura ætate veneri petulantius sese addixerunt. Nam imbecillę partes evadunt, in

quas longa consuetudine humores abundantius confluunt. Cum per insomnia libidinis, aut in attenta rei venereæ cogitatione semen affatim procidit, non ut in vera gonorrhœa crudum id & aquosum ac sine sensu, sed magna utiq; voluptate exit, sed in mulieribus enim partim obscœnarum odaxismo quodam, pruritu atque titillatione. Effluentis hujus causa est seminis vel exuperãtia, vel calor & acrimonia naturam proritans, vel ingens spermaticarum partium robur: hoc argumento, quod voluptate jucunda id semper emanat. Fernelius lib. 6. cap. 14. Patholog.

OBSERVATIO LIX.

Gonorrhœa nova virulenta ex lue venerea.

INvasit hoc seculo in humanũ genus ex luc venerea quoddam vitiũ gonorrhœæ finitimũ, quod idcirco & fœdã virulẽtamq; gonorrhœã appellamus. Principio virus album aut subcitrinũ è vasis spermaticis sine sensu excidit vigilanti pariter atq; dormienti. Ejus causa est spermaticorũ vasorum atq; testium imbecillitas, non illa quidem simplex, sed ex venenata lue contracta: hæc enim efficit ut quicquid in his colligitur in tetrum fœdumque virus faceſſat: quod dein contagione aliũ quemvis contaminat. Tempore virus hoc putret & acri-

actimoniam adsciscit, ductum penis in transitu exedit & exulcerat. Factum vero jam ulcus esse ostendit dolor exortus, qui & in tentigine quasi funem peni subtendit, & in emictione tanquam in dysuria acrius stimulat, ut idcirco multi in calculi vesicæ suspicionem venerint. Sed hæc proprijs affectuum signis haud difficile sit internoscere. Tam alte interdum excavatur ulcus, ut foras emergat in penis summã cutem. Hoc virulento fluore præter rationem suppresso, intus plerunq; colligitur abscessus, alias quidẽ circa testiculum in epididymide, alias in perinæo, qui rupta aperrave cute materiam fundit. Fernelis lib. 6. cap. 13. Patholog.

Multum interest inter veram gonorrhœam, id est, seminis profluvium, & alteram improprie dictam gonorrhœam, quæ ex concubitu cum lue venerea infectis cõtrahitur. Diversæ sunt causæ: differentia symtomata: curandi ratio dissimilis. Sed de ea quæ proprie dicitur, nihil hic adferendũ: de altera vero quædã scribenda: Quæ est purulenti, corrupti, ac fœtidi humoris per penem defluxus, quẽ interni meatus exulceratio concomitatur. Caruncvlæ etiam quædam circa ulcerum labia quandoque suboriuntur, quæ liberũ urinæ transitum subinde remorantur. malum si diutius cõstiterit, ulterius serpit, vesicã, ureteras, & tandẽ ipsos

etiam

etiam renes inficit. Generosus vir ex familia Franciſci & Henrici Francię Regum, cum decem & octo annis hujuſcemodi profluvio laboraſſet, increſcente indies malo, atque una ſymtomatum ſævitia, nec ullum ex medicamentorum præſcriptorum uſu fructum conſequeretur, ad fontē proficiſcitur, haud procul Leodio, qui creditur eſſe, quem Plinius Nat. Hiſt. lib. 31. cap. 11. in Tongris eſſe ſcribit. Hoc ubi aliquod dieb. uſus eſſet, dolores valde remiſſi ſunt, ita ut ſuavi⁹ illic quā alibi multis annis vixerit. Fontis ſiquidē hujus ea propria ac ſingularis eſt facultas, ut veſicę renumque dolores ſopiat ac leniat: morbos tamen harum partium raro perſanet: ventriculum debilem idem roborat: ciborum languentem appetentiam excitat, hydropicis, præſertim leucophlegmatia laborantibus, ſubinde ſanitatem revocat. Poſſemus nonnullos adferre graviſſimis ex veſicæ aut renū doloribus miſere afflictos, qui interea dum hunc biberent à doloribus liberi viſi fuerint: non tamen idcirco ſanitati reſtituti. Prætermiſſa ſiquidem hujus potione, recurrentibus etiam acerbius quandoque doloribus, pejus habuerunt. Veluti huic generoſo contigit viro. qui interea, dum aquam fontis biberet, melius habere videbatur, ſed illinc reverſus, mox omnino pejus.

jus. Ita ut Mechliniæ subsistere eum symtomatum vehementia coëgerit: ubi ingravescentibus omnibus doloribus, viribusque deficientibus, vitam cum morte commutavit. Dissecto ac aperto hujus corpore, repertus est ren uterque major quam secundum naturam, durus, cócreti ac indurati puris colorem ac similitudinem referens: ureteræ ambæ interius exulceratæ: vesica plane rigida nec extendi nec contrahi potuit. Hujus una membrana ab altera divulsa, copioso intermedio pure. In exteriore tubercula quædam livida apparebant: interior multis foraminibus pertusa. Colis sive penis meatus in totum exulceratus & sanguine cócreto plenus. Candelis frequenter usus fuerat ex candida cera, quæ sæpius impositæ & exemtæ irritatis ulceribus, profusi sanguinis causa fuere. Talis igitur generosi hujus viri constitutio fuit, quem tot annis, tantis doloribus supersesse potuisse non citra admirationem fuit. Dodonæus cap. 41. Observat. Medicinal.

Est & alia gonorrhœa, quæ ex lue venerea contrahitur: si quis commercium habuerit cum mulieribus immundis & sordidis: cujus mentionem faciunt Guilielmus Salicetus, qui claruit anno 1270. & post ipsum Bernardus Gordonius: quem anno 1418. secutus est

Va-

Valeſcus Tharantanus. In hac lue eſt corrupti ac fœtidi humoris defluxus: quem interioris meatus in pene exulceratio comitatur. Vnde & pudendagræ nomen accepit. Quandoque etiam circa ulcerum labia caruncułæ ſuboriuntur, quæ liberum urinæ tranſitum impediunt ac remorantur. Si longius ſerpat malum, veſicam, ureteres, & ipſos renes ſignificat: ut renes concreti ac indurati, puris colorem referant; ureteres exulcerentur, & veſica rigida nec extendi, nec contrahi poſſit. Si itaq; in urina apparuerit ſemẽ cum fœtore: gonorrhœę ex lue venerea contractæ, & in poſterum, niſi ſibi ipſi mox proſpexerit æger, morbi gallici evidens eſt teſtimonium. Hier. Reuſnerus in Scholijs ad cap. 30. Iod. VVillichij De urinarũ probationibus, ex Dodonæo, ut apparet.

OBSERVATIO LX.

Ad Gonorrhœam virulentam remedium.

GOnorrhœam virulentam multi curarunt uſu caulium fabarũ in cinerem redactarum. Caules deuruntur, cinis in aqua fluviali 24. horas maceratur, colatur per inclinationẽ, doſis eſt ad uncias quatuor per ſe, ſingulis diebus nova maceratio facienda eſt: uſus erit triũ dierum tantum. Iacob. Douynetus Apolog. lib. 1. cap. 7.

DE

DE PRIAPISMO.

OBSERVATIO LXI.

Ex priapismo veretrum senex quidam cornu instar intensum aliquot mensibus sustinuit, nihil proficientibus medicamentis.

Ejus memor est in libro signorum Demetrius Attaleus, dicens, quod hoc in quodam videret sene, atque in seipsum manu operante (mastuprante) nec quicquam tamen potuisse peragere, tensionem autem fuisse veretri nimiam, cum parvo dolore, ut cornu putaretur, & ita perseverasse multis mensibus, nulli quoq; adjutorio medicinali cessisse, sed tardo atque longo tempore requievisse. Cœl. Aurelianus lib. 3. cap. 18. acut. morb.

OBSERVATIO LXII.

Quidam penem una cum scroto tam rigida & sursum tensa habebat, ut mingendo, tabula qua se tueretur, ne faciem urina conspergeret, opus haberet.

Pompo-

POmponius Lætus in Compendio histor. Rom. tradit Heraclitum Imperatorē, novo cladis genere peremtum: testium nempe folliculo sursum verso, simul cum virili membro, & semper tenso. adeo ut quoties mejeret, nisi tabula umbilico admota prohibente, vultum lotio sparsisset. Hoc tamen morbi genus priapismum fuisse suspicamur. Marcell. Don. Hist. med. mirab. lib. 6. c. 4.

OBSERVATIO LXIII.

Ex Priapismo mortuus, biduo rigido pene visus.

HOc mali genus insolens admodum est, quo tamen narrant jugulatum quēdam, biduo ab excessu è vita intentum rigidumque exhibuisse penem. Fernelius libr. 6. cap. 13. Patholog.

OBSERVATIO LXIV.

Rigidus cuidam penis ob Veneris desuetudinem.

FVit mihi amicus quidam, cui præter eam quam antea habuerat consuetudinem, omnino à concubitu abstinenti, adeo rigidus tumidusque factus est penis, ut mihi accidens ipsum declarare cogeretur. Miror, inquit, quod

quod huic (athletam indicans) ob continentiam rugosus, collapsusque penis evaserit: mihi vero ex quo continentiam servare studui, evenerit contrarium. Tum equidem illi consului, ut collectum jam genitale semen excerneret: postea vero, & à narrationibus, & spectaculis & meditationibus, libidinem suscitare potentibus, summopere caveret. At cantores & athletæ, qui jam inde ab initio nullam vitæ partem venereis illecebris contaminaverunt, nullam admittentes hujusmodi vel cogitationem vel imaginationem, ijs pudenda exilia, & rugosa, veluti senibus, fieri consueverunt. Nam præter ea quæ accidere solent ijs, qui protinus à prima juventute immodicæ libidini sese permiserunt, id etiam evenit, ut horum locorum vasa amplius patentia majorem ad se sanguinis copiam alliciant: & coeundi cupiditas increscat, ea videlicet ratione, quam in cæteris quoque facultatibus videre est, & quæ à Platone etiam notata est, cum, inquit, Ignavia quidem exolvit, proprij autem officij exercitatio robur augere solet. Sic mammæ quoque in ijs, quæ nondum imprægnatæ fuerunt, contractæ permanent, in alijs vero à partu infantulos lactantibus, vastissimæ redduntur, atque ita magnæ permanent lac emittentes, donec puer fuerit ablactatus:

ctatus: tunc enim haud ita multo post à lactis generatione quiescunt. Galenus lib. 6. de locis affectis circa finem.

OBSERVATIO LXV.

Cadaverum in castris inguina magna & intenta visa, altera à pugna commissa die.

MIrum est, quod in castris vidimus ad Tarum, in Parmensi agro, in pugna adversus Gallos; nuda erant cadavera passim, per ripas fluminis jacentia, quorum inguina supra modum magnitudinis intenta erant; solis (ut puto) vapore, ac hesterno imbre, quo corpora perfusa fuerant. Alexand. Benedict. lib. 24 cap. 19. de morb. curand.

DE HERNIIS.

OBSERVATIO LXVI.

Tussi, scissa tunica intestinorum, Herniam incidit.

TVssi valida urgebatur puer sextũ annum agens, dumq; vehementius tussiret, scissa est tunica quę deducere ab inferioribus partibus intestina debet, & in scrotũ, Græci ὀσχεον vocant

vocant, inteſtina devoluta, Herniam fecerũt, qua & in hunc uſq; diem laborat. Tanta enim fuit ſciſſura, ut nec coire hactenus ullis potuerit medicamentis, nec etiam in futurum, niſi ſola uſtione coibit. Benivenius cap. 64. Abditorum.

Si peritonæi vel unitas ſolvatur, aut laxiora fiant ejus foramina per quæ vaſa ad teſtes deferuntur, cito vel inteſtina, vel omentum extra locum decidit, affectusque fit, qui Græcis κηλὴ Latinis Ramex dicitur: qui quandoque circa inguina conſiſtit, & Bubonocele appellatur: alias in ſcroto, quo ſi inteſtina deſcenderint ἐντεροκήλη, ſi vero omentũ ἐπιπλοοκήλη nominatur. Curatio autem horum non niſi per ſectionẽ perficitur: quod artis hujus peritis relinquendum. Dodonæus Annotat. ad idem caput.

OBSERVATIO LXVII.

Herniosus quidam, cui inteſtina ad ſcrotum delapſa graviſſima ſymtomata excitarunt, reſtitutus: qui neglectis faſcijs ex recidiva mortuus eſt: cujus inteſtina deprehenſa ſunt cum epiploo livida, & adeo in ſcroto complicata, ut minime explicari & reponi potuerint.

ECce forte in mentem nunc venit, cum olim juvenis in Delphinatu Galliæ primo medicinam faceré, accerſitum me ad ſenem quendam hernioſum, nobiliſſimæ familię, cui inteſtina in ſcrotum prolapſa erant, & qui varijs, ijſq; gravibus, ob id, moleſtabatur ſymtomatibus, apud quem Chirurgum reperi illa in ſuum redigere locum annitentem, applicatione fotuum & unctionum, ex rebus magna parte conſtringétibus apparatarũ. Ego animadvertens eorum uſu impediri potius quam promoveri curationem, confeſtim ex emollientibus & relaxantibus, quæ mecum aſportaram, curavi concinnanda remedia, quorũ uſu intra paucas horas ſuo loco fuerunt reſtituta inteſtina, & dolores quibus acriter infeſtabatur, ſublati: quæ curatio non parum famæ & nominis eo loci tunc mihi πρωτοπείρω, pepererat. Poſt aliquod autem temporis ſpatiũ, quia faſciæ uſum averſabatur, relapſa, denuo ad illum ſum vocatus, ac eadẽ quæ antea per aliquot dies uſurpans remedia, nihil profeci, nec ullo modo inteſtina potuerunt reſtitui: & ſic me præſente bonus ſenex exſpiravit. Ego hærẽs, qua ratione id potuerit accidere quod uſu convenientiũ remediorum morbus, quẽadmodũ antea, non ceſſerit, petij ex uxore defuncti, ut liceret, diſſecto cadavere ejus, cõtumaciæ

maciæ investigare causam. Illa non refragāte, ego & Chirurgus, tum etiā præsens, opus anatomicum mox aggredimur, & reperimus intestina una cum epiploo Zirbo vulgo dicto admodum livente, in scrotū decubuisse, & eo intestina adeo intricata, ut ob id impossibilis omnino fuerit eorū reductio. Et sic αὐτοψία in veram ejus contumaciæ pervenimus notitiam. D.D. Ioannes Cosmas Holtzachius de Observat. propr.

OBSERVATIO LXVIII.

Enterocele in constante ætate citra sectionem curata.

IN hoc morbo nihil desperandum esse, possèq; etiam curationem constantis ętatis hominibus, ut quadragenarijs, qui tres corporis dimensiones impleverint, feliciter procedere; sequens testatur historia. Erat quidam in sancti Andreę paroecia, Ioannes Moretus nomine, cui ex officio incumbebat epistolam, quoties rei & diei celebritas poscebat, alta voce decantare. Cum igitur enterocele laboraret, accessit ad me opem efflagitans, gravi enim se dolore premi tum præsertim cum epistolam contentius declamaret: Enteroceles animadversa magnitudine, suasi ut alium in suum locum sufficeret. Itaque impetrata à

Curione Domino Clerico facultatis Theologicæ Decano, causaria missione, se mihi commisit, hominem ex arte tractavi, atq; ut nunquam sine subligaculo esset imperavi: paruit meis consilijs. Cum quinquennio vel sexennio post obvium ipsum habuissem, rogavi qui haberet, perbelle respondit: immunem enim se penitus ab eo quo ante vexabatur morbo esse. Quod ego mihi ante persuadere non potui, quam diligenti genitalium ipsius observatione, rei veritatem, ut ipse narraverat, oculis fidelibus sum assecutus. Sed cum semestri spatio post ex pleuritide interijsset, Curionis domum in qua commorabatur adij: cadaveris copiam mihi fieri impetravi, ut ego animadverterem ecquid rei natura in via illa, qua intestina devolvebãtur, esset commolita. Testem Deum appello, me circum foramen processus peritonæi substantiam comperisse adiposam, ovi minoris magnitudine, eo loci sic tenaciter adhærentem, ut vix ipsam sine vicinarum partiũ divulsione inde distrahere potuerim. Atque hoc illi ad sanitatem compendium extiterat: admiratione vero & observatione digniſſimũ est, quod natura vel paulum arte adjuta morbos sanat, qui censentur immedicabiles. Pareus lib. 7. cap. 15.

OBSER-

OBSERVATIO LXIX.

Herniaria usu quidam, maxime vero pueri, ab enterocela percurati.

PRobata multis herbula est, (Herniaria dicta ab alijs herba Hollerij, Duretus) in sabulosis nascens, ramulos multos in terrā spargit, foliis minimis & rotundis & foliatis, ex viridi flavescentibus, per ramulos sparsis, astringente gustu, ex quā succus expressus, subinde affuso vino albo, certissimum & aliquoties probatum remedium contra descensum intestini. Nam novem diebus ita percurat, ut postea non redeat malum, facilis inventu autumno. Hollerius cap. 62. Lib. 1. de morb. intern. Addit Duretus, puerorum pulticulæ ex pane albissimo, in tenuissimum pulverem redacto, & lacte conficiātur, quibus mellis nonnihil addi poterit, ut alvus fluat liberius. Hæc ille.

Polygonū minus, sunt qui ab effectu ipsam herniolam vocant quod ad enterocelas præstantissimū remedium sit, in potionibus sumta. Audio à viris fide dignis, cum hac tantum herbula à Gabriele Fallopio Mutinense, plures intestinorum ramice laborantes esse sanatos. Matthiolus cap. 4. Comment. ad 4. libr. Dioſc.

Mirabilis est Hollerianæ herbæ, herniariam propterea appellant, ad hunc affectum profligandum efficacia. Ejus aquæ stillatitiæ arte Chymica extractæ, unico hausto, cum tentata alia remedia non responderent, paucis ab hinc diebus curatus est adolescens in Gymnasio Haricuriano, cui citatior saltus insignem herniam conciliarat. Admotum autem emplastrū hujusmodi. ℞. Emplast. contra rupt. & de gratia Dei ana unciam unã, Sangu. drac. pulver. rad. osmundanæ regalis, olibani pulverat. ana drachmas duas, cum modico ol. myrtill. molliantur in igne, & fiat emplastr. super alutam. Valetius Exercit. 62. ad cap. 62. Hollerij de Morb. intern. Plura de herniaria & ejus virtute contra rupturam vide apud Chalmethæum & Pisonem, capitibus de Hernia.

OBSERVATIO LXX.

Rupturarum unius Indicæ herbæ & ligaturæ usu curatio.

PAululum cujusdam plantæ mihi missum fuit, cujus formam, quod ob siccitatem omnino confracta & cõminuta esset, observare non potui. Hanc scribũt miram habere facultatem in rupturis cum puerorum tum adultorum, & rem ita se habere asserunt. Eautitur

Indus

Indus quidam recenti contusa & rupturæ imposita, adhibito deinde miro quodam ligaturæ genere, quoniam etiam sine braccis non minus firmiter ligati incedunt, quam si braccati essent, ut mihi retulit quidam qui simili morbo liberatus erat ejus plantæ & ligaturæ usu. Talem ligaturam (si adeo firma sit ut ille referebat) solam sufficere posse existimo, nulla herba aliave re imposita: quoniam hic quendã Cordubensem conspexi, qui omnes hernioſos sola ligatura curabat, nullis adhibitis braccis: quod verissimum est, & hic adhuc vivunt, qui ab eo curati fuere. Nic. Monardes lib. tertio simplic. Medicam. ex novo orbe delatorum.

OBSERVATIO LXXI.

Novum genus curationis ad enterocelas ab authore primum proditum.

EST & alius sanandi sine ferramento modus etsi manum omnium desiderare videatur, unica enim punctione constat. Corpus quidem sanguine prius vel dejectione levandum est, vel abstinentia, si opus est. In hac curatione triduo aquam bibere, vel pridie à cibo abstinere necesse est. Interea acus firmior parãda, in qua filum ex serico crudo validissimo inserendum est pedalis longitudinis, ac tessel-

la eburnea vel cornea sub hac figura paranda est ◯ pollicis latitudine, cataplasmata item, reliquaque cerotaria. Ipso mane ægrum supinum collocat subductis intestinis, locus prius ante radendus est. Et tum exemto scroto, ut cutis inguinis intenta sit, æger spiritum leviter contineat sine clamore. Medicus manu sinistra summisso intestino tunicam arcte contineat, ne id deorsū devolvatur, dextra manu vena seminaria ad testiculū perquirenda est, præter hanc universa tunica apprehendi cum cute debet, atque juxta venam acus dimittenda est audacter oleo tincta, filumque deducēdum extracta acu, ministet filum comprehendat, & tessella intra filum posita firmo nodo includenda est, ita ut cutim plano contingat, alterutra scroti parte illæsa, & geminis testibus modo excluſis. tum semel aut bis tessella intra filum posita singulis diebus torquenda est, tum paulatim filum arctius undique summam cutim & tunicam adstringendo erodit, foramenque versus testiculum non sine pure dilatat, atque una pariter laxatum vulnus superdato medicamine solidescit, ita ut paulatim plaga aperiatur, & simul ore utrinque cohæreant. Nam filum circumquaque arctius datum decimo die, vel quinto decimo, cum plurimum partem quam cōprehendit, penitus ab-

nitus abſciadit, tum cicatrix coalenda eſt, ac callo firmanda, & major cuſtodia adhibenda eſt, ne pars recenter violata laxetur, & inteſtinum ruat. Hac ratione venarum profluvium non timemus, neque ullam inflammationem. Sed ſtatim vinum à punctione cum roſaceo pro cataplaſmate infundimus. Mox lenticulã cum melle, vel vino mixto, in quo malicoriũ incoctum ſit. Deinde ſedata inflammatione triticeam farinam, pinea reſina adjecta, imponimus, pus paulatim abſtergimus, & cerato impoſito ad cicatricem vulnus deducimus. Et in hac curatione victus is neceſſarius eſt qui in alio vulnerum genere præcipitur. Tota igitur pars illa, quæ comprehenditur, præciditur ac pariter perſanatur, ſuborto enim callo (ut voluimus) foramine peritonæi obſtructo deſcendenti vel inteſtino vel omento exitus præcluditur. Vidimus plures eo modo ſanatos à quodam Hiſpano, qui immani precio curationis lenitatem, ut unica punctione ſanarentur, atque firmitudinem pariter promittebat, & plures mortalium in ſeſe circumagebat. Alij medici magna plaga novacula aperiunt, nec id ſine ſummo vitę periculo fieri poteſt: nam dolores ingentes movẽt, ac inflammationes, non ſine venarũ profluvio. Alex. Benedictus lib. 24. cap. 36. de curand. morb.

OB-

OBSERVATIO LXXII.

Herniarum curatio chirurgica nova per varios puncti aurei dicti modos.

SI omnibus modis sanationem Hernia non admiserit, propter laxati aut rupti peritonæi ingentem continui solutionem, atque æger assidentium amicorum consensu paratus sit sanitatis spe aleam omnem subire, tentabitur curatio puncto, quod vocant Aureum: ad quam rem, solerti & strenua manu chirurgus advocabitur. Faciet is incisionem supra os pubis, in quam specillum immittet cannulæ simile, illudque sub peritonæi processu secundum ipsius longitudinem impellet, atque surrigendo à vicinis fibrosis & nervosis corporibus quibus adhæresci divellet, mox & vasa spermatica cum cremastere testiculi musculo abstrahet, quibus perfectis ipsum processum seorsum abducet, ejusque quantum laxius est exiguis & laxis forcipibus, foraminibus in medio pervijs, comprehendet, atq; acu quinque vel sex fila ducente trãsadiget quam proxime vasa spermatica & cremasterem musculum. Sed & iterum ducenda erit acus in ejus quod ex processu restat medium, una comprehensis vulneris labris: tum arcto modo filum constringendum, & à sectione tantum e-

jus re-

jus relinquendum, quantum satis sit, ut extrorsum è vulnere pendeat. Id filum putredine sensim dissolvetur ex sese: nec vero ante abstrahendum quam natura in ligaturę locum carnem regeneraverit & reposuerit, alias frustra omnis consumtus fuerit labor. Denique vulnus detergetur, carne implebitur, & cicatrice obducetur, cujus callosa durities, delapsuro iterum intestino vel omento obstabit.

Visi sunt alij chirurgi, qui alia arte punctū ejusmodi aureum perficerent. Cutem supra os pubis incidunt, qua parte delapsus fieri solet ad peritonæi usque processum, subque ipsum retectum tenuem virgulam auream semel atque iterum ducunt, ipsamque ductam tantum constringunt, quantum processus ejusmodi laxitati corrigēdæ sufficiat, liberis interim ab adstricti one vasis spermaticis. Hinc extrema virgulæ capita, bis & tertio exiguis forcipibus, sibi mutuo intorquent & implicant, quod supereſt ejus resecant: quod à sectione reliquum extat, id intortum obvolvūt, ne superinductam carné acumine suo pūgat: mox relicta illic aurea virgula vulnus ad instar vulnerum simplicium curant: ægrum in lecto cruribus altioribus & capite depressiore per quindecim & viginti dies continent. Hac arte mul-

te multi sanati sunt: alij in morbū relapsi sunt, virgulæ male complicatæ occasione.

Est & alia puncti aurei ratio, quā ego expeditiorem & tutiorem judico, vel hoc nomine, quod nihil heterogeneū in parte post sanationē relinquit. Ergo virgulæ aureæ loco plūbeā inducūt, quæ uno tantū circūactu processum peritonæi cōplectatur, hinc qnantū opus est cōstringitur, nō scilicet laxius, ne lapsuro corpori vitā relinquat, neq; arctius, ne intercluso spiritib. & nutrioni ingressu gangręna invadat: reliqua ejus extrema extrorsum prominere & pendere sinuntur: cum tēporis mora callū cōtraxisse peritonæi illa contractura videtur, tū inducta evolvitur & molliter subducitur virgula, reliqua inde vulneris curatio arte perficitur. Pareus lib. 7. cap. 16.

Quidam modū cum filo aureo omniū pulcherrimum atq; tutissimū esse affirmāt. Eo siquidem testiculus nō perit, nec ullatenus impeditur. Nam filum ex auro tracto trāsmissum & intortum, constringit, tātum erythroidem, non vasa spermatica. Itaq; filum id stringitur varie pro ætatis ratione. Siquidem in adultis, quia nō augebantur partes, id filū magis stringitur quā pueris, quos speramus crescituros. Satis est canalem reddere sic angustū, ut non transmittat intestinū, vasa in eo sint libera. Modus est, secatur cutis in pube, acus curva sub e-

rythroeide transmittitur cũ filo auri. Id filum supra erythroeidem breve contorquetur forfice, ita ut nõ pũgat suis extremis. Vulnus carnis suitur, & sic consolidatur. Filum id nunquam decidit, nec putret. Laur. Ioubertus Annotat. ad tract. de Gutta Guid. Cauliaci.

OBSERVATIO LXXIII.

Securior, sed longior curandæ herniæ modus.

Modus est, quẽ docet Nicolus, quo circulatores utũtur in hernia intestinali, aut testiculotũ, & trahunt testiculũ supra, & cũ vasis seminis extrahũt supra inguẽ, quæ operatio periculosissima est ac violentissima. Cũ tamen Rasis vigesimo quarto cõtinentiũ doceat curare herniã intestinalẽ sine exectione testiculi & vasorũ seminis: solũ cõpressis intestinis, duro pulvinari cũ vinculis ferreis in modũ freni adurere super inguen locũ, per quẽ descendere solebant intestina, atq; cõsolidare, ita ut interim per quadraginta dies supinus maneat, nec moveatur, nec intestina descendere permittantur: & ustio fiat cũ candẽti ferro, & usq; ad os pubis, ut docet idẽ Nicolus. Et est lõgior cura, sed longe securior & melior. Et potest, ut dicit, fieri in timidis cũ medicamẽto adurẽte: sed nõ est adeo tutũ ob lõgitudinẽ. unde patet quod medici nostræ ætatis nihil sciunt rerum nobiliorũ. Cardan. cõm. ad aph. 27. lib. 6. Hip.

OBSER-

OBSERVATIO LXXIV.

Alia inteſtini, omentique reſtituendi facilior & tutior curatio.

ALiam operationis hujus perficiendæ rationem Theodoricus, Guido adinvenere. Inteſtinum omentumque delapſa, ſic collocato ægro ut ſublatis cruribus capite ſit depreſſiore, in ſuam abdominis ſedem regerũt: inde laxiorem productionis peritonæi portionem unaque ſpermatica vaſa, & cremaſterem muſculum ad iſchium adducunt: tum reliquam apophyſeos ejus partem, convenienti pro ætate & morbo pyrotico inurunt recta ad oſſis perpendiculum, qua devolvebatur inteſtinum, appreſſo. Hac obductam arte eſcharam, ſcalpello ad vivum uſque divellunt, hinc alterum, quod ad os uſque pervadat, pyroticum eodem loco apprimunt: tum eſcharę ex apophyſi commemorata concretæ lapſum procurant. Relictum inde ulcus ad cicatricem perducunt, quæ mox contracto denſiore callo ſic inteſtinis omentoque obſtruat, ut omnẽ ipſis ad ſcrotum aditum deſcenſumque intercludat. Hæc reſtituendi inteſtini omentique via, quamvis tutior & facilior ſit, nequaquam tamen ſibi tentandam putabit chirurgus, ſi ipſa ſic apophyſi peritonæi velut agglutinata adhæ-

adhæreſcant, ut divelli inde & in ſuum locum compelli nequeant: (ab inuſtis enim ſic & violatis inteſtinis graviorum malorum fieret acceſſio) ſi rupta aut amplius dilatata apophyſi, vegrandem tumorē coercita peritonæo corpora prolapſu ſuo faciant: ſi teſtis adhuc pendulus ea in media velut Bubonochia, enterocoles ſpecie, reſtitutus, nondum in ſcrotum deſcenderit: ſi ægri nondum ea ſint ætate, qua ſe, cum ſit operatio, vel immoti, vel excremēta ad arbitrium retinere poſſint. Pareus lib. 7. cap. 16.

OBSERVATIO LXXV.

Monſtroſæ magnitudinis, ſine periculo, herniæ.

NOtandum quod per peritonæi magnas ruptiones, inteſtina ad capitis humani craſſitiem in ſcrotum dilabi poſſunt ſine magno dolore & vitæ periculo, quod per loci & rupturæ amplitudinem fæces, ut facile ſubire, ſic facile regredi poſſint. Pareus lib. 7. cap. 14.

OBSERVATIO LXXVI.

Herniæ triplicis ingens pondus ad libras 60. deveniens: poſt cujus ſectionem mors ſecuta.

IN quodam magni nominis viro vitā ſedentariam agente, temperie humida prędito, &

diu in vidnitate viram transigente, hernia tum aquosa, tum carnosa, ac inteſtinalis (de qua ultima tamen ſemper fuit dubium, cum nullos dolores ſentiret vehementes) ex creſcente in tantam magnitudinē, ut ultra 60. libras penderet: & ipſe amplius hoc propemodum ferre non poſſet, propter difficultatem ſpirandi, cum omnia magna vi deorſum traherentur. Semperque lecto affixus decumbere coactus fuit. Tandem cum nullo amplius remedio locus relictus eſſet, & mors illi brevi, ex ipſius quoque prædicatione, immineret. De conſilio Medicorum & chirurgorum, prius tamen prognoſtico indicato: cum omnibus copia aquæ adeſſe videretur: Sectio fuit adhibita, in loco inferiore, ubi undans aqua percipiebatur. Qua adhibita, ſine magno dolore, effluxit cum impetu illius, ad librā 1. ſed foramine obſtructo, tum medici noluerunt plus excerni. Sequentibus diebus tribus, plus illius evacuatū eſt: & ęger nō male ſe habuit. Verū quarto die ſupervenit febris, cū eryſipelate, quod alioqui illi fuit ſæpiſſime moleſtū, præſertim in pede altero, qui ob ſcirrhum œdematoſum inuſitatę quoq; fuit magnitudinis, paulatim vires decreverunt, ut cū magno multorū dolore & detrimento, paucos poſt dies placidiſſime in Chriſto obierit. Apertū ſcrotū, quod

ex ſe-

ex sectione alioqui satis detumuerat, & spē aliquā cōvalescētiæ præbuerat: reperta intestina putrescentia, quæ procul dubio mortē accelerarūt. De observ. Cl. V. D. D. Ioach. Camera.

OBSERVATIO LXXVII.

Herniæ opinionem nonnunquam testiculus in inguine latens facit, tum quæ huic animadversio debeatur.

Observavi aliquoties pueros quosdam testes retractos habere in interiori parte pubis, quæ ad coxendicis articulum vergit, ac si qui minus periti sunt, Herniam ei parti subesse opinantur, sed Herniam non esse, ex eo cognoscitur, quod locus ille non doleat: deinde, quod ab ea parte scroti desit testis. D. D. Iacob. Octhæus lib. obser. propriarum.

Fit non raro, ut naturæ ignavia etiam in adultis nondū in scrotum propulsi sint testiculi sed diu segniter in inguinibus tumorē excitātes cū dolore, quæ res chirurgo minime malo enteroceles opinionē facit: itæq; dū repellētibus & subligaculis tumorē illum compellere nititur, doloris incrementū facit, & descēsum testiculi in scrotum remoratur. Id ego non ita pridē in puero, quem chirurgus imperitus diu tanquā hernioſum frustra & misere curaverat, animadverti: nam cum unicum in scroto sub-

esse testem animadvertissem, ac nunquam castratũ puerum resciviſſem, procul dehinc ab ipso emplastra & subligacula removeri jussi, parentibusque edixi ut ipsum cursare & saltare permitterent, quo otiose cessans promoveretur in scrotum testiculus, quæ res eventum, ut prædixeram, sensim & sine dolore habuit. Affectionis ejusmodj ratio ut intelligatur, sciendum est marem à fœmina caloris tantũ efficacia differre. Efficacis autem caloris est foras propellere, ut frigoris intro cohibere. Hinc fit ut testes maribus foras ex scroto pẽdeant, fœminis autẽ in imo vẽtre cõclusi lateãt. Cõtingit igitur ut in maribus quibusdam natura frigidioribus testes aliquandiu occlusi cõtineantur, donec juvenili tandẽ ardore deorsum in scrotum propellantur. Pareus lib. 7. cap. 16.

OBSERVATIO LXXIIX.

Enteroceles species quædam sua sponte consanescens.

HYdrops proprie fit, cum inter membranam peritonæũ appellatam & inteſtina, plurimus aquosus humor coacervatur. huc tamen hydropis nomen extenditur ad aquã quę intra tunicam erythroidem, vel exterius inter ipsam & adjacentes tunicas comprehẽditur. Colligitur autem cum collisis aut fractis vasis in puer-

in puerperio sanguis subinde alimẽti rationem defluens, in aquosam serosamq; substantiam mutatur: quæ tandem discutitur, ob ætatẽ ad siccioremq; & robustiorem naturam trãsmutatam. id quod experti sumus in Adriano nostro: quem cum enterocele laborare non sine tristitia putaremus, ætatis progressu multis non ita sperantibus, liberatum videmus. Adrianus Allemannus Comment. ad lib. Hip. de Aëre aquis &c. pag. 72.

OBSERVATIO LXXIX.

Castratores ecthomi vel mortis aut sterilitatis perpetuæ authores.

ETsi ea curandarum herniarũ via, quæ aureo puncto fit, dolore ac periculo non vacet, tutior tamen est quam illa quæ fit per castrationem, quæ ægros remedij crudelitate evectos, manifesto mortis periculo exponit. Castratores enim dum timent ne curatione absoluta supersit relaxatio, violento tractu peritonæi processum à partibus quibus adhæret, divellunt, unaque nervum à sexta cõjugatione qui ad testem pergit, eandem vim vasis spermaticis inferunt: quibus ex rebus dolor excitatur ingens, cõvulsio, hæmorrhagia, inflammatio, putredo, ac denique mors, ut ego in multis observavi, quos paucis post die-

bus, quam execti fuerant, mortuos dissecui. Hæc pericula & damna etsi nonnulli evadant, illi tamen generādi facultate per omnem deinceps victam privantur, cujus gratia testes natura largita est, tanquam partes humanæ speciei conservandæ inprimis necessarias. Quo nomine Galenus ipsos præferre cordi non est veritus, quod cor vitæ principium sit, at testes melioris vitæ: longe autem nobilius est bene vivere, quam simpliciter & absolute vivere: itaque castrati in fœmineam naturam degenerant, nam glabrescunt, vox enervatur, animus deficit, timidi evadunt, cumque inhabiles sint ad omnes fere humanas actiones non potest ipsis vita non esse misera. Quare nunquam exectioni testium subscribam, nisi forte sarcocele, aut gangræna ipsos invaserit. Pareus lib. 7. cap. 16.

OBSERVATIO LXXX.

A ramice curatus interijt.

RAmice vexabatur Michelotius noster: cumque cuidam, qui hanc artem profiteretur, sese curandum tradidisset, duplici statim ille fascia inguen devinxit, non repulso in superiores partes intestino. Dumq; membrum ipsum ita ut erat arctius obligatum in octavū usque diem detinuisset, esset que interim in-

gens

ger: exorta inflammatio, quæ hominem ea parte, qua fascia deligabatur, miserabiliter cruciaret, repente omnis amotus est dolor, & ipse delirare cœpit. Quare cum ad ægrum sero quidem, sed tamen vocatus, accederem, primo arteriam tango, cumque pulsum vix elevari perciperem, & faciem inspectans, eam nimio pallore suffusam atque ipsos etiam oculos cavos effectos animadverterem, jubeo ut sacerdotē accersant: tum fascia illa soluta, locum undiq; nigrescentē cerno, cumq; specillum ulceri imponerem, omnia circumjacētia intestina jam putruisse cognosco. Ex quo paucis dein horis è vita discedēs, utile nobis documentum sua morte reliquit. Benivenius cap. 73. de Abditis.

Non omnes qui à ramice aut vesicæ calculo per sectionem curantur, in vita servantur. Pleriq; etenim eorū moriūtur: quibus videlicet per diuturnitatem mali ac dolorum vires debilitatę sunt, aut aliquod ex internis visceribus corruptum. Quod calculo in vesica cōsistente facilē fit. Tandem enim renes inflammantur, ac deinde suppurantur: & tunc quidē artifex culpandus non est. Sed si siniſtra adhibeatur curatio, culpa in artificem cadit, veluti in hunc, qui intestino non sursum repulso, curationē ramicis temere aggressus fuit. Dodoæ. in Annot. ad c. prædictū.

OBSERVATIO LXXXI.

Ileo epigenomeno herniæ ſymtomati, uti chirurgica ratione ſuccurrendum.

SÆpe contingit ut inteſtina reſtitui nõ poſſint, quod peritonæi proceſſus non ſatis pateant, nam delapſæ una cum inteſtino ſenſim in ſcrotum fæces ibi partim indurantur, partim flatuum acceſſione per reſolutionem auctæ tantum tumorem excitant, ut remeare per id cavum nequeant, per quod paulo ante ſubiverunt. Quo fit, ut à putredine concluſæ eluviei, ſuccedat inflammatio, & nova ſubinde doloris acceſſio: tandemque fæcum egreſſu deorſum per anum prohibitarum ſurſum per os regreſſus & vomitus. Affectionem hãc vulgo Miſerere mei nominãt. Huic ut occuratur ſymtomati, tentãda potius extrema remedia ſunt, quam ut ſinamus ægrum tam turpi & fœdo genere mortis è vita emigrare. Occurremus autem Chirurgia, hoc qui ſequitur modo. Ægrum ſupinum in menſa vel ſcamno religabimus, mox in ſuperiore ſcroti parte inciſionem faciemus intacta inteſtinorum ſubſtantia, habenda deinde cannula argẽtea craſſitie pennæ anſerinæ, una ſui parte rotunda & gibba, altera autem cava. Illam in inciſionis locum indemus, & peritonæi una cum ſcro-

cum scroto inciſi, productioni quam longa producitur adactam ſubijciemus, ut ſecundū eam cavitatem, peritonæi proceſſum, inſertæ cannulæ beneficio à contentis inteſtinis divulſum, recto ductu illæſis inteſtinis, novacula dividere poſſimus. Inciſione mediocri facta, ſenſim digitis in alvum compellentur inteſtina: hincque futura, tántum inciſi peritonæi comprehendetur, quantum ſatis eſſe videbitur, ut per ipſum anguſtiorem redditum, nihil dehinc cicatrice obducta in ſcrotum elabatur. Quod ſi induratarum, vel mora, vel inflammationis ardore, fæcum tanta ſubſit copia, ut inciſio illa non ſit ſufficiens compellendis in ſuum locum inteſtinis, longior inciſio impulſa ſurſum ventrem verſus cannula, facienda eſt: adeo ut libero regreſſui inteſtinorum in alvum ſatis eſſe poſſit, tum Gaſtroraphia ut decet celebrabitur, ut futura anguſtiore reddito peritonæi proceſſu, lapſuris inteſtinis vel omento via intercludetur, de cætero vulnus ut artis eſt curabitur. Sed priuſquam te ad id opus accingas, expendendum diligenter, num ægro adſint, & valeant vires, nec niſi prognoſi inſtituta, & amicis ægri enunciata, tentandum quicquam. Pareus lib. 7. cap. 15.

Peritonæi magna illa ſectio, ab antiquis uſurpata

surpata & nuper revocata, in præsens vero ob Chirurgorum ignorantiam rara (quod multis exitio est) nimirum dum in Hernia intestinali intestinum aliquod quasi captivum continetur, ita ut jam Volvulo laborent, & morti proximi sint, nisi cum subita dilatatione rupti peritonæi secentur. Qua sectione, non ita pridem Vallees pater & filius & Martinus Montargissiensis Borlivet dictus, piæ memoriæ, usi sunt. Qua ratione etiam apud Blæsenses, quidam ex amicis D. Gaudin, felicis memoriæ (in sua præsentia, ut mihi attestatus est) per Maupas celebrem Chirurgum sectus fuit, postquã unanimi consensu, alijs auxilijs deficientibus, hoc inter ipsos esset cõclusum. Tali enim necessitate fit, ut docti, industrij, & prudentes, ejusmodi difficilia & gravia auxilia inveniant, benedictione divina in tanto charitatis opere adjuti. Rousletus de Partu Cæs. Sect. 3. cap. 3.

OBSERVATIO LXXXII

Omenti in testis seminaliumq; vasorum decubitum, mollium ramicum, quos vulgus carnosos vocat, autorem esse.

EGo non semel sane omẽtum in eam testis seminaliumq; ipsius vasorũ tunicam (cui peritonæum originem præbet) devolutum, ac miris modis mediocrem omenti alias constitutio-

stitutionem adauctum deprehendi. Nam cum tota ométi pars alioquin intestinis incumbés, in mediocriter pingui homine, vix libræ aut sesquilibræ pondus excederet: vidi tamen omentum ita præter naturam in ea testis tunica auctum, ut quatuor aut quinq; librarum pondus penderet, & ventriculū ex sua sede ita deorsum distraheret, ut ventriculi deficiéte munere, varijsque obortis singultibus, id pondus mortis occasioné fuisse inter secandum collegerim: cum in morbo quodam laterali, qui alioquin bene expurgatus fuerat, scrotum ex more ab ægro adstantibusq; subligari neglectum fuisset. Quin etiam quo exactius ramicū herniarumve, uti vocamus, rationem perquiro, eo etiam magis omnes illos molles ramices, quos carnosos vulgus appellitat, ac merito à varicosis affectibus distinguit, ex omenti prolapsu, incrementoque progigni, mihi persuadeo. Vesal. lib. 5. cap. 4. De corp. hum. fabr.

OBSERVATIO LXXXIII.

De Hydrocele.

HYdrocele alias universum scrotū, modo unam ejus partē, siniſtram videlicet, aut dextram, occupat. Impletur totum scrotum hydrope vel etiam cachexia laborantib. Quæ vero unā tantum partē afficit, aliam occasioné habet,

habet, nec hydropicos comitatur, sed omnino aliter affectos. Non colligitur quoque humor in scroto, sed in membrana erythroide testem continente. supervenit quandoque ex causa aliqua externa & manifesta, ut à casu, aut percussione: crebro vero etiam ex latente & non manifesta causa. Quæ autem ab externa causa accessit, aut dextrũ aut sinistrum testem indifferenter affligit, & in tumore sanguis sæpenumero concretus ac corruptus continetur. A latente vero ac non manifesta causa originem ducens, nunquam alium quam sinistrum testem occupasse diligenter nobis inquirentibus observatum. In hac humor influit tenuis, & urinæ consistentia similis, erythroidem distendens membranam: qui subinde tam copiosus in hanc fertur, ut tumor quandoque ad humani capitis magnitudinem perveniat. Testis autem substantia ab acrimonia humoris successu temporis, non tamen mox, corrumpitur. Veteres, inter quos apud Actium Leonidas, Hydrocelen tumorem esse laxum, & citra dolorem, tradunt, & talem quidem sæpissime contingit repetiri: secus tamen in Anglo quodam evenit. Inciderat hic in gravissimum sinistri testis cum tensione dolorem: qui nullis cataplasmatis, fomentis, emplastris, multo minus inunctionibus placari

cari aut leniri potuit. Vnicum videbatur remedium sectio, & testis ablatio. Antuerpiæ illo tempore multi erant celebres & magni nominis Medici: plerique horum curationem tentarunt. cum autem sese nihil proficere experirentur, in eandem nobiscum sententiam devenere, in sola sectione unicam & solam spem reponentes: interim tamen nemine de hydrocele opinionem habente, sed omnino alium circa testem affectum consistere suspicante. Sectus igitur tandem est æger, & sinister testis ademtus. In ipsa autem sectione demum cognitum hydrocelen fuisse affectum, copiosa in secantis faciem aqua exiliente. Testis integer & haud quaquam corruptus extitit (nuper enim natus erat dolor) quem cum etiamnum calentem chirurgus medium divideret, ex ipsius centro semen erupit. quod annotatione dignum. Curatus ac sanatus à vulnere, paulo post de lumborum dolore ac gravitate conquerebatur: apparebant in lotio arenulæ quædam, de latente aliquo in renibus calculo suspicio erat. In pube deinde circa cicatricem dolor cum tumore successit: accedentibus vero & alijs symtomatis, mors tandem subsecuta est. Scarificato autem circa pubem ac cicatricem loco, aquosus effluxit humor, & quidem copiosus. ren vero sinister

durus

durus admodum erat, ac justa quantitate major, & substantia interiore haud parenchymatis colorem referens, sed candidior, concreto ac indurato puri (quod subinde in affectibus varias formas accipit) similis. Hinc apparet, & abunde manifestum est, quamobrem hydrocele sive aquosus ramex, haud ab externa, sed à latente causa procedens, nõ nisi in sinistram membranam incidat, atq; hujus testem affligat. Nam hujus partis seminalis vena non ex cava, veluti dextra oritur, sed ab emulgente sinistri renis procedit ac originem sumit. Rene vero hoc male affecto, nec officio suo probe fungente, urinæ pars, quam emulgens hæc ad se pertraxit, cum ad vesicam per male affectũ renem non potest descendere, per seminalem in erythroiden delabitur, hydrocelen eo modo ingenerans. Sublato autem teste una cum sua membrana, non amplius illic decumbere humor potest. Quod si aliquis eo postea descendat, hunc in pube hærere necesse est: veluti Anglo contigit, cui paulo ante mortem humor, qui defluxerat, hoc loco substiterat, tumoremque cum dolore, ut diximus, excitaverat. Dodonæus cap. 39.

Observat. Medicinal.

OBSER-

OBSERVATIO LXXXIV.

Scroti in hydrocele periculosa sectio.

IN generoso quodam viro, quam omnis periculi plena sit scroti & erythroidis membranæ in hydrocele per scalpellum apertio, teste non sublato, compertum est. Ab aliquot annis sinistra parte hydrocele huic molesta fuerat, frustra cataplasmatis, ac alijs remedijs crebro usus, tandem temerarij Chirurgi consilio acquiescens aperiri sibi scalpello tumorem permisit. Effluxit citò omnis humor, tumor quoque subsedit: sed cum testis ipse omnino esset corruptus, vicinas partes facile infecit. Subsecuta mox scroti universi, ac etiam penis cum tumore & ingenti dolore gangræna. Delirium cum vehementi febri propter doloris magnitudinem supervenit: ac non ita multo post mors successit. Ren hujus sinister corruptus fuit & seminalis in erythroiden descendens, valde ampla & multum patens. Dodonæus cap. 40. Observat. Medicinal.

OBSERVATIO LXXXV.

Hernia aquosa aperta, nobilis quidam præter spem servatus.

ANno 1555. Mense Martio in suburbio sancti Germani nobili cuidã cultello aperta hernia

nia aquosa, unde in Gangrænam, dolorem intollerabilem, febrim, & delirium incidit, unde mors ab omnibus exspectabatur. Excluſa multa aqua per urethram, conciſa magna parte gangrænæ, convaluit præter expectationem. Scholiograph. ad cap. 62. Lib. 1. Hollerij de morb. intern.

DE MVLIEBRIVM GENITALIVM PARTIBUS:

Et primum,

DE EXTERNIS.

OBSERVATIO LXXXVI

Ex inguinibus & alis vulvæ mulierũ & virginum quarundam, monſtroſæ carneæ excreſcentiæ, ſtrumarum inſtar, ponderis librarum 18 25. 34. *ad genua & crura uſq; à tenuiore baſi propendentes, enatæ: uberum vaccinorum ſubſtantia, glandulis & pinguedine refertæ; quarum nonnullæ ſine vitæ periculo per chirurgiam liberatæ: aliæ vero mortuæ.*

In ho-

IN hoſpitali Piſaurenſi, mulier nata annos quadraginta quinque carnoſam quandam excreſcentiam ab inguinibus naſcẽtem, pondere fere viginti quinque librarum patiebatur, quæ non minus illi inter crura pendebat, ac tamex inteſtinalis, qui viris ſæpe evenire contingit, & ſacci inſtar inter crura pendet. hęc cum à me viſa eſſet, paucis interjectis diebus diem ſuum obijt; quam illico, convocatis undique medicis & chirurgis, diſſecuimus, & prominentem carnoſitatẽ dictam per medium ſcindimus, in qua nec inteſtina aſſervabantur, ut nonnulli putabant, nec intus uterus continebatur, ut alij credebant, ſed nec in ea aquoſitas aliqua erat, ſed tota ipſa pendula caro erat, alba, pituitoſa, uberis carnem præ ſe ferens, nam vulvæ os, in parte hujus pendulæ alta continebatur. cæterum hac deformi carnoſitate inciſa, & recte viſa, ad membrorum naturalium contemplationem nos divertimus; nam hujus jecur ita magnum & craſſum videbatur, ut ſex æquaret libras nulla in eo diviſione conſpecta; proinde deſinat Sylvius in Veſalium maledicta profundere, doctus namque eſt Sylvius Pariſienſis, & cujus doctrinæ ego multum tribuo. At cum veritas ipſa ante omnia ſit præferenda, jubente ſic Platone, vel meliori authori ea

de causa Vesalio quam Sylvio adhærendum putarim. Sed & hen in hoc corpore crassitie lentore & magnitudine non recte valere indicabat, unde membra hæc naturalia cum infecta essent, & male haberent, vice sanguinis pituitosum excrementum gignebat, quod ad locum declivem illum transmissum, deformem hanc carnositatem genuit, intra annum autem pendula hæc admirandam magnitudinem accepit, cæterum, hujus mulieris uterus ita intra intestinum rectum & vesicam contractus locabatur, ut altera vesica ab imperitis & parum in anatomia exercitatis crederetur, solet autem hujuscemodi uterus in nonnullis mulieribus non raro conspici, præcipue sterilibus & quæ nunquam pepererunt, sed ijs quoque mamillæ parvæ & contractæ sunt, ut exillis uteri parvitas & exiguitas etiam arguatur. Lusitanus Curat. 88 Cent. 5.

In Xenodochio nostro, rusticæ Virgini ademta fuit carnea moles, in interiore parte, ubera vaccina, quo ad substantiam, referens, glandulis & pinguedine referta, quæ enata fuit ex cute pudendi, ita ut vulvæ os ad latus fuerit retractum dextrum, basis hujus molis vix quatuor vel quinque transversos digitos æquavit prope pudendum, sed inde sensim incremen-

tum sumens, inter crura lata admodum circumferentia propendit. Hæc pependit libras civiles 18. Postquam sectione fuit ablata & curata, bene valuit. Doctissimi Viri D.D. Georgij Palmæ Medici Observatio, per Cl. V. D. D. Ioach. Camerarium liberalissime cum alijs communicata.

Virgini viginti annorum, in nostro Prochodochio, cum ex suppressis mensibus venter intumesceret, hydropis suspicio fuit obortа, ad hanc depellendum varijs incassum usa: tandem cum per quadrienniū indies ventris moles augeretur, ita ut vix ferendo oneri par esset, nihilominus faciei color vividus, & labia rubicunda apparebāt. Post paracenthesin administratam, unde parum quidem aquæ effluxit, ex longo cruciatu pie decessit. Venter apertus, jecur optime constitutum sese obtulit, repertavero rotunda carnea moles ejusdem, cum præscripta substantia, ex uteri externa superficie, duobus crassis processibus enata, pendens libras civiles 34. Idem.

OBSERVATIO LXXXVII.

Caro ex naturalibus prolapsa.

RArius, sed aliquando tamẽ morbus quoque ipse novus est, quod non incidere, manifeste falsum est. Cum ætate nostra quædam ex naturalibus partibus carne prolapsa & hærente intra paucas horas expiraverit, sic ut nobilissimi medici, neque genus mali, neque remedium invenerint. Quos ego nihil ideo tentasse judico, quia nemo in splendida persona periclitari conjectura sua voluerit: ne occidisse, nisi servaverit, videretur. Celsus in præfat. operis de re medica.

OBSERVATIO LXXXIIX.

Vena digiti indicis longitudine & crassitie ex vulva propendens, Hæmorrhoidum instar, enata.

VIdi mulierem quæ est usque hodie in vita: & nata erat intra vulvã suam emorrois longitudinem digiti indicis, & ejus grossitudinem habens, donec prohibuit virum posse coire cum ea: & rogavit me incidere eam, & curare ipsam: & non fuit mihi conveniens facere illud, quoniam ipsa habebat principa-

tum

rum in mundo, & censum multum, & vir ejus est unus Rex hodie. Hali Rodoham comment. ad libr. 3. Galeni Artis Medicinalis Text. 177.

Mercurialis historiam hanc interpretatur de mentula muliebri de qua subsequēte proximo Lemmate.

OBSERVATIO LXXXIX.

Mentula muliebris, Hippocrati Κλών, *id est, columellæ, aliis Clethoris, quibusdam Nympha dicta: recens ex veterum scriptis & neotericorum observatione inventa & descripta.*

AVicenna 3. lib. fen. 21. circa finem meminit cujusdam partis in pudendo muliebri sitam, quam virgam vel albarhara vocat. Hanc Albucasis lib. 2. cap. 71. tentiginem appellat, quæ solet aliquando ad tantum incrementum pervenire, ut mulieres hanc habentes coëant cum alijs, veluti si viri essent. Partem hanc Græci κλητόριδα vocarunt, unde verbum κλητορίζειν obscœnum deductum est. Anatomici vero nostri penitus neglexerunt, neque verbum quidem de ipsa faci-

unt. Particula hæc eadem virili peni respondet,& ex duplici nervo constat intus spongioso atque atriori crassiorique sanguine refertо, uti in viris. Oritur bifurcato principio ab osse utroque pubis,atque in utroque principio dicto musculum satis manifestū parvum tamen pro magnitudine partis habet,vasa per dorsum currentia adsunt quemadmodum in virili membro,desinitque in quoddam extremum, quod ceu glans videtur contenta quadam pelle veluti præputio, quæ pellis jungit pudendi exterioris gemina illa corpora, quæ à Græcis, præcipue à Sorano πτερυγώματα vocantur. Totum hoc pudendum quia parvum est, & latitat in pinguiori pubis parte, ideo anatomicos etiam latuit,atque ita latuit, ut ego primus fuerim,qui superioribus annis idem patefecerim, & si qui alij de hac re locuti sunt, aut scripserunt, scias quod ipsam aut à me, aut à meis auditoribus accepere, neque tamen ob id rem ipsam bene norunt. Extremam glandem istius penis statim reperies in parte superiori ipsius pudendi exterioris ubi junguntur, vel unde incipiunt dicta πτερυγώματα. Fallopius in Observ.Anatom. ad Petr. Mannam.

In elatiore muliebris pudendi sede, quæ ante-

anteriori pubis ossium regioni innititur, inter pudendi labra alasve duas lingularum fere in modum prominulas eminere scripsi cuticulares caruncul as, quæ non omnibus vel ejusdem regionis mulieribus æque sunt magnę ac procerę: uti etiam eidem quoq; mulieri ambæ non pari semper modo eminent. Quibus vero caruncul æ hæ ad suaviorem indubie affectum, ac veluti titillationem, & illecebram procreatæ, & in septentrionalibus mulieribus & pudicis, longe, quam in cæteris humiliores, & demissæ, donentur nominibus (inter quæ κλητίδες etiam occurrit) & qui apud Ægyptios jam nupturis virginibus (uti etiam omnibus puellis adhuc hodie apud Abdaritas seu vocati nobis Presbyteri Ioannis gentem, perinde ac masculorum præputium, religionis ergo) præscindi soleant. dein qui subinde vestium attritu veluti in tentiginem actæ tumeant insurgantque, & interdum viro in venere molestius obsistunt magna ex parte, suo loco à me est descriptum. Iam si varios hermaphroditos (quos ego in meis anatomicis scriptis, quoad illa ad morbos & monstra non pertinent, haud prætermisi) perinde atque ego vidisses, aut tum Patavij fuisses, cum uni, qui jam precio sese aliquando spectãdum denudaverat, Pavanellus Chirurgus per par-

vi cujuſdam in lingularum loco conſiſtentis penis parvorumque illi accumbentium teſticulorum reſectionem ſuccurreret, iſque plane ab ipſo mulier divulſo una utcunque craſſo hymene, reddebatur, fortaſſis inquam propter quendam naturæ luſum in quapiam muliere abs te obſervatum, alios omnes inſcitiæ modo præter rationem, nõ argueres, novamque & interim inutilem prorſus partẽ, ac veluti membrum aliquod, integris alioquin mulieribus haud aſcriberes. Exiſtimo namq; ſatis propendentem, & in tentiginem aliquando ſeſe educentem in hermaphroditis (qui alioquin muliebria habuerunt perfectiora, & qui apud Æginetam aperte deſcribuntur) non ſemel mihi viſum penem, & illum Avicennæ albatharam, & Græcorum nimis excedentem, & in morborum claſſe habitam nympham, mulieris cuipiam ita proveniſſe, ut penis ille extra cutem non eſſet exortus, rudimentaque tantum quædam puſillæ mentulæ haberet. Quæ cum forte fortuna tibi inter ſecandum occurrit, illa hujus tuæ obſervationis cauſam dedit. Nihil namque certius eſt, quam in omnibus mulieribus, in ſuperiori pudendi ſede, in qua à me deſcriptæ, & adhuc in naturę metis comprehendendæ eminent caruncułæ, penem, vel minimum

mum haud reperiri, qui à pubis ossibus pronatus,& musculis aliquot præditus, sub cute dictave pudendi sede latitat, tentiginemq; experitur,& illum in naturalem, quem fere ex Albucasi(qui alias de morbis hic loquitur)ipsi assignas usum,præstat. Vesalius in Exam. Observ. Anatom. Fallopij.

Virga muliebris, à piæ memoriæ præceptore meo Fallopio ex antiquorum Arabum scriptis eruta, virorum peni similis, sed multo minor,& magis occultata, à Sorano & Ruffo κλητορίς, ab Arab. albathar, ab Albucasi tentigo dicitur: habet suam glandem & præputiũ virili proportione respondens: lingua Samior. νυμφὴ. Coiter in Tab. Externarũ hum. corp. partium.

Processus parvus, Clithoris dictus seu Tentigo, elatiori sede, in medio ubi caruncũlæ cõveniunt, in pinguiore pubis parte occultatus, leviter tantum prominet. Hic peni parvo, qualem cuniculi habent (licet interdum valde excrescat) admodum similis, tum exortu à pubis osse, tum corpore, quod duplex quoq;, nervosum, fungosum, sanguine plenum, ut penis habet, musculosque & venas illi adhærentes: forma etiã, quod in glandem quoque desinat, pellicula, seu præputio obtectam. Pruritum in his locis eximium efficit, & forte ca-

runculas quibus pellicula utrinque jungitur, ne dependeat, sustentat. Platerus de Corp. hum. structura & usu. pag. 169.

Intra pterigomata seu alas vulvæ conspeximus (monstratore Domino Aquensi) excelsiorem illam particulam, fere acuminatam, in apice vulvæ circumvolutam supra lotij foramen, sedem libidinis, quam dixit Anatomicus in quibusdam adeo excrescere, ut eadē particula instar virorum coëant mulieres. Vidit ille aliquando excrevisse ad minoris digiti magnitudinem, & secundum hanc mulieres fieri hermaphroditas: eadem particula suum habet præputium instar membri virilis. D. D. Martinus Holtzapfel de Observat. Patavinis.

Ante annos viginti tres aut circiter, quo tempore Reipub. Haganoēsis Medicum agerem, cum honestam quādam & pudicam matronam Patritiæ gentis, cujus nomini & familiæ, ob eam quæ in Medico fidem & silentium requiritur, parco, ulcusculis serpentibus, dysiatis, cum forma tum natura, aphtis malignioribus haud absimilibus, ejus sinum muliebrem infestantibus, percurarem: & dioptra, speculo matricis vulgo dicto, tum ad explorandum affectum, tum remedia admini-

miniſtranda neceſſum haberem : talem ſive nympham, ſive Cletoriden primum mihi ex ejuſdem pubis oſſis regione pronatam, & per pudendi rimam, minoris digiti mei dimidij longitudine, & ejuſdem circa baſim craſſitie, ſed apicem verſus tenuatiore videre contigit. Nupſerat hæc quinto marito, nondum triceſimum quintum annum egreſſa, tribus quidem ſenibus & vetulis, uni vero juveni, qui ex diuturno morbo ex venere, ut credebatur, contracto, contabuit, quinto tum temporis adhuc ſuperſtite. Quæ diligentius & ſerius percunctanti mihi, fidemque meam, ne proderetur, interponenti, liberrime confeſſa eſt: Caruncularn hanc etiam flaccidam & corrugatam, citra libidinis imaginationem ullam, ea qua dixi quantitate extra pudendum prominere ſubinde. Atqui in congreſſu cum marito, aut alijs venereis conceptibus, imo vero ſolo veſtium contactu mentulæ inſtar ſæpe inflari, turgere atque erigi, & ad venerem irritare. Fuiſſe autem ei à primis pueritiæ annis familiare digitis hanc caruncularn ſubinde verſare, ex quo cum ſuavem in ea ætate titillationẽ perſenſiſſet, ex conſuetudine poſtmodum factum fuiſſe, ut vel dormiens quoq;

manuum

manuum alteram ad pubem compositam cõtineret. Atque hujus occasione nympham ex frequenti nimirum tractatione ad turpẽ hanc formam excreviſſe arbitrabatur. Veſalius prominulas ſub labijs utrinque conſtitutas carũculas, veras veteribus celebratas nymphas & cletoridas eſſe decernit, quibus etiam tentiginis incrementum & affectum, tũ etiam eorundem præſectionem attribuit: Fallopij de muliebri mentula recens ex veterum exacta lectione ex corporum reſectione reijcit, & ad hermaphroditos monſtroſaque corpora refert. Ego etſi inter tantos arbitrari difficillimũ putem, nihilo tamẽ minus in Fallopij potius, quam Veſalij ſententiam authoritate & rationibus innixus inclino. Coiterus Fallopij mentulam plane recepiſſe viſus eſt, utcunque alias Veſalij maximus preco. Platerus vero dum cuniculi mentulæ eandem confert breviterq; ſimul & exacte deſcribit, eidem de ſectionibus innotuiſſe apparet. Accedit conformatio, quæ mentulam muliebrem ex tot prope partibus, quot virilem conſtare docet, id quod de carunculis ſub labijs nemo puto tentabit. Prętera nemo facile duas nymphas & cletoridas in uno pudẽdo muliebri vel de ſcripto à quoquã aut reſectionibus animadverſum oſtendet. Manifeſte interim Græcis & Arabibus, nympho-

nymphotomiam, ubi caruncula hæc ex incremento vitium fecerit, de unica saltem non de duabus præscribentibus. Quod si non in omnibus mulieribus, siquidem venere potissimum exercitatas ad notionem hujus requirimus, secundum naturam constitutis, mentula illa in conspectum veniat, meminerint illi velim, id verius ob exiguitatem evenire, quo minus cernatur, maxime si ex cadaveribus, ubi tam exilis hujusmodi particula ut plurimum conciderit inspectio petatur. In vivis vero cũ omnia calore spiritu & sanguine turgent, etiã extra monstrosam constitutionem inventu faciliorem hanc muliebrem virgam judicaverim. Quæ causa est, cur meam quoque observationem subijcere placuerit. Cuticulariũ caruncularum sub alis sitarum, veluti Hæbreorum aliarumque ex lege & religione præcisio, veræ mentulæ nihil derogabit. Cuivis interea suum cum experiundi tum judicandi judiciũ salvum permitto. Ioannes Schenckius.

De Nympha ejusdemque usu vide Varoliũ lib. 4. cap. 4. Anatomes.

OBSERVATIO XC.

Sedes oblectationis in congressu venereo.

A ma-

A matricis lateribus (mirum audies) bini proceſſus conſtituuntur, qui duo oblonga ligamenta videntur eſſe, nervea cavaque, ligamenti etiam munere fungi creduntur: at ad ſummum os pubis minime perveniunt, ut Veſalius exiſtimavit, ſed per ea foramina trāſeunt, quæ in nervoſis tenuitatibus muſculorum obliquorum deſcendentium, aſcendentium & tranſverſorum ſita ſunt, quemadmodum in viris, per quæ vaſis ſeminarijs aditus patet. etenim fœminis hi tendines perforati cernuntur: quāvis Veſalius id inficietur. Proceſſus igitur hi ab utero exorti, prope id foramen, quod os matricis vocatur, extra abdomē exeunt, ſupra pubem aſcendunt: deſinunt autem in particulam quādam excelſam, in vulvæ apice circumvolutam, ſupra id foramen, unde lotium exit: Et hæc Lector candidiſſime illa, illa præcipūe ſedes eſt delectationis mulierum, dum venerem exercent, quam nō modo ſi mentula confricabis, ſed vel minimo digito attrectabis, ocius aura ſemen hac atq; illac præ voluptate vel illis invitis profluet. Hāc eandem uteri partem dum venerem appetūt mulieres, & tanquam œſtro, percitæ virum appetunt, ad libidinem concitatæ: ſi attinges, durinſculam & oblongam redditā eſſe comperies: adeo ut neſcio quam virilis mentulæ

ſpeciem

ſpeciem præ ſe ferat. Hos igitur proceſſus, atque eorundem uſum, cum nemo hactenus animadverterit, ſi nomina rebus à me inventis imponere licet, amor Veneris, vel dulcedo appelletur. Non dici poteſt quantopere admiror tot præclaros anatomicos, tam pulchrâ rem, tanta arte effectam, tantæ utilitatis gratia, ne olfecerint quidem. Vos autem, qui in has meas lucubrationes Anatomicas legendas inciderits, ſcitote abſq; proceſſibus, quos ego vobis paulo antea fideliter deſcripſi, neque mulierem aliquam in Veneris amplexibus delectationem percepturam fuiſſe, nullos fœtus concepturam, non enim abſq; mutua maris & fœminæ voluptate concipi poſſe etediderim. Columbus Anatom. libr. 11. cap. 15.

Cumque deſiderat & affectat (coitum) permiſceatur ei, fricando de ea, quod eſt inter labia deſuper, ille enim locus eſt locus delectationis ejus. Auicenna lib. 3. Can. ſen. 21. Tract. 1. cap. 10. Fallitur igitur Columbus qui ſibi, velut novum inventum, tot parangelijs notionem hujus attribuit.

OBSER-

OBSERVATIO XCI.

Carnea excrescentia juglandis magnitudine ex elatiore vulvæ parte enata: feliciter execta.

VIduæ ex superiori vulvæ parte carnis excrescentia, cute tecta, adæquans magnitudinem nucis juglandis, pediculo adnata, sectione fuit ablata: quæ adhuc bona fruitur valetudine. De D.D. Georgij Palmæ Observationibus per D.D. Ioach. Camerarium ad me missis.

OBSERVATIO XCII.

Clethoris seu mentula muliebris Matronæ cuidam ad eam deformitatem excrevit, ut collum anserinum, crassitie & longitudine, æquaret.

IN Matrona quadam Clethoris in summitate pudendi, brevi tempore adeo excrevit, & in carnositatem spongiosam, cute intectam, venisque obsitam, degeneravit: ut collum anserinum, & crassitie, & longitudine adæquet, quod circa radicem in pudendo attenuatum, indeque ampliatum, dependet. Hoc auferre studentes, cum filo in materia erodente imbuto circumdaremus, tanta suborta est inflammatio, ut ab incepto desistendum fuerit, ipsaque do-

que dolore permota, jam multis annis manualem operationem detrectet. D. D. Felix Platerus de Obſervat. propr.

OBSERVATIO XCIII.

Mentula muliebris ubi ad deformem magnitudinem excreverit: velut & Cercoſis ex veterum præſcripto præfectio.

NYmpha ſubſtantia quædam eſt muſculoſa, aut pelliculoſa, ſupra alarum pudendi commiſſuram ſita, quo loco urinarius eſt meatus. Hæc in aliquibus mulieribus ad tantam magnitudinem augetur, ut deformitatem ac pudorem inducat. Quin & à veſtimentorum contactu aſſiduo arrigitur, & ad venerem ac coitum proritat. Quapropter Ægyptijs viſum eſt, ut antequã exuberet, amputetur, tunc præcipue cum nubiles virgines ſunt elocandæ. Amputandi vero modum hunc tradunt. Virgini in ſella locatæ retro aſſideat adoleſcens robuſtus, qui brachia ſua poplitibus virginis ſubijciat, cruraque ejus ac totum corpus regat. Et tum chirurgus ante ipſam ſtans, forcipe amplioris nympham corripiat, & per ſiniſtram manum diſtendat, per dextrã vero prope forcipis dentes reſecet. Menſuram autem

resectionis eandem quã in columellæ sectione obseruare oportet, ut ne funditus ipsam resecemus, sed supervacua tantum pars amputetur, proinde prope dentes forcipis nympham resecãdam esse diximus, quoniam cum pelliculosa sit, plurimũ extenditur, & nisi quis diligenter obseruet, facile ultra quam oportet amputationem faciet, atque hinc caruncularæ decrementum, rhæada Græci vocant, consequitur, peracta chirurgia, spongia ex vino adstringẽte aut aqua frigida expressa vulnus detergeatur, & manna thuris inspergatur, & linamentũ posca madefactum indatur. Et spõgia ex posca expressa super deligetur. Post septimam vero, cadmiam minutissime tritã per se, aut cum rosarũ floribus insperge. Aut siccũ ex lapide phrygio paratum, & ad pudẽdorum fissuras descriptũ. Aut cinerem ossium palmularũ insperge. Aëtius Tetrabib. 4. ser. 4. c. 103.

In quibusdam mulieribus carnosa quædam substantia ab uteri osculo oritur & muliebre pudendum replet. Aliquãdo etiam extra progreditur instar caudæ, unde etiam nomen habet. Mulier itaque, velut in nymphæ amputatione dictũ est, locetur, & prominens caruncula forcipe extendatur, & tota ex basi resecetur, post chirurgiam curatio velut in nympha peragatur. Idem cap. proxime sequenti.

OBSER-

OBSERVATIO XCIV.

De Hymene animadversiones recentiorum.

A Tergo colli vesicæ insertionis, paulove interius, carnea occurrit membrana, quę hymen & eugion appellata, virginibus est peculiaris. In cæteris namque mulieribus coitu, aut alioquin petulanti quopiam attritu divulsa, laceratave abolletur, neque inter secandum, aliasve liquido sese offert: cum interim vel citra dissectionem in puellulis, diductis nimirum illarum, perinde ac si emicturæ essent, cruribus, persæpe visitur. Perinde enim ut septum transversum in homine reponitur, aut potius, ut vasis alicujus fundus transversum ipsi innexus commissusve est: ita quoque membrana hæc transversim in cervice uteri ea qua diximus sede consistit, & cervicis substantiæ eum in modum continuatur, ac si ex ipsa non aliter enãscereture, quam caniculares carunculæ ex illa prodeunt. Carnea hæc membrana, tota sede qua è cervicis uteri lateribus enascitur, modice crassior est, quam reliqua ipsius amplitudine: quæ alioquin insigniter tenuis, & non secus quam carnea quæpiam membrana mollis existit, longa sectione instar rimæ

cujusdã pervia. adeo ut, hujus sectionis occasione, hymẽ sanguinis menstrui purgationem in virginibus neutiquam impediat, & albi illius crudique humoris fluxum quoque promte transmittat: quem etiam admodum puellis nonnunquam accidere, Aristoteles recte prodidit. Quod vero Arabes alicubi quinque venulas in cervicis uteri medium pertinere, ac dextratum venularum ora, sinistri lateris venularum oris committi, ex hisque Centonem ipsorum interpretibus vocatum, adeoque hymenem efformari scripserint, conjectura magis quam sedula resectione factum mihi persuadeo: cum scilicet membranæ hujus nostrę Arabes haudquaquã meminerint, sed commissas invicem suis osculis quasdam in uteri cervice reperiri venulas ex sanguinis fluxu imaginati fuerint, qui sane in prima coitione, quam Terentius acerrimam dixit, copiosissime profluit, modo tunc puella integrum alias & prius quavis tandem causa nõ vitiatum hymenem habeat. Quanquam enim nullæ venulæ ab Arabibus traditæ suis finibus conniveant, connatæve sint: nihilominus tamen rationibus assequi est promtissimũ, qui membrana hæc, impetu rupta vel lacerata, & dein continuo affrictu divulsa excalefactaque sanguinem promanare sinat: non aliter quam in

coitu

coitu ruptum præputij vinculum, quod plus æquo excedens, glandis apicem deorsum præter modum intorquet. Vesalius lib. 5. cap. 15. De corp. hum. fabrica.

Ob ostij matricis affectus, meam de hymene sententiam paucis annectere placuit, adversus multorum etiam insigniũ medicorum conceptam semel opinionem, quasi eo non omnes muniantur virgines. Diversum autem à me asseritur, eo nimirum universum puellarum genus ab initio dotatum esse, nulla excepta: atq; hunc virginitatis existere custodem, claustrum & munimentum. Eum Arabes novere, ut Avicenna lib. 3. fen. 21. tract. 1. cap. 1. itẽ Almansor. Habuisse item ejus notitiam Cornelium Celsum, inde colligo, quod in calculi fœminarum exectione, virgini digitos subijci vult tanquam masculo (hoc est, per anum, ob hymenis videlicet interpositum, & pudendi ostium contractius) mulieri vero per naturalia. Ex neotericis hunc admisere Alexander Benedictus, & cum eo alij numero pauci. Andreas Vesalius, qui principem facile locum in dissectionis exercitio obtinet, etsi in doctissimis suis De Humani corporis fabrica cõmentarijs, hymenis leviter ex Arabum sententia in priori editione meminisset solũ, quod nullas aut raras admodum secuisset virgines: ta-

men postea in libello de radicis Chynæ usu hunc ex frequentiori observatione diligenter describit, ijs verbis: In uteri cervice puellis, mox post ingressum colli vesicæ, in superiorē muliebris sinus partē, septum quoddam occurrit transversum, carnea cuticularique constans substātia: illi prorsus simili, qua nympham efformari cernimus. Septum hoc cervicis uteri lateribus sua crassitudine est adnatū, paulo in connexu quam reliqua amplitudine crassius, quamvis interim membranæ crassitiem non multum superet. In medio septi foramen occurrit longa sectione pudendi modo dissectum, adeo ut menstruas purgationes in virginibus nō retineat: neque opus sit confingere venas aliquas hoc septo seu hymenæo inferiores, è quibus menstruus sanguis virginibus promanaret: aut quæ ab illis distingui debeant, quæ mulierum menses alioquin dimittunt, discrimine inter prægnantes & utero gerentes subaudito. In secunda autē editione suorum Anatomicorum librorū copiosius de hymene disserit. Nec minus exacte in suis observationibus Anatomicis hāc virginitatis zonam depingit celeberrimus in hoc artificio, Gabriel Fallopius, ad hunc modum: Aliud etiam notandum in hoc sinu mulierū est, quod Anatomici aliquot reperiūtur, illos deridentes,

tes, qui hymena ibi collocãt. Verum mea sententia non sunt ita deridendi: quoniam revera tu videre poteris in virginibus membranam quandã nerveam, non autem carneã, quæ immediate post ἄρηβρον (ita enim Græci vocant canalẽ, per quẽ mingunt fœminæ, vel rectius collum ipsius vesicæ) adest, & claudit sinũ per transversum. Attamen nõ est integra hæc mẽbrana, sed in medio perforata, ut minimus digitus manus suo apice in adultis facile ingredi possit: hocq; virginale claustrum est, ac per foramẽ ipsius facillime egrediuntur mẽses. Hoc noluit Soranus esse membraneum: sed potius esse ipsius sinus muliebris angustias, factas ex quibusdam rugis collectis, quę à vasis ex utero illuc prodeuntib. contrahuntur: eumq; hæ dictæ rugæ extenduntur in stupratis virginibus, atq; dum vasa dicta disrumpuntur, doloré pariunt, & sanguinem (veluti si mactata esset victima) effundunt. Pace tamẽ ego tanti viri dixerim, quod mihi potius videtur membrana non admodũ crassa, atq; in medio annuli modo perforata, quæ postea lacerata in stupro, ac præter modum distẽta, doloré incutit, & tandem (veluti in viris fit, dum laceratur glandis frenum) evanescit. Hactenus ille. Hisce Carpi & quorundam Anatomicorum sententia stabilitur. Claustrum id cognovit & author carminis vulgo triti.

Est magnum crimẽ, perrumpere virginis hymen.

Existit autem in alijs membrana hæc tenuior fragiliorque: in plerisque tam solida, crassa & firma, ut sectione opus sit. Ea tamen interdũ à mariti validi insultu frequenti, etiam post menses aliquot pertunditur: qui si quandoq; segnior aut impotentior fuerit, chirurgi adminiculo erit juvandus. Dum vero ea tenacior seduli initus violentia impetitur fatigaturque, intumescit plerunque usq; adeo cum annexis particulis, ut penem amplius non admittat, præcludatque viro accessum omnem, nisi incisa. Hæc exemplis mihi notissimis facile demonstravero. Hymena præterea novit divinus ille legislator Moses, promulgato ex Dei voluntate ejusmodi edicto, Deuteron. 22. ubi judiciorum virginalium meminit: Si duxerit vir uxorem, accesseritque ad eam, & odisse eam cœperit, quæsieritque divortij occasiones, nomen pessimum ei objiciens, & dixerit: Vxorem hanc duxi, & ingressus ad eam, nõ inveni virginem, vel virginitatis signa: tollent eam pater & mater ejus, & proferent signa virginitatis puellæ ad seniores civitatis, qui sunt in porta. dicetque pater: Filiam meam dedi huic uxorem, quam quia odit, imponit ei no-

ei nomen pessimũ, ut dicat, Non inveni tuam filiam virginem: & ecce hæc sunt signa virginitatis filiæ meæ. Expendent vestimentum coram senioribus civitatis, apprehendentque senes urbis illius virum, &c. Quod si verum est verbum illud, & signa virginitatis in puella non fuerint inventa, ducẽt puellam ad ostium domus patris sui, obruentque eam cives illius civitatis lapidibus, ut moriatur. Hucusq; Moses. Ex hymene ejusque usu intellecto, non difficulter hic locus explicabitur. Enimvero in matrimonium traditis virginibus, in primo congressu ex hujus membranæ violenter ruptæ venulis profluit sanguis: cujus lituris, uti virginitatis ad virginalium notarum argumẽtis testibusque tincta quibus hæ teguntur vel incumbunt linteamina, coram magistratu, suspiciosis, conjugesque violatæ antea pudoris zonæ falso in simulantibus maritis expandi, palamque ostendi jubet Moses. Ex historia item memorabili à me cõscripta lib. 2. de Præstigijs dæmonum, è Suida in explicatione nominis Iesu, de perpetua virginitate divæ Virginis, hoc castitatis munimento quascunque vere puellas esse donatas evidentissimum est. Quemadmodum & ex Cypriani epistola 11. ubi agit de virginibus; Deo dicatis, quæ cum viris congressæ fuerint, scribit sexum fœmi-

neum esse infirmum: hinc subjungit. Inspiciantur virgines ab obstetricibus diligēter: & si virgines inventæ fuerint, accepta cōmunicatione, ad ecclesiam admittantur, &c. Si autem de ijs aliquæ corruptæ fuerint inventæ, agant pœnitentiam plenam. Africanis & Barbaris hoc quoque virginalium ornamentum tam innotuit, ut in nuptiarum solennibus certis de causis solenne habeatur. Cæterum, Nigrorum viri hùic fragili sepimento minus fisi, validioribus certioribusque præsidijs filiarum virginalia muniunt. Hi enim (authore Petro Bembo lib. 6. historiæ Venetæ, ubi de Lusitanorum navigatione loquitur) & boni homines & strenui bellatores filiabus suis, ubi primum natæ sunt, pudenda consuunt, sic tamen ut urinæ meatus non impediatur. Illæ autem ubi adoleverint, sic consutæ nuptum dantur: sed primum ea sponso relinquitur incumbitque cura, ut ferro conglutinata cervicis uteri labra secet, dividatque. Tanto est in honore apud homines illos barbarissimos, in conjuge ducenda, virginitatis certitudo. Illis si innotuisset illud linamētum Paracelsi, quod oris hiatui illitum, momento id (si dijs placet) contrahere conglutinareq; posset (quemadmodum ex ejus assecla quidam non indoctus nuper, lingua nimis petulanti, ne dicam men-

mendaci, effutire jactareque suo more est ausus, ita à suis doctus magistris) acu, filo, & dolorificis puncturis in consuendo hoc meatu, opus fuisset minime. VVierus lib. Observationum.

In tua de hymene observatione prorsus meæ insistis historiæ, præterquam quod illum nerveā, non vero (uti ego trado) carneā membrana extructum adnotas. Verum perinde profecto, atque præputij, & linguæ ligamentum, non nervum, sed veluti carneū esse assero. hacq; quasi distinctione, ab ossiū ligamentis, id differre innuo, sic pariter mollē carneamq; hymenis substantiam expendens, illum carneā esse membranā diffinio, quæ à peritonæi verarumq; alias membranarū, alba & duriori substantia non leviter variat. At miror, si modo hunc (cui carnei ligamenti nomen aptius, quam membranæ inderemus) aliquando videris, te non observasse, me illum nonnihil altius penitiusve in totius uteri collo, quam vesicę cervicis in illud pertinens per foramen consistit, parū recte, uti & te modo, descripsisse. Nō enim tam profunde in cunno pudēdove latitat: egoq; in ipsius historia lusus sum anfractu quodā, & veluti cæco foramine, in pudē do illic ut plurimū apparēte, ubi inferiori pubis ossiū cōmissurę sedi id est proximū. Anfra-

ctus

ctus namque ille ad opportunam frictionem, hic una cum conterminis ipsi scribendis anteriori palati sedi correspondentibus extructus, mihi, cum hymenem primum expenderem, pro dicto colli vesicę orificio, altius nonnihil recondito, cernebatur. Præterea hymen pudendi inferiorem posterioremve, quæ anum spectat, sedem, & hujus sedis laterum imam tantum regionem occupat, adeo ut in sui medio illum esse perforatum haud vere asseramus. Atque ita ut menstruis purgationibus, unde nam illæ tandem defluant, non obstat, sic quoque urinæ egressum neutiquam impedit: nihilque sane est aliud, quam si præputij ad penem vinculum plus justo conscendere fingeremus. Vnde etiam haud mirum est, si multæ matres, & harum jussu obstetrices, hymenem tanquam laterum hic pudendi tenue submembraneumque, & præter rationem usumque fere aliquem occurrens ligamentū, adhuc admodum puellis acicula quapiam, aut numo haud secus divellunt, quam præputij & linguæ excedens ligamentum ab illis frequenter disrumpi novimus. Vtque linguæ præputijque vinculi non idem semper est modus, ita quoque hymen non æque perpetuo crassus, meatumque colli uteri eadem formula occludens, aut virginitatem pariter com-

commendans, reperitur. Vesalius in Exam. Observat. Anatom. Fallopij.

Nunc, de membrana hymene quid observaverim, dicam tibi: licet vulgus hominum putet, nullam esse virginem, quæ hymena non habeat. Ter dūtaxat illam inveni, bis in duab. parvulis puellis, semel in natu majore, quam cum dissecarē intererat excellentissimus Antonius Fracanzanus Vicentius & Paulus Crassus Patavinus, & una cum his Ioannes Cajus Anglus. Est hymen membrana quædam sub nymphis ante cervicem uteri unico foramine prædita superiore parte, ut menses effluere possent. atque hæc est illa eadem membrana, quæ ingressum penis, quamvis membrosi hominis, prohibet. Columbus libr. 15. Anatom.

Quibusdam virginibus in cervicis uteri orificio membrana reperitur, Hymen veteribus dicta, quæ, quia viri congressum arcet, sterilitatis causam mulieri affert. Hanc plerique non vulgares modo, sed & docti medici virginibus omnibus tanquā virginitatis claustrum inesse credunt. Sed illam ego cum in plerisq; virgūculis omnis fere ætatis à trimatu ad duodecimum fere annum, quarum mihi ex Nosocomio Parisiensi plena copia erat, studiose exquirerem, dum rem anatomicam commentarer,

tarer, non potui reperire. Ipsam semel tantum licuit mihi observare in virgine septendecim annos nata, quam cum mater viro despondisset, sciretque nihilominus ipsi in pudendis subesse aliquid, quod, quo minus mater & fœcunda esse posset, impediret, rogavit me ut ipsam inviserem. Reperi igitur membranam quandam nervosam, tenuissimam, sub nymphis, proxime id foramen, per quod mulieribus urina effluit, pro foribus (ut sic loquar) orificij cervicis uteri, medio sed exiguo foramine membranula illa pervia erat, qua menses diffluere possent. Contemplatus ergo membranulæ illius tenuitatem, ipsam adactis volsellis rescidi, quidq; ad reliquam curationem facto esset opus matrem admonui: certe nupsit illa paulo post, & prolem peperit. Pareus lib. 23. cap. 42.

Ostendit Aquapendens anatomicus ubi hymen in Nympha obnascatur, & non esse nugas de hymene dixit id revera membranulam venosam, quæ in quibusdam (non omnibus) reperiatur virginibus, ob hanc quasdam esse non perforatas: ob eandem Terentium prima coitio acerrima est, per hymenis foramen virgines mejere & menses emittere. D. D. Martinus Holtzapfelius de observat. Patavinis.

Anno

Anno 1556. cum supra modum studiosus essem & curiosus rei anatomicæ inspector, cum nonnullis alijs Germanis, nocte e sepulchro subtraximus puellam, eo die sepultã, annorum circiter 18. Et cum ad matricis Anatomen accessimus, veni ego, cum alijs quos nominare possem, ostendi Germanis tenuissimã membranam, fortem tamen & renitentem nonnihil ad instrumenti crassioris impulsionem, quæ prætensa erat orificio uteri. Hæc in medio sui (reliquo enim corpori adhærebat undequaque parietibus, ut diaphragma costis & dorso) foramen parvum oblongum, ut felium pupillã plane aut viperæ os referre dixisses, per quod nimirũ & urina & menses effluere dabatur. Habebat qua parte tensa erat membrana venulas exiguas sparsas. D.D. Casparus VVolphius de Observat proprijs.

In virginibus hymen membrana occupat imam tantũ uteri ostij qua anum spectat sedẽ, adeo, ut nõ alijs purgationibus obstet, cum superiori loco ac si perforata esset, pateat: Uteri ostij amplitudinẽ, ante congressum inutilem, nõnihil occludit, & simul pudendi latera, ligamenti linguæ & præpurij instar, colligit. Platerus pag. 160. De corp. hum. structura & usu. Membrana sub nymphis anuli modo perforata Græc. ὑμὴν. Lat. hymen & virginale claustrum

strum dicta est: hanc Ægyptij ante coitum virginibus excindere solebant. Coiterus tab. Anatomic. pag. 10.

De Hymene plura Varolius Anat. lib. 4. c. 4.

OBSERVATIO XCV.

De Atretis seu Imperforatis, quarum genitalia vel natura, vel aliter concreta sunt, tum quomodo hæc ipsa Chirurgia aperiantur.

Fœminis nonnullis os uteri compressum concorporatumque ab ineunte ætate ad tempus usq; menstruorum perseveravit, mox urgentibus menstruis, doloreque infestante, alijs sponte disruptũ est, alijs dissectum à medicis, nonnullæ interierunt, cum aut per vim disrumperetur, aut disrumpi non posset. Aristoteles lib. 4. cap. 4. de generat. animal.

Quisdam concreto genitali gigni, infausto omine, Cornelia Gracchorum mater indicio est. Plinius lib. 7. cap. 16.

Sunt nonnullæ fœminæ, quibus à principio sui ortus matricis oræ modo quodã coaluere. Alias propter cujuspiam morbi vim ita evenit. Qui morbus in nonnullis sane medicabilis est, in alijs non item. Deprehendes autem hoc incommodum ex his notis facile.

Neque

Neque enim aut recipere matrix, aut proijcere eorum potest quicquam, quæ opus habet. Quod si & recipit, & emittit, argumento erit, ipsam eo vitio carere. Aristot. lib.10. Animal. Hist. Text.35.

Nobis nota quædam mulier est, ex incesto nata concubitu: quæ aditu careat ad coitum accommodato. Nam perpusillo perque angusto foramine ad urinæ vix usum pervium habet inguen. Occludi autem ait Philosophus, aut naturæ principijs eversis, aut eventu morbi. Occlusionem illam declaravit per verbum συμφύεσθαι: quoniam cohæreant natura. verum non est plena vox cohærere, sed coalescere. Iul. Cæs. Scaliger, ad eund. Text.

Cognovi puellam quindecim annorum, aspectu pulchram, cujus foramen vulvæ erat in quantitate unius parvi denarij. Nicol. Florent. serm.7.tract.3.cap.35.

Morbo matricis labia coalescere vix puto posse. Scaliger loco supra citato.

Nicolaus refert se vidisse mulierem, quæ post partũ, cum obstetrices adhibuissent medicamenta valde adstringentia, ita clausa reddita fuit, ut non potuerit coitũ exercere. Mercurialis lib.4.de morb. Muliebr. cap.14.

Mulierem vidimus, cui morbus, quem vulgo Gallicum appellant, totam vulvam erose-

rat, & incuria medici quicquid eroſum fuerat, oris invicem junctis obcaluit. Indeque ſola urina & ea ex parvo quidem foramine reddebatur. Huic nos (propterea quod callus ipſe altior eſſet, quam ut citra mortis diſcrimen incidi poſſe exiſtimaremus) conſuluimus ut incurata potius vivere, quam tanto periculo ſe exponere vellet. Benivenius ca. 31. Abdit.

Naturalia fœminarum interdum claudi certum eſt. Id autem aut protinus in utero matris fit, aut ulceratione illarum partium: dum ſcilicet ex incuria medici ſaneſcendo oris inter ſe ſe conglutinatis junguntur. Incidit in manus noſtras puella quædam jam matura viro, jam plenis nubilis annis, cui naturalia ipſa clauderentur. Quæ cum ego hujuſcemodi malum curaturus inſpicio, video membranulam quandam, quæ ipſius vulvæ ori opponeretur. Quare duabus lineis inter ſeſe tranſverſis eam incido: ſtatimque tanta ac tam ingenti impetu nigrior materia profluxit, ut grande lumen, quod tunc miniſter admoverat, extinxerit. Menſes enim præteriti intus tenebantur: qui & dolores ſingulis menſibus excitarent. Inciſa itaque membranula ipſa, quicquid ex ea intus ſuperfuit, hamo apprehendo amputoque. Tum reliquum

quum curæ ex aliorum ulcerum more prosequutus, haud multis post diebus puellã ipsam sanam, ac conjugio aptam relinquo. Benivenius cap. 28. De Abditis.

Quæ a me in pudendi clausi curatione aliquoties diligenti animadversione observata sunt, paucis explicare statui: ne & hoc arcanũ, mortalium utilitati subtraxisse, mihique peculiariter reservasse, sepelijsseque videar. Hic primum supino fere decubitu soli vel aëri lucido exponitur virgo, in mensæ sublimitatem erecta, collocataque, retractis diductisque cruribus: inde, in qua cervicis uteri parte connatum sit impedimentum, & quale id existat, solerti studio perquirendum. Quibusdam etenim obsepta est pars anterior sublimiorque: alijs media: nonnullis os uteri profundius: fitque id vel membrana nervosa crassa dura, vel innata carne pauca vel multa. Differentia vel oculi inspectione ex membranæ candore & carnis rubore, quemadmodum & indicis digiti extremitate & renitentiæ modo dijudicatur, potissimum partibus his speculo incurvo ad trianguli formam adornato, artificiose dilatatis, quandoque etiam anhelitu fortiter retento. Vt autem in operis instituti executione minus impediaris, tibijs ita ad coxas reflexis distensisque ma-

nus inversas utrinq; per posteriorem partem introrsum alligabis: hoc modo sectionem citra ullius etiam adminiculū perficere poteris. Apud cordatiores tamen, neque usque adeo pusillanimes, citra ligaturæ usum retentis genubus à confirmatioris animi matronis, id operis felici successu per divini favoris gratiam absolvi. Sed novacula opus est acuta, & circumquaque linteolo obligata, debita cuspidis parte libera, ne altius quam postulet necessitas, penetres. maxime si profundius secandum sit. Ea usus sum quandoque ancipiti, sed cum majori cautione: plerunque superiori ejus latere obtuso, propter majorem securitatem, ne vesicæ collum læderetur. Minori etenim periculo aberratur deorsum ad intestini recti crassitiem, quā ad colli vesicæ tenuiorem consistentiam: utrobique tamen noxam facile provida animadversione declinabit is, qui in hoc negotio fuerit exercitatus. Lancetam quoque vulgarem hic minime admitto, potissimum in duris nervosæ crassitiei (quales fere sunt omnes) membranis, quarum sectione ob duritiem reiterata, mihi aures ex sono nonnihil crepitante radi meminerim. Harum tamen incisio, quam carnis innatæ, facilior est, maxime si eæ sublimius affigantur: & promtior multo, si in ijs sanguinis menstrui quan-

quandoque introrsum erumpentis easque distendentis, colluvies decumbat. Siquidem in hoc affectu ferme nunquā medici opera prius requiritur, quam cum vel hujus sanguinis extra venas residentis effluxio ab hoc sepimento impeditur: vel ubi in congressu meatus viro fuerit præclusus. Vtriusque casus fœminas à me fideliter curatas, etiamnum superstites esse arbitror. In operis hujus administratione novaculam imprimes, secabisq; figura ad naturalis hiatus dimēsionem ducta à vesicæ collo deorsum, justo utrinque interstitio relicto, quod levius securiusque in operiente membrana, & potissimum humoris affluxu tensa effeceris. In adnatæ vero carnis incisione, repetēda aliquoties sectio, ob sanguinis profusionem: quem immissa spongiola, prius in aquam tepidam intincta expressaq; elues. Curandum autem summopere, ut non oblique collimes, sed rectitudinem in dividendis hujus carnei isthmi angustijs serves, maxime si altius secandum sit. Ab ea minus aberrabis, si tridens illud speculum incurvum altius immiseris: quod etiam commodius inseret decumbens virgo vel matrona, versatili per spiras aciculo supra ventrē surſum innixo: quam eidem quoque, si volet, vertere ad justam expansionem licebit: sic vesicæ cervicem repri-

met dens speculi superior, ut à sectione tutior ea maneat, dum dentes reliqui latera distendent, inter distortos hos tu opus prosequeris. Si vero suspecta tibi fuerit carnis innatæ profunditas, per vulnus aliquatenus sectum violenter intrudito recta specillum tenue, quod nodulum in extremitate rotũdum habet: eoq; totam carnem perrumpe, donec penetraveris, si possis: nam ob specilli rotundam extremitatem, ubi ad sinum perveneris, vel in matricis osculum impegeris violenta perruptione, non delinquens: quod specilli hastati impressione non tam secure feceris. Carnis totius profunditatẽ hoc modo semel pertusam, specilli immissi subsidio deinde facilius secare poteris. Ego tamen angustum foramen specillo obtuso factum, alijs similibus instrumentis crassioribus prosecutus, eatenus perrupi, donec forcipem antrorsum oblongã validamque per eandem hanc fissuram transmittere valerem: inde manubriolum utrinq; rotundum manibus violentis simul sursum ac deorsum uno tractu distrahebam, donec dilaceraretur innata caro universa. Incisio etenim & laceratio artificiosa hic suum habent locum. Proinde & digiti indicis extremitatem in distractionem quandoq; adhibemus, maxime ubi ob loci aperiendi angustiam vel

pro-

profunditatem, errorem inter secandum veremur. Sectio item oblique vel transverse, vel ad crucis formā duabus lineis inter sese transversis administrari poterit. Membranas & connatam carnem si quis volsella apprehendere resecareque volet, id quoque tuto fecerit, quanquam utriusq; curationem etiam sine multa earum excisione absolverim, potissimū si post incisionem fissura indicis, vel ferrei instrumēti adminiculo aliquoties dilatetur. Postea enim usq; adeo contrahuntur corrugantur q; membranosæ vel carneæ partes relictæ ut nec concubitum nec partum remorentur. In conjugatis vero si membrana fuerit incisa, nec secuta insignis hæmorrhagia ex uteri venis menstruis, quæ alioqui in claudenté membranam quandoque decumbens, sectioni ansam subministrare assolet: Venus moderata, lentaque nec violenta aut vehemens post triduum concedetur. In dissectæ autē carnē profunda cervicis uteri, nocte octava post incisionem, ejusmodi actionem permisisse me successu læto hora matutina, silētio sepeliendum non putavi. Cæterum antequam hoc opus in findenda carne aggrediaris, pulvere sanguinis profluvium inhibēte ex bolo armeno, sanguine draconis, & ovi albumine, vel id genus alijs restringentibus, te instructū esse oportet: licet

ijs nunquam usus fuerim, nec levem compescuerim fluxionem, quanquam altero etiam die adhuc sanguinis satis profluueret, eo quod constarent vires: decubitum tamen & quietem, donec is prorsus cõsisteret, imperabam. In sanguinis etenim defluvio habenda virium singularis ratio, ne vel labefactetur cordis robur: vel syncope, aut spasmus, aut aliud symtoma gravius consequatur. Ex membranæ vero exanguis pertusione nihil de sanguinis fluxu timendum, quem connatæ carnis venæ vel stillant vel fundunt. Ab incisione si quæ fuerit obvia sanguinis ex uteri venis antea expulsi, velut menstrui vel cujusvis alterius humoris colluvies, ea statim prius aqua hordei tepida syringe injecta, deinde cum hydromelite identidem sæpius eluenda. Quicquid autem injicitur, infunditur vel inseritur, tepidum esse oportet. Interim inspicienda est aliquoties fissura, sive speculo, sive forcipe dilatanda, vel gentianæ radicis immissione: vel certius spõgiæ, quæ ceram liquefactã imbiberit, & mox, ne comburatur, extracta fuerit, præloque valide expressa, unde turunda longa crassaq; pro rei præsentis necessitate excidetur, illinenda aut abstergente, aut exiccante, reprimente, & cicatricem inducente medicamento, pro vulneris constitutione. Enimvero huc studium

omne

omne converti oportet, ut à carnis, non item membranæ incisione conglutinationem quibuscunque valueris modis impedias: tam hęc pars rursum promte coalescit, atque huc omnino propendit natura. Quapropter ubi cutem obduci voles, post dies pauculos, tubulus argenteus vel plumbeus, cavus, lævis, oblongus, cum foramine unico majore antrorsum cum multis vero minoribus in circumferentia, ne saniei effluxio impediatur, ab aurifabro confectus, inseretur, maxime ubi profundius fuerit vulnus: tubuli autem pars posterior nonnihil inclinabit cum obtusa extremitate, utrinque duobus locis pertundenda: unde fila duo fortia dependebunt, ut cum in sectam rimam tubulus fuerit intrusus, anterioris pudendi angustijs & osse sacro intercludatur, retineaturque, nec mulieris incęssum aut deambulationem impediat: & quando voles aut postulet necessitas, filis extra pendulis hic confestim retrahi queat. Tubulorum forma esto diversa, pro fissuræ modo & altitudine. Nupta maritique congressum innoxium experta in frequentiori hujus repetitione moderata, eidem morem gerat. Porro quoscunque cordatos hic prænonitos volo, non quemvis ad hujus curationis administrationem temere admittendum esse: sed quacunq;

cunque diligentia prius inquirendum, quoad fieri potest, hujus sectionis peritum vel medicum, vel chirurgum, vel obstetricem: ut, quæ ex siniſtræ curationis errore consequuntur, pernitiosa symtomata, providentiæ subsidio declinentur. Hoc cervicis uteri vitium Albucasis, inter Arabes chirurgus minime pœnitendus lib. 7. cap. 72. Alraticã nuncupat: Clausura, apud Avicennam lib. 3. fen. 21. tract. 4 ca. 1. lib. 7. cap. 28. redditur. Malo hoc affectæ, Græcis dicũtur ἄτρητοι, id est, imperforatę. VVierus lib. Observat.

Ἄτρητ@ quædam mulier in Gallia (hæc nesciens) nupsit: dein re cognita scalpello locus decussatim est sectus & apertus X ipsa curata, exibat autem à sectione multa sanies livida, quę & antea in femora decubuerat, & varices quasi & livores genuerat. quædã ἄτρητοι, mensibus tamen purgantur, sed modice. D.D. Caspari VVolphij Observ.

Hymenem ab Atretis distinguit Balduinus Ronsseus Miscellaneorum suorum epist. 49.

OBSERVATIO XCVI.

Membrana sinui muliebri obtensa, ut veterum consilio consumenda.

Cum

CVm mulier genituram ſuſcipere non poterit, neceſſe eſt membranã ſuperexcreviſſe in oſculo uterorum. Oportet igitur æruginem æris & fel tauri & ſerpentis adipem ſimul miſcere: deinde pharmaco hoc lanam imbuere, & in byſſinum linteum involvere, linteo melle ſublito, & facere ſubdititium magnitudine maximæ olivæ, & apponere ad pudendum per totam noctem. Supina autem jaceat, & in die auferat, & calida aqua lavetur quamplurima ex myrti decocto. Apponat autem & poſtea ſingulis noctibus: & deinde cum viro coëat. Alia curatio. Marrubij foliorum manus plenæ menſuram in vas Atticum injcito, & aquæ potabilis heminas Atticas quatuor affundito: & ubi per novem dies præmaceravit, per alios novem dies jejuna, lota, duos cyathos de hoc bibat, pari menſura paſſi albi admixta. Cum autem tertiam diem potando tranſegerit, fomentum adhibeatur, cicutæ folijs in ignem miſſis, per novem dies, poſt fomentum lavetur. Atque ſic rurſus de hoc bibat. Cum vero per triduum fomentum adhibuerit, marrubium ipſum tritum in die apponat per triduum: & mercurialem tritam in melle Attico bis in die: præmaceretur autem in vini albi congio Hippomarathri & fœniculi radix, & tædæ pin-

dæ pinguissimæ ramuli,& rubiæ quartæ pars, & fœniculi semen,& verbenacæ radices multæ. Præmacerenturq; diebus non minus quã novem:& postea loto capite in balneo,heminam per diem de meri cremore bibat: & postea reclinata seipsam concalefaciat. Atque hinc post potum alternis diebus, id quod ex felle paratur, per diem ad dies sex apponat. Cum autem jam virum accedere vult probe purgata, hyosciami folia ac radices in aqua fervefaciat,& ex his quam calidissimis per triduum ad noctem fomentum adhibeat,& lota virum accedat. Post hoc vero fomentum,etiam cervi pudendum siccum suffito:& de hoc in vinum album dilutum deradens, per triduum bibendum,& cum partus dolor institerit, bibendum dato. Nam hoc partum accelerat,&c. Hippocrates Lib. De Sterilibus. numer.15.

Quibusdam membrana quædam nascitur & obtenditur orificio uteri. Ejus meminit Hippoc.lib.de Sterilibus,& consumenda est & liquanda.Holl.Com. ad aph.62.lib.5. Hippoc.

OBSER-

OBSERVATIO XCVII.

Aliquot puellarum historiæ memorabiles, quarum pudoris sinui membrana validior obnata, menses restitantes coacervabat: harum nonnullæ chirurgia percuratæ sunt: aliquæ vero mortuæ.

QVæ rara memoratuque digna in plerisque puellis à me sunt observata, ob argumenti communionem hic obiter adhuc subjungere visum est: ut etiam alijs idem passis vitium, si quando postulet necessitas, promtius succurri queat. Priori circiter octodecim annos natę, in civitate Gravienſi, cara mihi patria, valida membranula in uteri ostio sanguinis saburra distendebatur, tumebatque cum ingenti dolore: quam cum ex litura à vivo colore aliena, uno in loco putrere judicarem, vellicans leviter, aperire frustra nitebar: ea tamen postea perrupta sponte, copiosus profundebatur sanguis, unde paulatim convaluit.

Ad alteram puellam extreme Graneburgi decumbentem, matronæ vicinæ cum obstetrice accurrentes, eam gestare uterũ uno ore, fœtus patrem quoque denominantes, occlamabant:

mabant (illa licet interpoſito etiam juramento contradicente, ac ſe virum nunquam admiſiſſe liberius affirmante) uſque adeo huic uterus, potiſſimum in dextro ventris inferioris latere protuberabat. Ad hanc quoque vocatus, re apud mulieres & obſtetricem deſperata, ejus ſcilicet partus doloribus intolerabilibus in tertiam ſeptimanam nocte diuque perdurantibus, cum aliqua urinæ ſuppreſſione, vigilijs continuis, & appetitus dejectione, partem affectam ſecundum artis legem & poſtulantem neceſſitatem tracto. ubi tam valide obfirmatũ membrana illud pudendi os comperi, ut ne ſubtiliſſimi etiã ſpecilli cuſpidẽ uſquam, præterquam in oris veſicæ extremitatẽ huic annexa, admiſeri t, (quẽadmodũ in ſuperiore quoq; contigit) tãetſi diligenti indagine circumquaq; tentaretur. Re autẽ penitius introſpecta, penſiculataq;, cum puellam hanc annum agentem vigeſimum primũ, forma venuſta, florida, vividaq;, conſtitutionis prorſus ſanguineæ, antea expurgationes menſtruas nunquam ſenſiſſe, præter leve paucarũ ſtillarum indiciũ, quatuor ante annis matre defuncta, intelligerem: earum partium venarum orificia magis hic introrſum inſerta, confertim in ea ætate, temperamẽto, vitæ otio (ſartricula enim erat) & anni verno tempore, effervescẽtem

tem profudisse sanguinem, apud me conjectura collegi. Itaque anhelitum puellæ supinæ comprimere jubeo, retractis diductisque cruribus, quo magis tenax pellicula remitteretur: atque vestigio impresso in ejus medio à pectinæ versus vesicę collum, & justo utrinque relicto interstitio, chirurgum, ob casus illi inauditi raritatem tremebundum, ut rassorium mei nominis naufragio imprimeret adhortor: ac reiterata ob nervosam crassitiem bis sectione, supra octo sanguinis atri libras paulatim profluxisse, restabuntur plures matronæ. In eo decubitu eam ad tertiam permanere diem propter hæmorrhagiam jubeo, licet se mox ab incisione maximopere levatam sentitet: de nulla debilitate ob largissimam sanguinis tanto tempore extra venas in ijs partibus retenti effluxionem, conquesta. Elotis inde hujus eluviei reliquijs, aqua hordei cum melle rosaceo syringe injecta, post tertium diem suæ restituebatur libertati, valetudinem pedetentim consecuta inculpatam, ut vicesimo secundo die post incisionem legitime cœperint fluere menses, suum deinde servantes naturæ tenorem. VVierus Libr. 2. cap. 38. De præstigijs Dæmonum.

Similem casum recenset Antonius Beni-

venius

venius cap.28.De Abditis. Vide ſupra Obſervat.95.Libri hujus.

Alias duas jam nuptui collocatas, ab obſtetrice perita ſectas etiam novi.

Proxima adhæc hyeme quum puellæ octo circiter menſes natæ urina impeditius flueret, viſuque membranula promineret, uteri orificio filiolam carere ſuſpicata mater indocta eam mihi offert inſpiciendam: ego aciculæ capitello membrana hac circumſcripta, & veſicæ colli extremitate oſtenſa, matrem rectius inſtitui: & quid ad eliciendum liberius lotium faceret, edocui. Huc facit Ariſtotelis ſententia, qui (lib.4.cap.4.de generat. animaliũ) inter conceptionis impedimenta, & monſtroſarum naturarum procreationem morbum iſtum connumerat, ſic verborum ſerie: Iam fœminis nonnullis os uteri compreſſum concorporatumq; ab ineunte ætate ad tempus uſque menſtruorum perſeveravit: mox urgentibus menſtruis, doloreque inſtante, alijs ſponte diſruptum eſt, alijs diſſectum à medicis: nonnullę interierunt, quum aut per vim diſrumperetur, aut diſrumpi nõ poſſet. V Vierus lib.2.cap.38.edit.1566.in 8.

Virgo Marpurgi annorum 25. urinam Dryandro viſendam detulit, Dryander nullũ defectum in urina videns, ſuſpicabatur eam eſſe imprægna-

imprægnatam: facies enim pallebat, & venter tumescebat. Quærit igitur, quando menses habuerit? respondit nunquam. Hinc Dryander suspicans, non bene agi cum virgine, ejus muliebria inspiciēs nihil reperit præter integram cutim, in cujus medio erat foramen calami amplitudine, unde urinam emittere solebat. Dryander virginis parentibus cōsuluit, ut per sectionem ei succurrerēt, sed ipsis negligentibus, altero anno filia obijt.

Similis casus quoq; contigit in Hassia. Mulier quædam nulla habuit muliebria, excepto angusto calami instar foramine, nupsit autem viro, cui annos octo convixit. Vir videns uxorem non aptam rei venereæ, cum ea divortiū facit. Res delata est ad Principem Landtgravium Hassiæ, qui consilio Meges & Dryandri mulieris foramen muliebre ad justam magnitudinem scindi mandavit. Fœminæ vir interim moritur, ipsa autem curata alteri nupsit viro, ex quo peperit puerum, quem Landtgravia ex fonte sacro sustulit. Ex adversarijs Cl. D.D. Dryandri.

OBSERVATIO XCVIII.

Colli matricis phyma, ejusque curatio.

IN hoc affectuum colli matricis catalogo recenſebitur quoque phyma, ſive tuberculum quoddam oblongum in ijs anguſtijs enatum: quo cum nobilis & generoſa Domina uſque adeo afficeretur, ut ejus impedimento difficilior redderetur marito initus; malo hoc clam detecto, conſilium ob conjugis moleſtiam cum pudore rogat. Ego auferendum cenſui, at ad ejus inſpectionem non admiſſus, ſciſcitatus vero num digitis id comprehendi poſſet? illa annuit: Vt itaque fili ſericei duplicati, ceraq; firmati vinculo ad radicem id conſtringeret, indiesque arctius contraheret, donec tandem filo prorſus conſtricto abſciſſum decideret, ſuaſi. Hæc dicto audiens, cõſiliumque felici ſucceſſu ſecuta, indicavit poſtea, ſe phyma illud eo modo ablatum ſecuiſſe, & lacteum quiddam emanaſſe. Poteſt vinculum hoc ſericeum etiam efficacius reddi, ſi requirat neceſſitas, ut nimirum antea horas aliquot in aqua ſublimata vel forti, ter aut quater maceretur & exiccetur. VVierus Libr. Obſervationum.

OBSERVATIO XCIX.

Os feminis eroſum; & circa matricis os quatuor lutei tuberculi pilæ inſtar viſi.

Vrge-

VRgebatur Rogerij Corbinelli filia in ilibus dextris dolore fere perpetuo. Quare multis diverso tempore vocatis medicis, cum unusquisque pro ingenio suo (diversi enim diversa sentiebant) puellam curassent, & præsidia nihil omnino profeciissent, è medio tandé sublata est. Quare cõsilium fuit incidere corpus mortuæ, & inventum est os feminis erosum, maximamque ossis partem in pulverem redactam: nec non & circa matricis os quatuor quasi lutei tuberculi instar pilæ, quorum tres aqua opplebantur, quartus paululum prę cæteris elevabatur, undique dentatus, & superficie inæqualis atque durior, utpote qui ex carne atraque bile genitus esset. Non igitur admodum mirandum est, si in ejusmodi morbis, quorum causæ incertæ abditæq; sunt, diversi medici diversa sentiãt & loquantur. Benivenius cap. 79. de Abditis.

OBSERVATIO C.

Veteripruritus curatus.

MVlieribus, præsertim annosis pruritus sępe in uteri cervice oboritur, qui eas cruciatu & scalpendi necessitate adeo fatigat, ut somnum adimat. Paucis ab hinc diebus consuluit me mulier quædam hoc mali genere adeo divexata, ut prurientem genitalium ure-

dinem aſperſa, & aſperius affricta parti favilla reſtinguere neceſſe haberet. Me conſultore ægyptiacum, in aqua marina aut lixivio diſſolutum, ſibi ſyringe exprimi & injici curavit, eodemq; medicamento imbutos peſſos ex ſtupis canabini in uterum demitti, & ſanata eſt. Pareus lib. 23. cap. 64.

OBSERVATIO CI.

Phlegmones eryſipelatodis uteri curatio, & de eo, quod poſt fervoris mitigationem accidit in corporis totius ſuperficie.

ANte annos aliquot curāda mihi fuit mulier, quæ de pruritu, ardore atque dolore circa uterum vehementer cōquerebatur. Hujus atque aliorum quæ patiebatur ſymtomatum cauſam, ego conjeci in phlegmonem eryſipelatodem ex bilioſo, ferventi & acri ſanguine, cujus evidentiſſima ſigna apparebant: erat autem, quantum conijcere potui, cum ego vocarer, morbi incrementum. Sanguinis miſſio repetita omnium medicamētorum uſum anteceſſit. Poſtea adhibita ſunt refrigerantia & repellentia non tam intro aſſumta quam foris admota, & injecta. Defluxio fervidi humoris conſtitit ac repulſa non pauca quan-

quantitas sanguinis eo unde fluxerat in magnas scilicet, ut mihi persuaserã, venas. Interea usa est tenui victu in cibo & potu. Potus erat aqua hordei & prunorũ Damascenorum, vel aliorum nostratium scilicet electorum. Appetitus tamen erat dejectus, ut libens abstinuerit. Quibus sic administratis supervenit, ut universa corporis superficies dolore molestissimo infestaretur, ulcerosam lassitudinem dixisses. Affirmabat mulier, se non aliter dolore affligi, quam si per universam corporis superficiem scarificaretur, ac ulcuscula deinceps aceto acerrimo perfunderentur. Indusij etiam mollissimi tactum vix ferebat. Hujus symtomatis causam dum conor investigare, nullam aliam invenire potui, præterquam sanguinem fervidum vi medicamẽtorum repulsum à loco affecto, tandem à carnosis partib. nutrimẽto indigentibus, propter tenuem admodum victum, attractum, & in ambitum delatum, hujus doloris quasi mordicantis causam extitisse. Cui sensui dolorifico tollendo, neque enim unctiones, neque frictiones, nec alia admisit, tam erat sensibilis tota cutis, jussi intrepide sudatorium parare ex aquæ dulcis vapore nullis herbis injectis, suaviterque sudorẽ elici: postea mollo linteolo leviter detergi. Quo facto, mirum dictu, in corporis su-

perficie cœpit efflorescere quid simile pustulis exiguis, quæ numerosæ per totum corpus conspiciebantur, quæ tamen continuo, post balneum & sudoris detersionē evanescebant. A balneo paulo deterius habuisse visa est, ob vires, ut putabam, dejectas; intra biduū vero cibo paulo pleniore refecta, & potu pleniore utēs, prorsus convaluit. Interea dū singula hęc administrātur, totius morbi decursu, ad somnum conciliandum, dolorisque sedationem, & nonnihil etiam bilis fervorem contemperandum, exhibui forte decies hoc opiatum, quod alias in promtu habebā pro alijs casibus paratum. ℞. sper. aromat. ros. & diagalangę ana drach. unam, opij diligentiss. contusi, & in vino malvatico dissoluti scrup. unum semis; karabe pult. subtiliss. drach. unā, croci scrup. semis cum eodem vino fiat massa. Exhibui globulos pisi magnitudine præmolles, quos avide devorabat. Hanc historiam ante annos aliquot gestam, rursus in memoriam revocavi quam potui meminisse diligentissime, ut tibi gratificarer. D.D. Casp. VVolph. de Observat. propr.

OBSERVATIO CII

Gangrænæ in uteri ostio gravissimæ curatio.

Gan-

CAngrænam in uteri ostio gravissimã fœtidissimamque, in nobili matrona juvene annorum viginti quinque, superiori anno curavi. Æstuante canicula tuberculum quoddam in eo sinu forte ex vehementiori insultu mariti ortum, imperitus rerum chirurgus inidoneo cataplasmate, & nescio quibus alijs admotis vincere conatus est: unde intra dies non multos tanta sævitia efferbuit, ut è vestigio pars ea universa putresceret, nigricaret, & intermoreretur: pestisque hæc celeritate incredibili anum versus sæviret, & sic simul partes anteriores cum posticis lethali clade perderet. Accedebat calor, febris, extrema virium debilitas, summa cordis angustia, & reliqua symtomatum malignorum congeries: quæ profecto ex putidissimæ cloacæ halitu vix ferendo augeri oportuit. Horrenda erat cladis hujus facies. Accitus ego in extrema rei desperatione, haud mora uberrimum solani & plantaginis succum primum syringe in utrumq; meatum ter vel quater interdiu injicio, deinde horis illis intermedijs lini hapsum ijs succis admixto aceto imbutum applicui: qui exuccus, eodẽ rursus permaduit liquore: ac ejusmodi repetita aliquoties applicatione perseveratũ est donec restingueretur fervor,

& desineret putrefactio. Assumebat interim quoque potionem singulis diebus ter ex decocto acetosæ, scabiosæ, pampinulæ, prunorum Damascenorum, summitatum borraginis, buglossę, florum calendulæ cum aqua saccharo & aceto ad syrupi acidi longi formam apparata. Victus erat paucus, sed refrigerans & acidus, putredinis occasionem præscindēs. Tertio die reversus, incendij furiā, sævitiamque putredinis remisisse comperi. Quare carnem nigram mortuamque exiguo forcipe attrahi, & circumquaque à vivo firme, sine doloris sensu separari resecarique jubeo. Inde reliquum ad vivum usq; Ægyptiaco unguento absumebatur: eodemque modo ad cicatricis inductionem, uti in alijs ulceribus, progrediebamur. Atqui inter curandum erant aliquoties enemata ex hordei & aliorum alvum mollientium decocto infundenda. Nec, quæ cordi & visceribus reliquis robur conciliarent, negligebantur: cujusmodi sunt, rosarum, florum borraginis, buglossæ, calthę conservæ, idque genus reliqua, atque ea ratione convaluit brevi. VVierus lib. Obsevat.

DE

DE MVLIEBRIBVS PARTIBVS GENITALIBVS INTERNIS:

Et primum

DE UTERO.

OBSERVATIO CIII.

Uteri substantia cujusmodi vere sit, de recentiorum observatione.

MVliebris uteri, vel matricis propria substantia quamvis in non prægnante alba, & membranea videatûr: in utero tamen habentibus plurimum à membranea natura differre conspicitur, cui similem in toto corpore substantiam reperire minime liceat, est enim fungosa, spongiæque maxime similis, non tamen simplex, sed in multos cortices, fungorũ quorundam modo, qui in arboribus nascuntur, facile divisibilis, & foraminibus, spongiarum, vel pumicis more pervia, impropriã tamen extrinsecus obvolventem tunicam, peritonæi sobolem, excipio. Hujusmodi autem substantiam à sapientissima natura utero tributã fuisse arbitror, ut sanguinis, & spirituum

copiam, pro fœtus vita,& nutritione, facile contineret:adnatæq; vero fungosæ carni, roris in modum suggereret, ac subministraret. Tantumque abest ut tenuiori substantia præditus sit, ut etiam multo crassior ob humorē imbibitum conspiciatur. Qui enim omnibus numeris absolutū fœtum intus habet uterus, (plus tamen, & minus, pro mulieris ætate,& temperatura) duorum pene digitorum crassitiem æquat,& præcipue circa elatiorem fundi ipsius partem,in quā uterina vasa cōeunt,uterinumque jecur adnascitur, ac cohæret, quod ad substantiam ejus attinet sic habet. Arantius libello de humano fœtu. cap. 1.

Substantia Vteri nervea,densa,& compacta est. Quæ tamen, eo tempore,quo mulier ad conceptionem habilis &apta sit,calore insito adauctā,carnea,venosa,mollisq; admodum evadit,& non secus,ac ut canibus fœminis,novem fere dierum spatio conceptum appetentibus,uterum & pudēdum quoq; intumescere videmus,excrescit, totoque tempore quo mulier uterū gestat adaugetur,& post partum rursum ad pristinam nervositatē soliditatemque redit. Quæ tamen,si vel natura,vel ætate, adeo prævaleant, uterusque sic induratus sit, ut eam quam diximus mollitiem & carnositatem adipisci nequeat, sterilitati huic, in qua

mulier

mulier sana alioquin, vel multorum annorum interpositio spatio, vel nullo etiam tempore concipit & parit, præcipuam occasioné præbere, observatio hæc pulcherrima ostendit. Platerus de Corp. Hum. struct. pag. 1.

OBSERVATIO CIV.

Fœminei sexus, gemina fœminea natura nati.

C. Lælio. L. Domitio Coss. Puella biceps, quadripes, quadrimana, gemina fœminea natura, mortua nata. Iul. Obsequens.

C. Claudio. M. Perpenna Coss. Mulier duplici natura inventa. Idem.

OBSERVATIO CV.

Mulieris cujusdam vulvæ monstrosa conformatio, qua Uterus desiderabatur.

Fœmina erat, cujus vulva ab aliarum fœminarum vulvis nihil peculiare & diversum habebat: & matricis colli portio prominebat, vel matricis collo simile: matrix autem nulla aderat in abdomine, neque vasa seminaria, neq; testes, & quoties cum viro coibat (coibat autem sæpe) mirandum in modum conquerebatur. Columbus Anat. lib. 15.

OBSER-

OBSERVATIO CVI.

Vterum humanum secũdum naturam constitutum minime ut brutorum, in vaccina, caprina aliave cornua excrescere, sed quasi obtuso angulo designari.

AD uteri formam ipsius cornua spectant, quæ Diocles in mulieribus opportunissime jam enascentibus boum cornibus assimulavit. Quemadmodum enim vitulorum capita utrinq; qua pronascentur cornua extuberant: ita etiam superior uteri pars, utrobique veluti in duos obtusos desinit angulos, qui revera veteribus Anatomicis hominum cadavera secantibus cornuum vice habebãtur, vasorumque semen muliebre deferentiũ insertionem excipiunt. Hæc itaque muliebris uteri sunt cornua, à caprinis, & vaccinis, & ovillis, quæ arietum cornibus undecunque simillima existunt, plurimum distant. Id quod de canum & suum utero rectius dicitur, qui uterum statim à fundi ipsius orificio in duas partes ita dirẽtum gerunt, ac si indicem à medio maxime diduceres, illosq; digitos uteri partes esse fingeres, quæ in non prægnantibus recta quodammodo ducũtur, & in apicem mucronemve sensim non secus desinunt, quam si recta

non

non obliqua autem essent cornua : in utero autem gerentibus arietis cornuum modo & hæc quoque inflectuntur. Et de his quidem animantibus ex quorundam veterum sententia recte à Galeno in libello de uteri sectione prolatum est, in cornibus complecti fœtus. Fuchsius De human. corporis fabric. libr.4. cap.3.

Vterus partes binas prominentes instar vituli cornuum nuper erumpentium profert, quæ forte illa sunt ab antiquis dicta matricis cornua: veram enim cornuum vervecis speciem in vaccæ, capræ, canis, ovis, suis, & id genus animalium utero videbis, nam in his mire incurvantur, & concava sunt, & in his fœtus gignuntur. At mulieris uterus longe ab his distat, ut tu quoque, nisi conferre pigeat, facile experiri poteris. Columbus de re Anat. Lib.11.Cap.16.

OBSERVATIO CVII.

Vterum humanum aliquando, sed rarissime & monstrose, bicornem ut brutorum animalium observari.

PVellæ propter glandulas in toto corpore scirrhodes per atrophiam mortuæ uterus in ea velut bicornis ut in multiparis apparuit, verum id efficit ejus brevitas & testium vaso-

rum

rum ſpermaticorum diſtantia longiore. Nam ubi peperit mulier, quantū uteri fundum ſuperne fertur, tantum deſcendere videntur teſtes, cornua, & vaſa: ita ut prope in medium incidant uterum, cum puellis abſint hæc longiſſime ab utero, ut fingere poſſis uterum eſſe mulieri ut polytocis animalibus bicornem. Sylvius in Appendice Iſag. Anato. Variorum corp. diſſect.

OBSERVATIO CVIII.

Vterus bipartitus.

ANne mulieres eæ, quæ ſuperfœtare ſolent, aut plures fœtus, quam duos generant, bipartitum uterū habeant, quemadmodum canes, lepores, & ſimilia animalia, quæ multos generant fœtus: mihi dubium movit Fratris mei chariſſ. Iohan. Bauhini obſervatio, qui circa annum 1565. dum ordinarius eſſet Lugdunenſium Medicus, & Chirurgis Anatomen demonſtraret, in quadam puella uterum bipartitum, qualem canes habent, adnotavit: quod ut rem valde raram, doctiſſimis Medicis Lugdunenſibus, ac multis alijs demonſtravit. Ea ergo de re Anatomici, ſi mulierum corpora talia occurrant, cogitabunt, cujus nomine hoc proponere libuit. D.D.

Caſparus Bauhinus.

OBSER-

OBSERVATIO CIX.

Vteri humani cavitatem internam minime in cellulas septem, uti hactenus plerisque creditum, distingui.

HVmanus uterus, ut virorum scrotum, levem & perquam modice extuberantem futuram, seu tenuissimæ lineæ instar prominens: tuberculum habet, secundum universæ superficiei longitudinem & anterius & posterius exporrectum, quasi quoddam sinistræ à dextra superficiei interstitium censendum esset. Superficies hæc fundi uteri sinus est, semen genitale suscipiens, fœtumque continens, quem Mundinus, & alij quidam Iurisconsulti, hujus somnia sequentes, non unum enumerat, sed septenario numero eum complectentes, septem matricis cellulas recensent, tres quidem in dextra uteri sede, masculis suscipiendis aptas, tres vero in sinistra fœminis dicatas: septimam autem in uteri medio statuunt, illam ni fallor, hermaphroditis consecrantes, ut copiosius libr. 3. paradox. cap. 9. demonstravimus. Vnica itaq; duntaxat in uteri fundo cavitas est, latior quidem & altior, quam profundior. Vnica, quod unicum fœtum complecti debeat, attamen latior quam spissior est, quod interdum & gemel-

les

los concipiat. Non enim geminus cernitur, & inteſtini inſtar oblongus, qualis cani & ſui, ac illis denique animantibus obtigit, quæ plures ſimul fœtus ſemper propemodum enituntur. Hæc ſane cavitas, ſive ſinus in humillima ſede juxta fundi foramen, pro illius foraminis amplitudine, anguſtior eſt, deinde ſecundum uteri formam ſurſum dilatatus, in elatiori ſua ſede velut in duos ceſſat angulos, ad elatioris uteri partis latera conſcēdentes. Media enim ſedes elatioris ſinus partis non tam alte atque latera ipſius conſcendunt, uteri ſubſtantia deorſum hic, quaſi ſeptum aliquod in ſuam amplitudinem ſpectante. Hic ſinus, in non prægnantibus plurimum viſcido quodam & ſubalbo muco illitus, & lævis ac extuberantiori linea interſtinctus. In angulis illis, aut in ſuperioribus ipſius apicibus, rugoſiorem, ac omnino illi cavitati ſimilis, in quam deferentia ſemen vaſa in viris inſeruntur. Hæc quidem internæ fundi ſuperficiei ſinusve uteri eſt deſcriptio. Fuchſius lib. 4. de Hum. corp. fabric. cap. 3.

OBSERVATIO CX.

Vterum aliquando fungoſum, mollem, ſpongiformem: ipſiusque cervicem totoſſeam viſam.

Cur

CVr non stupeant homines, si quemadmodum à nobis inter anatomes annotatum est, uterum in fœminis instar spongiæ raræ & *mollis*, aliquando & pure osseam cervicem videant? Cornelius Gemma lib.1.cap.6.Cosmocrit.

OBSERVATIO CXI.

Uteri mulieris, ex puerperio mortuæ, constitutio.

OS uteri ita extensum & lacerum erat, ut vix appareret. Uterus magnitudine capitis erat adhuc, & crassitie pollicari. Intus sanguinis reliquiæ, & ora vasorum crasso & nigro sanguine adhuc sudantia. Vincula uteri cum ossibus ilium, sacro & lumborum, & intestino recto firmissima, parte anteriori nulla, præterquam cum vesica admodum exigua. Sylvius in Append. Isagog. Anat. De Variorũ Corporum sectione.

OBSERVATIO CXII.

Uterus spissus à partu.

VTerum spissum & crassum à partu per octiduum manere, atq; inde ad pristinam rursum redire formam, in quinque mulieribus, quas mox post partum supplicio affectas,

vel in partu mortuas, dissecui, observavi. D.D. Felix Platerus de suis liberalissimis mihi communicatis Observationibus.

OBSERVATIO CXIII.

Calli in utero nati sterilitatem inducentes.

MVlier Clara nomine & genere, cordis dolore interdum vexabatur. Cujus mortuæ corpore inciso, & frustulũ nigrioris carnis in sinistro cordis ventriculo supra arteriã, quod mespilij formã haberet; & vulva à medio infra versus imam ejus partẽ junctis oris obcalluisse reperta est. Quare ut tuberculũ illud mortis, ita hoc sterilitatis causam fuisse cognovimus. Benivenius Abditorum cap. 35.

Sterilitatis Catharinæ Sandræ uxoris sororis Rondeletij causam fuisse, suspicati sumus, carneum tuberculum pisi magnitudine, quod in uteri collo interiore deprehensum est. Id enim fuisse potuit obstaculum semini in fundũ penetraturo. Ioubertus in vita Rondeletij.

OBSERVATIO CXIV.

Uteri humani substantia in scirrhum magnitudine capitis humani indurata, molæ opinionem imperitis exhibens.

Propriæ

PRoptiæ uteri ſubſtantiæ ſcirrhus à mola diſtinguendus eſt: extiterunt enim mulieres, quarum cadaveribus diſſectis, viſus eſt uterus ſcirrhoſo tumore, caput humanum æquante, obſeſſus. in quibus curandis omnem Medici luſerant operam. quod non in uteri corpore ſubeſſe vitium, ſed in uteri capacitate concluſam latere molam perſuaſum haberent. Pareus lib. 23. cap. 36.

DE MVLIERVM VASIS SPERMATICIS ET TESTICVLIS.

OBSERVATIO CXV.

Vermes in vaſis ſpermaticis.

MIhi conſentaneum videtur, gigni in utero & eo magis, quod memini me alias docuiſſe, ut dicit Ariſtot. Albertus, & alij, vermes fieri in cerebro & vaſis ſpermaticis, ut non ſit adeo durum quod etiam fiant in utero. Mercurialis de Morb. Muliebr. lib. 4. cap. 1.

OBSERVATIO CXVI.

In dextro mulieris cujusdam, repẽtina morte sublatæ, testiculo, tumor magnus, pilis, sevo & pure infarctus animadversus.

LVgduni Anno M.D. LXXVIII. Aprilis 13, quũ subito mortua esset mulier quædam sola, & suspicio esset de vi aliqua illata, ego, imperante magistratu, adjuncto alio Medico & Chirurgo corpore externe & interne prius diligenter inspecto, nullam causam subitaneæ mortis invenire potuimus, præter eam quam magistratui retulimus, nempe tumorem magnum testiculi dextri, ob copiam pilorum & materiei similis sevo cum pure, unde matricis præfocationem violentissimam & lethalem excitatam fuisse verisimile est. De observat. D. D. Ioan. Bauhini.

DE CONCEPTIONE.

OBSERVATIO CXVII.

Mulieres quasdam mensium profluvio destitutas, non tam inculpata sanitate usas, quam concepisse & peperisse sæpe.

Voluit

VOluit Aristoteles mulieres quasdam esse, quæ concipiant, etiamsi non fluant menses, quibus non plus sanguinis est, quam alijs restat à purgatione. Sed haud scio an id ex principijs Galeni admitti queat. Constat tamen multas concepisse antequã passæ essent menstrua. Scholiograph. ad cap. 58. lib. 1. Hollerij de curand. morb.

Recitavit Gentilis se vidisse mulierem, quæ nunquam habuit menstrua, & peperit multos filios. Nicolus serm. 6. Tract. 3. cap. 4.

Verus ille medicinæ interpres magister meus Iacobus De Forlivio super prima primi mulierem carentem menstruis, posse concipere monstravit aperte. Et, adolescentulam prægnantem, quæ nunquam menstruaverat mea in cura habui. Aliam quoque quæ partus plures ediderat nec menstrua nisi tẽpore partus videbat unquam. Guainerius tractat. de ægritudinibus matricis cap. 2.

Nos cognovimus & nunc cognoscimus rusticas quasdam in quibus menses nunquam profluxere, tamen sanissimæ sunt & robustissimæ: quod ob motum continuum, & ingentem laborem factum esse arbitror. Et quod in his mirum videtur, progignunt. Brassavolus comment. ad Aphoris. 36. lib. 5. aph. Hipp.

Naturalis conformationis vitio, mulierem

vidi, cui nunquam vel menſes vel aliud quicquá fluxit ab utero, ac nihilominus bene habita, prorſusq; incolumis annos vixit circiter ſexaginta. Fernelius lib. 6. cap. 16. Patholog.

Mulier quædam Montiſbani, nunquam menſtrua paſſa fuit, & tamen peperit duodecies, & liberorũ adhuc noſtro tempore multi ſuperſtites ſunt. Rondeletius cap. 24. Meth. Curand. Morb.

Pro miraculo & inaudito adfero, cujus ego teſtis ſum oculatus, infantes ſcilicet cujuſdam mulieris, quæ neq; in partu, neque ſana viſa eſt unquam fluxiones illas communes, & purgationes (quæ menſtrua dicuntur) pati, Achoribus ſeu ſaphati ſæpiſſime corripi. Petrus Toleti in Appendice ad cap. 1. Pauli Bagellardi, de morbis puerorum.

Vnam novi, quæ robuſtiſſima erat mulier Illyrica, & habitu, figuraque corporis ſimillima viro agili & expedito, colore ſubobſcuro, quæ nunquam per menſes purgabatur, ac ſemel tantum, cum tamen ad ſenectutem uſque cum viro vixerit, in utero habuit, reliquo autem tempore fuit infœcunda. Trincavella lib. 10. cap. 3. de ratione curand. Partic. human. corp. affect.

Venit ad me, & Conradum Bauſchium inſignem Chirurgum, ante annos plus minus ſeptem,

septem, mulier rusticana ex hercinia sylva nostra oriunda, subnigra, robusto ac subacto laboribus corpore, de morphæa (qua tum laborabat) consultura. Quæ nobis de vitę genere percunctantibus, sanctissime juravit, productis etiá fide dignis testibus, se ternos quidem ac integræ sanitatis fœtus edidisse: cũ per omnem ætatẽ menstruis purgationib. caruisset. Parciores autem ejusmodi corpora mẽses habere rarum non est. Sed eorum omnino expertes, at fœcundas esse, id vero rarissimum ac annotatu dignissimũ mihi visum est. D. D. Ioá. Culmannus illustr. VVirtemb. Princip. Med. in suis ad me literis. die 8 Iul. Anno 85. datis.

Accepi Tholosanam quandam fœminam cõstitutionis sanguineæ, vegetiq; omnino habitus, utriusq; sexus fœtus enixã esse feliciter, ad octodecim usq; num. citraq; aliquod tum sui ipsius, tum proliũ incommodum vitiumque aliquod. Ex quibus filium unum sibi adoptavit Marchianellis Monlucensis patria quędam Domicella. Quare mulier concipere & parere potest citra mensium efflorescentiam, intellige externam & manifestam, nõ vero sine omnimoda horũ apparitione vel alluvione aliqua, saltẽ interna, ad locellos muliebres, etc. Ioubertus Popular. errorum lib. 2. cap. 1. quo loco disputationem hanc ad plenum requires.

Scimus nos in urbe noſtra mulierem fuiſſe fortem & audacẽ, manu promtam & iracundam, petulanti lingua, ad contumelias mox pronam, quæ jure optimo virago erat appellata, hæc nũquam menſtruas purgationes habuit, & tamen bis utero geſtavit, ac bis peperit primo maſculum, ſecundo fœmellam, ambos optime conformatos, & plurima carne præditos, in partu excrementi menſtrui vix tantillum exivit, at in puerperio nihil penitus effluxit.

Atque nos, dum hæc ſcribimus, tractavimus mulierem ruſticam, quæ cum utero gereret, ſe morbo aliquo detineri arbitrabatur, eo quod jam per multos mẽſes minime conſuetas menſtruas purgationes paſſa, haud fieri poſſe cenſebat, ſe concepiſſe, ac in utero habere, tamen nono menſe optime conformatum fœtum edidit, ventriſque tumore, morbo, gravi cura qua premebatur, liberata fuit.

Quod & alteri Nobiliſſimæ mulieri, contigiſſe, certo ſcimus: quæ non fluẽtibus menſibus cõcepit, & quarto impręgnationis menſe paſſa eſt aborſum. Marcell. Donat. Hiſt. mirab. med. lib. 4. cap. 23. quo loco cauſas horum require.

Non deſunt quidam veteres & recentio-

res,

res, inter quos censetur Aetius, qui contendit mulieres absq; mensium profluvio concipere non posse. At usu quotidiano experimur, mulieres lactantes, absque aliquo mensium profluvio concipere, non paucasque sine eodem mensium statorum fluxu concepisse: quod his tantum humoris collecti, quantum his, quæ purgantur, restare solet. Sanguis qui effunditur per se conceptum non efficit, sed per accidens: quandoquidem testimonio Hippocr. lib. de Nat. fœtus, cum uterus atque venæ sanguine vacuæ fuerint, mulieres fœtus concipiunt. Nõ enim à ratione alienum videtur, mulieres quasdam sanas & corpulentas, sanguinẽ menstruum postea effluxurum, in totius corporis alimentum convertere, potissimum si frugalius vivant, & multum se exerceant. Bertinus Medicinæ lib. 4. cap. 4.

Mulierem absq; menstruis concepisse hoc anno novi, ad quandam vocatus pleuritide laborantem, quæ quarto mense utero gerebat, cum tamen per integrum annũ, ante conceptum, absq; mensibus & lacte fuisset D.D. Hercules Saxonia, suis ad me Patavio liberalissime missis Observationibus.

OBSERVATIO CXVIII.

Honesta quædam matrona tanto coitus desiderio, eo intervallo, quo nec uterum gestabat nec lactabat, tenebatur: ut cum sævissimis tremoribus, aliisque symtomatibus, dierum aliquot insaniam incurreret, quæ post conceptum cessabant.

QVædam Nobilis mulier, ætatis mediocris, bonæ habitudinis, sanguinea, alba, carnosa & facie rubea, elegantis corporis, cum proprio marito per longa tempora pudicissime vixit. Quæ nunc per aliquot annos, interpolatis temporibus in mentis permixtionem incidit, & quasi furiosa fuit, cum non est prægnans, quod accidens & cum contingit, totum corpus ejus tremit, & partes membrorū quasi singulæ tremendo, moventur: etsi immobiliter detineantur: & durat hoc accidēs per aliquot dies. Sic cum incipit hæc dispositio, sentitur in ventre ejus sonitus manifestus, ita ut vir ejus cum ea jacens, audiat sonum dictum in ventre ejus, & tunc supra modum, & præter solitum fuit cupida libidinis. Et cum vir in totum huic immoderato appetitui satisfacere non studeat, sive non possit, tunc redditur vigilans:

gilans: & tunc incipit insanire. Sed postquam à viro concepit, semper libera est ab omnibus his accidentibus, usque ad finem partus: & post nisi infra annum concipiat, aut duos, solet in pristinam furiam incurrere. Matthæus de Grado Consil. 80. quo loco enarrat. & Curationem require.

OBSERVATIO CXIX.

Rara aliquot & nova ad conceptum remedia, de Historia & Experimento cognita.

VMbilicus infantis, qui sponte cadit, quoquo modo in cibo sumtus, si ignoraverit mulier, ad conceptū facit, si vero in brachialibus gestaverit, conceptum inhibere dicitur. Alexand. Bened. lib. 30. de curand. morb.

Conceptus juvant secundæ arefactæ & contritæ, si bibuntur. Vmbilico quoq; puerperij eo modo sumto, fœcunditatē facere promittunt. Idem lib. 30. ejusdem operis.

Dedere aliqui Cervinum penem concisum in potu, alij infantis umbilicū arefactum novo experimento. Cervinum penem aridum in farinam redactum oboli pondere à coitu fœminis dandum censent. Idem lib. 30. & 25. c. 18.

Lacte meo curo (si quid medicamina possunt.)

Con-

Conjugij ut fructum fœmina geſtet onus. Vrſinus in Proſopopeia Animal. de Equa. Expertiſſimum multi teſtãtur. Oliverius in Annotat. ad eundem.

Coagulum leporinum poſt menſtruas purgationes, vulvæ appoſitum cum butyro, præſtat mulieribus ut concipiant. Dioſc. libr. 2. cap. 68.

Vterum cervinum ſingulari dote ad conceptum prædicat Baverius Conſil. 50. quo loco præparandi rationem & Electuarij ex eodem compoſitionem compertiſſimam exhibet.

Mulieres foliorum Negundo decocto, omni tempore univerſum corpus lavant, tantaque invaſit perſuaſio apud illas, Negundo folia, flores & fructus utilia eſſe ad juvandum conceptum, ut eum qui contrarium perſuadere conetur, lapidibus obruturæ ſint. Chriſtophorus à Coſta in Hiſt. Aromat. Indię Orient.

Majoranæ tenuioris delicatioris, odoratioris, gentilis, & minutæ vocatæ, oleum ſtillatitium, coagulo leporino remiſtum, & moſchi tantillo: arcanum conceptui fœlicitando nulli reſerandum. Pena & Lobelius de Majorana.

Agrippa inquit, Salviam herbam ſacram

leænæ

leænæ prægnantes vocant. Nam vitalem conceptum continet. Quare si succi ejus heminã unam cum modico sale mulier bibat, quarta à puerperij purgamentis die, & viro condormiat, infallibiliter concipiet. Ajunt enim, quũ in Copto Ægypti pestis grassaretur, eos qui superfuerunt in ea regione coëgisse mulieres & uxores suas ad hujus succi potentem adeo usum, & ad plurimã sobolem perveniſſe. Aetius tetrabib. Serm. 1. de Salvia.

Ammi legitimi semen, quod ex Alexandria affertur, mirifice præstat ad mulierum sterilitatem, nam compertum est, hujus tantum seminis auxilio plures prolificas effectas, siquidem si propinetur, mane, drachmæ pondere ex vino, in tenuem pulverem contritum, alternis diebus, tribus horis ante cibũ, futuram pollicetur prolem: sed oportet maritum cum uxore rem habere ijs tantum diebus, in quibus illa semen non ebiberit, quod tamen diutius sumi non debet, quam quatuor aut quinque diebus, est enim ad sterilitatem præstantissimum auxilium & pluries expertum. Matthiolus lib. 3. cap. 16.

Balsaminæ fructus exemto semine macerantur oleo amygdalino dulci, aut è semine lini expresso, addita ad unamquamque olei libram, liquidæ vernicis uncia, in balneo calen-

tis

tis aquæ, aut equino calente fimo, fitque indè oleum: quo ſteriles mulieres fœcundas fieri ſcribũt recentiorum quidam, ſi à balneo medicamentis utero conferentibus parato, eo uteri oſculum ſibi perunxerint, ac demũ ſuis ſe junxerint viris. Idem lib. 4. cap. 177.

Alchimillæ aridæ pulvis datur ex vino aut jure cochlearis menſura, quindecim aut viginti diebus, mulieribus, quibus ademta ſit concipiendi facultas à nimia uteri humiditate, quæ injectum ſemen contineri prohibet. Idem lib. 4. cap. 115.

Sterilitati à frigidis humoribus ortæ, hac compoſitione mederi ſoleo, quæ recipit Ambari partes duas, raſuræ eboris tenuiſſime tritæ, unam, pulveris ligni aloes, partem dimidiam, cum algaliæ momento, fiunt catapotia, quorum tria pẽdentia drach. unã, ſingulis triduis dabuntur, & emplaſtrum umbilico, peſſum uteri collo imponetur, purgatis tamen prius, uti decet. Nicol. Monardis de Simpl. Medicament Occident. Indiæ lib. 1.

Noſtri eum peſſum imponunt, ſeptimo die à purgatione menſtrua, atq; colluto naturaliũ ore, Componuntur gentiana, crocum, myrti folia, aloe trita ex oleo ſeſamino coacta, imponuntur poſt quatuor horas, conceptũ promittunt certiſſimum. Alex. Bened. lib. 25 c. 18. de curand. morb.

Peſſus

Pessus ad sterilitatem alius, Croci scrup. unum, moschi, succini odorati, Xyloaloes, ana grana tria, seminis fraxini in modum linguæ aviculæ, grana sex, coaguli Lepotini quantum satis sit ad pessum conficiendum: is naturalibus inditur ante coitum. Idem lib. 30.

Insidentibus suffitu prodesse, Ladani cretici uncia semis, Galliæ musch. drach. duæ, muschi, succini odorati, sive ambræ, ana grana tria, Xyloaloes, Opopanacis ana drachma una. Idem lib. eodem.

OBSERVATIO CXX.

Ad maris vel fœmellæ conceptionem facientia.

CRatæogonum, si mulier bibat (traditum est à quibusdam) jejuno ore, ter die post menses purgatos tribus obolis in duobus cyathis aquæ, ante conceptum quadraginta diebus, & vir consimili modo totidem diebus ante coitum hauriat, virilis sexus partum futurũ. Dioscor. lib. 5. cap. 122.

Mercurialem marem facere, ut mares gignantur, constat, ut fœminæ vero, mercurialem fœminam, si à purgatione bibantur, & trita folia genitalibus admoveantur. Idem lib. 4. c. 183.

Testi-

Testiculus secundus, qui alio nomine Serapias vocatur, eandem proditur vim habere. Idem lib. 3. cap. 125.

ÆTAS CONCIPIENDI ET GENERANDI.

OBSERVATIO CXXI.

Vetulas admodum concepisse & peperisse.

COrnelia inter mulieres è Scipionũ gente Volusium Saturninum post sexagesimũ secundum annum genuit, autore Plinio nat. hist. lib. 7. cap. 14.

Valescus à Taranta Medicus haud ignobilis, vidisse se puerperam mulierẽ quæ 67. suæ ætatis peperisset anno (cum alios anno sexagesimo & sexagesimo primo peperisset) testatur. Valleriola lib. 1. cap. 18. Loc. Commun. Valesci verba hæc sunt. lib. 6. cap. 12. Philonij dicti Operis sui. Vidi mulierem bonæ habitudinis quæ post sexagesimum annum habens menstrua concepit, & peperit filium, & continenter habuit duos filios. Et erat in sexagesimo septimo anno, quando habuit ultimum filium. Erat autem fœmina carnosa & musculosa & & fortis.

Alber-

Albertus vidisse se refert mulierem in Germania, cujus primogenitus ultimum quadraginta annis superabat. Fieri potest, quandoquidem ad sexagesimum usque parere possit mulier. Cardanus de Variet. lib. 8. cap. 43.

Septuagesimum Damisellæ cuidam annum agenti, ex rapida & concitatiore rheda, proindeque quæ nimis eam succuteret, non ita pridem nosmetipsi vidimus abortum contigisse. Cordęus Comment. 6. ad lib. 1. Hipp. de Morbis Mulieb.

OBSERVATIO CXXII.

Mulier sexagenaria ex septuagenario sene concepit, & decimoquinto mense puellam peperit oculis & manibus privatam, quinque mensibus vitalem.

VIdi ego in nobilissima hac (Veneta) urbe, dum essem juvenis, nobilissimam matronam sexaginta fere annos natã, cum ejus clarissimo viro conjuge, qui & ipse senex fere septuaginta annorum erat. Cui clarissimæ mulieri ipse medelam præstabam, judicaveramque eam aqua intercutem, seu hydrope ascite laborare. Iacebat quidem in lectulo, tumido admodum ventre, cum dejectione appetitus,

siti, & alijs stomachi accidentibus, cumque ita in secundo senio esset, nemo ex consanguineis ejus, nec ego suspicabar ipsam concepisse. Tandem quintodecimo mense puellam peperit, orbatam oculis, & truncâ manibus, quæ vixit quinq; mensibus: & quoniã res mirabilis erat, quæsitum fuit de tempore, quo simul in amplexu & coitu fuerãt, erantq; quindecim menses. Quare cæteri seniores medici & ego, illam per totum illud tempus gestasse in utero diximus. Quia virtus seminum in senibus, cum sint ipsi frigidi, imbecillis existit: itemq; uterus ex senio refrigeratus, non potuisset in minori tempore conceptum perficere, & perfectum seu completũ edere, imo nec materiæ membrorum quantitãtem sub ministrare. Quippe, cum (ut dixi) orbata erat oculis, & manibus trunca. Massa Epistola 29. Tom. 2.

OBSERVATIO CXXIII.

Anus rejuvenescens.

DIgnum est quod illã quæ in medicina raro accidunt in voluminibus scribantur. Retulit mihi mulier in alijs nsiles, quod in quodam monasterio, in loco qui dicitur Monuerus fuit quędam Priorissa, cui per multum tempus propter senectutem defecerũt menstrua,

strua, & tempestivi venerunt in vertice cani, & omnes fere excidere molares: uberum vero parum, aut nullum apparebat vestigium, & rugæ in facie profundissimæ apparebant. Factum est itaque, ut quicquid de capillis & pilis oriebatur & crescebat, totum nigrum pullulabat, & exibãt dentes & molares, sicut mos est in infantibus fieri; sic etiam oriebantur menstrua, ac ut in juvenculis abundanter fluebant. Mamillæ vero velut in virginibus elevatæ fuerunt, montuosæ: rugæ evanuerunt, & facies pulchra in tantum, quod illa honesta & religiosa monialis Priorissa verecundabatur: & vixit per multũ tempus in religiosa vita. & hoc fuit quasi mysteriũ raro contingens. Valescus de Tharãta lib. 6. c. 12. de curã. morb.

OBSERVATIO CXXIV.

Quosdam viros post octogesimum sextum, nõnullos octogesimo completo, & ad centesimum usq; liberos procreasse.

ABrahamus jam octogenarius ex Agare ancilla Ægyptij generis, filium genuit Ismaëlem: unde Ismaelitarum genus, qui demũ Agareni dicti sunt, ut Eusebio placet, ad postremum Saraceni. Centũ natus annos, ex Sara nonagenaria conjuge, quæ prius fuerat sterilis, Isacum sustulit. Guido Bituricensis.

M.Cato Censorius octogenarius,tam vivida senecta, ut ne consenuisse quidem videretur,filiũ genuit,è filia Salonij clientis sui. Qua de causa aliorum ejus liberorum propago Liciniani sunt cognominati, hi Saloniani, ex quibus Vticensis fuit Plin.lib.7.cap.14.

Sexaginta regnavit annos Masinissa Rex, Populi Romani amicissimus: nonagenarius, sine ephipijs equum ascendit,nudo capite pedibusque iter fecit, Roboris ejus maximum hoc argumentum est, cum multi ei filij & nascerentur & morerétur, quod nunquam pauciores decem habuit, & puerum quadrimum nonagenarius reliquit.Diod.lib.22.Val.lib.4. cap 14.filium vocat Methymatum, Suidas vero Stembam.Solinus cap.4.Plin.lib.7 cap.14.

Aristoteles dicit,quod à septuaginta annis, supra nullus potest masculum generare, sed experimẽtum nobis certificat, & manifestat, quod non sic est: quia multos vidimus octuagenarios,& supra,masculos generasse.Et quãvis sint pauci, etiam centum, & supra, masculos generaverunt.Et laus sit, & gloria ipsi, qui hoc fecit,& disposuit. Avenzoar Theisir lib.2.Tract.3.cap.1. Ex eodem repetit Matth. de Gradi comment. ad cap.29.lib.9. Rasis ad Almans.

Nicolaus de Palavicinis habuit filium à se genera-

generatum in centesimo anno. Savonarola tract.6.cap.21.rubr.23.

Tempestate nostra quidam germanus nonagenarius prolem suscepit ex castissima cōjuge, quem vidimus. Alexand. Bened. de curand morb.lib.25 cap.11.

Sigismundus Polcastrus Medicus & Philosophus Patavinus, qui super l.annos docuit, in senectute quatuor filijs brevi tempore orbatus, septuagenarius, ad suscitādam sibi prolem, uxorem secundam duxit, ex qua ei tres filij nati sunt: quorum primogenitum Antonium, doctrinæ insulis utriusque juris censuræ vidit de more ab ejus præceptoribus decorari. Hieronymum vero ipsemet philosophica laurea, cum summo gaudio, tremulis præ senectute manibus exornavit: & obortis præ lætitia lacrymis tenerrime exosculatus est. Post hæc autem non diu supervixit, annos natus nonaginta quatuor. Bern. Scard.lib.2. classe 9.hist.pat.

Sunt nonnulli robusti validique senes, quibus adolescentia continenter atque moderate transacta est, qui ad septuagesimum annum fœcundi sunt, & in peragendo concubitu viriliter subsistūt, quorum multa exempla Brabanti, Gothi, & Sueci suppeditant. Sic enarrantem audivimus Nauclerum quendam fide

dignum, dum Stockholmię negociaretur, imperāte Gustavo patre Invictissimi Regis, Sueciæ Erici, qui nunc rerum potitur, se accitu Regis interfuisse nuptijs viri cujusdam, annorum centum, qui in matrimonium asciverat triginta annorum sponsam, ex qua complures illum sustulisse liberos indubitata fide memorabat, erat enim vir, (ut sunt in ea regione plurimi,) adeo cruda viridiq; senecta, ut vix implevisse annum quinquagesimum videretur. Apud Tongros quoque, & in Campania Brabantica, ubi mira aëris clemētia, & gens temperans, & frugalis, inauditum non est, sed propemodum vulgare, octoaginta annorū viros, virgines, non admodum annosas, in conjugij societatem asciscere, atque ex ijs proles excitare. Levin. Lemnius lib. 4. cap. 24. de Occult. Nat. Mirac. edit. auctioris.

OBSERVATIO CXXV.

Pueros septem, novem, aut decem annorum progenerasse: Et puellas octo aut novem annorum utero gestasse, & peperisse.

CRaterus Antigoni regis frater, novisse se scribit quēdam hominem, qui spatio septennij & puer fuerit, & adolescens, & vir, & senex, & uxorē duxerit, & progenerata prole mortuus. Phlegon de Mirab. Audivi

Audivi (inquit D. Hieronymus) Domino teste, non mentior: quædam muliercula, quũ infantem nutriret expositum, & stillaret cibos ac nutricis fungeretur officio, cubaretq; cum ea puerulus, qui usque ad decimum annũ jam pervenerat, accidit ut plus, quam pudicitia pateretur, se mero ingurgitaverit, accensaque libidine, obscœnis motibus, infantem ad libidinem duxit. Prima ebrietas alterius noctis, & cæterarum deinceps consuetudinem fecit, necdum menses duo erant evoluti. Et ecce fœminæ intumuit uterus. Mira itaque ista sunt, & quæ vix fidem impetrent, ni à Sanctissimo tradita viro, puderet non credere. Cælius A.L. lib. 14. cap. 8 Nonnulli ad D. Gregorium referunt.

Forolivensis super primam partem de membris generationis scripsit authoritate fide digni puellam octavum agentem annum fuisse imprægnatam.

Abbas super Decret. Glossa in summa 20. quæst. dicit autoritate Alberti super 4. sent. quod puella novem annorum conceperit & pepererit in 10. anno.

Hostiensis lurisperitus, in Summa de pœnitentijs & remissionibus refert, Salomonem prop gasse filium in 11. anno. Marcell. Donat. Hist med. mirab. lib. 4. cap. 14.

Marsilius Patavus vidit Puellam Papiæ annorum novem imprægnatam, sed hæc raro. Savonarola, Tract.6.cap.21.Rubrica 6.

Puellam novem annorum utero gestasse visam scribit Savonarola: Et á se visam aliam Ioannes Capella senior Medicus Franciſci Regis, undiquaque doctissimus, mihi coram affirmavit. Sylvius Comment.de mens. mulier.

A Ioanne Fuchsio puellam novem annorum peperisse: & puerum novem annorum nutricem imprægnasse, jam pridem scriptum est. Lamb. Donæus lib.2.cap.14. Ethices.

Scriptum prodidit Iobertus, Lectoriæ in Vasconia fœminam anno ætatis nono peperisse, quæ adhuc superstes vivat, nomine, Ioanna de Perie, nupta Vvidio Beche mulctarum Regis Navarræ municipij collectori. Quod argumentum est evidentissimum existere fœminas nonnullas viripotentiores anno ætatis nono, quam aliæ permultæ anno decimoquinto, propter vulvæ & cervicis ejus capacitatem ampliorem: sed & plerisque casu aliquo amplior fit via illa, nempe intruso validius ob aliquem pruritum proprio digito, vel immisso nodulo, ut pesso magnitudinis membri virilis ciendis mensibus comparato. Pareus operum suorum, Tractatu de Renunciationib.

DE

DE SVPERFOETATIONE.

OBSERVATIO CXXVI.

Superfœtationis exempla & rationes.

QVum superfœtarit mulier, si primũ puerum in medio uteri habuerit, superfœtatio elabitur, à primo ac veteri expulsa: si vero in altero cornu superfœtationẽ habuerit, posterius ipsum insuper parit non vitalem, nimirum vitalitate, ubi uterus laxatus & humectus fuerit, exsoluta. Si vero non statim secedat superfœtatio, dolores exhibet, & fluxum fœtidum ac febrem: & facies intumescit, tibiæque ac pedes: & si pereat, cibum aversatur donec exciderit. Hippocrates lib. de superfœtatione.

Quæ ex animalibus magnitudine prædita sunt, ut homo, si alter coitus proxime ab altero accessit, enutriri, quod superfœtatum est, possunt. Iam enim id evenisse visum est. cujus rei causa id quod diximus est, eodem enim coitu plus seminis mittitur quod partitũ multiplicare cõceptum potest, si alterũ post alterum accidit, sed si jam aucto conceptu coitus adhibetur, superfœtari quidẽ potest, sed raro,

quoniam uterus magna ex parte ad partum usq; se comprimat. Si tamen aliquando accidit ut superfœtetur (jam enim id evenisse constat,) perfici non potest. Sed conceptus abiguntur similes ijs, quos abortus vocamus. ut enim in uniparo genere omne excrementum absumitur in id quod præcesserit, ob corporis magnitudinem, sic in ijs fieri solet. Sed in illis statim, in his cum jam fœtus accreverit. tunc enim similem uniparis conditionem recipiũt. pari ratione sola animaliu mulier, & equa gravida coitum patiũtur. homo enim sua natura præfœcundum animal est. Aristotel. lib. 4. de Gen. animal. cap. 5.

In muliere raro evenit, ut superfœtet, sed factum tamen aliquando est. Qui itaq; longo post tempore sint cõcepti, nihilo perfici possunt: sed præmaturius dolorem, quo ipsi, & primus fœtus intereat, movent. Iam incidit, ut facta corruptione duodecim superfœtata puerperia egererentur. At vero si proxime à primo conceptu secundus sit factus, absolvi edique potest, quod superfœtarit ut quasi gemini nasci videantur: quomodo Herculem & Iphiclem procreatos esse fabulantur. Nam id etiam constitit adultera quadam, quæ alterũm suo marito, alterũ adultero similem peperit. Iam & cum geminos quædam ferret, tertium

super-

superfœtavit: & cum tempus pariendi justum jam esset, primos vitales peperit, secundum quinto mense elisit, qui statim mortuus est. Altera cum primum septimo peperisset, qui mortuus est: mox duos justo mensium numero edidit, qui vixerunt. quædam etiam sub abortu conceperant, atque alterum abegerunt, alterum continuerunt, pertuleruntq; ad partum. plurimis, si concubuerint, infans mucore oppletus exit, esculétorum etiam, quæ mater comederit sæpe gerulus venit in lucem, & si sale immodice usa est, ipse sine unguibus nascitur. Aristotel. de animalibus libr. 7. cap. 4.

Extat in monumentis medicorum, & quibus talia consectari curæ fuit, uno abortu XII puerperia egesta. sed ubi paululum temporis inter duos conceptus intercessit, uterq; perfertur. Vt in Hercule, Et Iphiclo Fratre ejus apparuit. & in Ea, quæ gemino partu, Alterum marito similem, Alterum adultero genuit. Item in Proconnesia ancilla, quæ ejusdem diei coitu, alterum domino similem, alterum Procuratori ejus: Et in Alia, quæ Vnũ justo partu, quinque mensium Alterum edidit. Rursus in Alia, quæ septem mensium edito puerperio insecutis mensibus geminos enixa est. Plin. lib. 7. c. 11. N.H.

Noni

Novi uxorem Zachariæ de Scarparia, quæ peperit masculum : & hinc ad tres menses peperit alium masculum , & bene vixerunt ambo , & unus fuit: speciarius Florentiæ in Burgo S. Laurentij. Nicolaus serm.6 tract.1. cap.22.

Hæc profecto historia admirabilis est, cum Arist.4.de gener.Animal.5. & 7. de hist. Animal.cap.4.scripserit, quod si alter coitus proxime ab altero accesserit, enutrire quod superfœtatum est utero gerens potest;sed si jam aucto conceptu coitus adhibeatur, superfœtare quidem potest, perfici tamen conceptus ambo non possunt. Marcell.Donat.Hist.mirab.med.lib.4.cap.16.

Accidit quod quædam mulier peperit unũ filium pulchrum , qui assimilabatur viro suo: & post paucos dies , peperit unum turpẽ , qui assimilabatur amasio suo turpi: & hoc non fuisset , nisi matrix post coitum fuisset aperta & dilatata : Appetunt igitur avide mulieres post coitum. Gordonius in lilio,particula 7. cap 2.

Superfœtatio res est rara , visa tamen Mediolani nostris temporibus. Cardanus Comment.ad aph.36.lib.5.Hipp.

Monstrosos nasci tametsi rarum sit: rarior tamen superfœtatio est,& adeo quidem rara, ut non-

ut nonnullis impossibilis habeatur. cujus tamẽ manifestum in honesti civis uxore exemplum apparuit. Peperit hæc filium plene gestatum Anno M.D.LXX. Decemb. die 7. hora 10. vespertina, succedentibus omnibus, quæ ad felicem partum requiri solent. Postridie vero, qui erat octavus, eadem hora præter expectationem obstetricis, ac sui ipsius, peperit eadem fœtum alterum, sed nondum quadrimestrem, utpote cui neque oculi, neque nares, neque os paterent, quem idcirco post cõceptum fuisse satis manifestum. Dodonæus in Annotat. ad cap. III. Benivenij.

Superfœtatio non solum in primo mense, sed & in quarto, & quinto contingit. ut enim multa taceam exempla, Vxor cujusdam Doctoris, qui hic Valentiæ Regiæ Cancellariæ præsidebat, Gallart appellati, post quatuor menses ab obitu viri filium peperit, & deinde nono mense alterum. Neq; enim causa superfœtationis consistit in eo quod orificium uteri sit apertum aliquantulũ (ut simul etiam voluit Vallesius lib. 5. Epid. comment. 11.) quæ semper evenit orificio ita clauso, vt ne specilli cuspidem admittat: sed in uteri attractione, quæ tunc contingit, quia dilatatur in coitu in fricatione & calore orificium uteri, & ita semen attractum potest uteri cavitatẽ subire.

Pet.

Pet. Paul. Peræda schol. ad cap. 55. Ioan. Mich. Paschalij lib. 1. de curand. morb.

Si duos plutesve fœtus utero gestet mulier, eosque suis singulos secundis involutos, ea fit quæ superfœtatio dici solet. At qui ijsdē secundis involvuntur, uno eodemque concubitu ex multo & copioso semine cōcepti creduntur, nullo nec concipiendi, nec pariendi dierū interjecto numero, ut cum statim à pastu ventriculus bene & secundum naturā habens, sic circum cibos contrahitur, ut ipsos, quamvis pauci sint, geminis velut manibus undiq; comprehendat, adeo ut neq; in hanc, neque in illam partem fluctuare queant, quo concoquere & in chylum vertere ipsos possit: sic uterus circum duo semina simul atque in ipsius capacitatem effusa fuerit, ad conceptionem cogitur: & ita cogitur ut suis undiq; lateribus constricta ipsa in unum confundat, neque earum unam portionem in hoc, aliam in illud uteri latus & regionem deerrare permittat, adeo ut uno concubitu ex eodem semine plures edi fœtus nequeant, suis quique Secundis discreti. Adde quod nullæ sint ejusmodi in mulierum utero cellæ, quales in brutorum uteris esse memorantur: quæ ob id plures uno conceptu & partu fœtus edere solent. Iam vero si qua sui regione uterus mu-

liebris

liebris se exceptis seminibus ad conceptionẽ non appresserit, & proxime admoverit, aërem ipsa contineri, ne quid in rerum natura vacui detur, necesse fuerit, ab eoq; mox semina illa alteran & corrumpi. Ergo plurium fœtuum secundis discretorum, id est minime gemeliorum generatio est ejusmodi. Mulier si ex hodierno cum viro concubitu conceperit, sed ipsi aliquot mox à conceptu diebus uteri orificiũ exacto nõ claudatur, imo etiam dehiscat nonnihil, si tum illa rursum cum viro coïerit, & ita coeat ut ab utroq; seminis fœcundi in uterum fiat effusio, nova sequetur conceptio, seu superfœtatio. Est enim superfœtatio nihil aliud quam secunda quædã conceptio, cum scilicet gravida jam mulier iterum viri concubitu usa concipit, Hip. sententia. Cur vero post primã conceptionem uterus qui connivebat referetur, & dehiscat, multiplex causa profertur. Sunt enim qui putent uterum post conceptionem certis temporum intervallis aperiri, ut excrementitijs quibusdam materiebus, quæ in ipso congeri solent, exitus pateat: itaque gravidã, quæ tum in viri amplexus venerit, concipere. Alij autem uterum vel ex sese & natura sua seminis & veneris avidiorem, vel jucunda quæ à viro fit titillatione, præ fervida libidine efferatum & incitatum, denuo

nuo dehiſcere ad ſeminisvirilis exceptionem. Sic enim nec admodum raro ventriculi orificium à paſtu clauſum mox reſeratur, oblatis cibis novis: quanquam non quibusvis, ſed delicatioribus, & velut cupedijs, nec quibuſvis hominibus ſed edacioribus. Dehiſcere autem ſic uterus certis temporum intervallis pluries poteſt, inde multiplex naſci ſoboles, cujus ut concipiendi ſic & pariẽdi tempus ſit varium. Nam, ut ſcribit Plinius, ubi paululum temporis inter duos conceptus interceſſit, uterque perfertur, ut in Hercule & Iphiclo fratre ejus apparuit: & in ea quæ gemino partu alterum marito ſimilem, alterũ adultero genuit. Item in Proconneſia ancilla, quæ ejuſdem diei coitu, alterum domino ſimilem, alterum procuratori ejus: & in alia quæ unum juſto partu, quinque menſium alterum edidit. Rurſus in alia quę ſeptem menſium edito puerperio, inſequutis menſibus geminos enixa eſt. Superfœtationis id etiam argumentum eſt, quod quot ſunt in utero fœtus (niſi forte gemini ſint ejuſdem ſexus) tot erunt ſecundæ, quemadmodum mihi ſæpe videre contigit: veriſſime vero eſt, quod ſi eodem conciperentur temporis articulo, una etiam eſſet qua involverentur ſecundina. Cæterum numeroſior quam duorum fœtuum in muliere ſoboles mon-

monstrosa ex eo videri possit, quod duæ tantum mammæ sint à natura mulieri tributæ: quanquam numerosæ sobolis exempla referre possemus. Pareus operum suorum lib. 23. cap. 32.

Poteritne, post primum aut secundum tertiumve primi cõceptus mensem, fieri superfœtatio, ut plerique & scriptis & exemplis illustrarunt? Poterit, meo quidem judicio, sed raro. Uterus enim præfervida libidine efferatus denuo aperiri potest, ut semen excipiat: non tamen propterea prior conceptus jam conformatus & grandior excludetur, si sana sit mulier, & fœtus validus, tum quia utero firmiter alligatur per ora vasorum, tum quia exitum nondum sibi parat. Hoc in gemellis aliquando sumus experti. Vidi nobilem quandam mulierem, gemellos gestantem, quæ puellum edidit primo noni mẽsis die mortuum, & septimo post eum partum die alterum vitalem enixa est. Potest ergo aperiri interius osculum, fœtu non excidente. Extat ad hujus sententiæ confirmationem Hippocratis Aph. 38. lib. quinti: Mulieri gemellos gerenti, si alterutra gracilescat mamma, alterutrum abortit: si quidem dextra gracilis fiat, marem; si sinistra, fœminam. Retinetur itaque fœtus in utero, etiamsi multum hiarit os uteri. Et licet

tertio aut quarto menſe ſecundus fiat conceptus, non propterea primum excidere neceſſarium eſt. Raro autem vitales ſunt ſecundi conceptus, præſertim ſi poſt multos dies fiat: quia prior fœtus jam grandior, ſanguinem totum exhaurit, unde fit, ut novus hic, ſuo genio defraudatus, intereat, & ante tempus excernatur. Andreas Laurentius Anatom. libr. 2. quæſt. 32.

Quod ad naturales ſuperfœtationes, hoc verum eſſe, quod duo infantes, dierum ali quot interjecto numero, unus poſt alterum conceptus ſit, ſufficienter oſtendunt, quod jam pridem Pithuveris ſemel obſervavi, in muliere quadam, quæ tribus ſeptimanis poſt priorem partum (è cujus puerperio jam erat egreſſa) ſecundum infantem enixa eſt. Hanc rem, hiſtoria Dominæ de Malorthye, quæ omnibus nota eſt, comprobat, quæ ita ſe habet,

Domina Maria è novo caſtro, cum ex Barone Crematienſi novem liberos ſuſcepiſſet, ſecundo contracto matrimonio cum D. de Malorthye, ex quo gravida reddita, tres filios una utero geſtavit: hinc factum (ut cum parvæ ſit ſtaturæ, ſed tamen fertilis) ut adeo fuerit gravata, quod circiter quintũ menſem ex filijs unum tantum ſit enixa. Quare cum exiſtimaret D. Theobaldus (ut & ipſa) celebris

Medicus

Medicus ad Castrum Theodorici in Campania, alios duos filios, nihil aliud quam lochia retenta esse, aut molas, irritosve cõceptus, ipsi post octavum ab abortu diem, forte medicamentum, ad hęc expurganda aptum exhibuit, quod sane abortum secundum duorum aliorum filiorum causavit: qui adeo integri & vivaces fuere, ut ipsemet Medicus, quẽ consilij sui pœnitebat, testaretur, nisi medicamentum purgans vim ipsis intulisset, licet prius abortũ fuisset passa, quod tamen absque dubio ad rectam perveniissent maturitatem. Ab illo tempore sæpius gravida facta, & fere semper gemellos tulit, modo puellos, modo puellas. Verum dum semel utero gestaret, à cujusdam canis vehemẽti impulsu adeo læsa fuit, ut statim male habens nõ dubitarit quin apud eam fœtus esset mortuus: quare quindecim dierum spatio post, duos infantes peperit, quorum alter mortuus erat: quem diu ante mortuum fuisse manifeste erat colligere: alter vero vivebat, sed adeo debilis, propter malum à fratre gemello communicatum, ita ut triduo integro fugere non potuerit: diligenti tamen cura factum, ut indies melius se haberet, qui nunc annorum est octodecim, & Regis Galliarum assecla. Quas Historias, ex epistola quadam, quã habeo, à D. de Malorthye, ad Domi-

nam Bellovocâ Nangienſem ſcripta deſumſi, in qua omnia in ſpecie deducit, quamque manu propria ſubſignavit, poſtquam à D. Seureo docto & exercitato Medico Melodunenſi diu precibus ſollicitatus fuiſſet: eum enim rogaram, ut hoc officij amico, idq; in bonum publicum, præſtaret. Infantium hoc modo naſcentium, poſtremum natu Romani, ut monet Plinius, Vopiſcum cognominem fecerũt: quâ vocem ex Græco ortam interpretor, quaſi ὑὸς ὄπιςα γενόμενος, infans poſt natus.

Franciſc. Rouſſet. Sect. 6. cap. 7. de Partu Cæſareo.

Summus Medicinæ dictator 5. Aphoriſ. 51. *Quæ utero gerunt, ijs os uteri comprimi*, dixit: & Galen. in Com. *Si os uteri claudatur, conceptionis indicium ſtatuit.* Hinc factum, ut pro cõfeſſo fuerit habitum, os uteri in præguantibus non reſerari, cum 14. de Vſu part. 3. Galenus dicat, à conceptu uſque ad tempus ipſius partus ita occluſum eſſe os uteri, ut ne quidem apex alicujus acus indi poſſit. Verum rationibus, quæ in hanc rem adduci poſſent, in præſens relictis, dicimus os uteri etiam in prægnantibus reſerari: id ex eo liquet, quod mulieres etiam gravidæ ſperma reijciant: probatur quinetiam exemplis ſuperfœtationis & molarum, quæ poſt fœtus conceptionem generan-

nerantur: nec huic rei adversatur Anatome, facile enim id fieri posse, ea nobis ostendit: secundina enim dicta tunica, uni tantum uteri parti adhæret, ut recte nobis Valverda in sua proponit Anatome. Sed superfœtationum aliquot exempla proponamus, quæ rationes contrarium sentientium satis infringent.

Ante annos circiter triginta, Ioannes Pflieges, Rustici uxor, in Rixheim, Suntgauiæ pago, duobus Basilea miliaribus, gemellos utero gestavit, quorum primus justum post partum annum unum supervixit: alter vero sex septimanis post fratrem suavissimã hanc primum aspexit lucem, qui nõ ita pridem adhuc (octo habens liberos) in vivis fuit.

Christiana Schlechtin, Michaelis Vogel, Prætoris pagi Böllickheimensis (duobus cum dimidio Basilea miliaribus) uxor priori marito, cum quo decem habuerat liberos, defuncto; alterum cum prædicto Prætore matrimonium contraxit, & circa quinquagesimum circiter ætatis annum gravida facta est (postquã in matrimonio annis fuisset triginta.) Gestationis tempore completo, Anno 1575. Aprili mense, & quidem die Dominica, circa diem S. Georgio sacrum, doloribus partus corripitur, puellam feliciter, quæ postmodum Maria nominata, enititur, quę dies solum

quindecim ſupervixit. Finito puerperio, cum ad conſueta properaret munia, ſeptimanis quinque, & totidem diebus poſt primum partum, dum in vineis eſſet, nihil minus quam de altero partu cogitans, novis doloribus partus corripitur: quare domum reverſa, filium, qui patri factus eſt cognominis, enixa eſt, qui in hodiernum diem adhuc vivit. Poſt hunc partum amplius utero non geſtavit: verum ut parentes, ſic & filius, in hodiernum adhuc diem vivit.

Anno Chriſti 1584. poſteaquam vir nobilis, D. Philippus Ludovicus ab Hirshorn (cujus ſedes fuit in Palatinatu, tribus ab Heidelberga miliaribus: in oppidulo, quod ejuſdem nobilis viri nomen ſibi vendicat) rebus humanis exemtus eſſet, neque ullum poſt ſe hæredem reliquiſſet: vidua interim ipſius uterum ferente: ſtatim ipſius defuncti agnati, & feudorum ſucceſſores (ut qui vehemēter dubitarent, ferretne maſculum gravida vidua, an potius fœmellam) nō ſolum omne jus ſucceſſionis feudorum, in omnem eventum, à feudorum dominis obtinuerant: verū etiam quia libenter plenam & fundamentalem notitiam omnium feudorum & redituum habuiſſent: ideo ſtatim à morte prædicti nobilis, ſuperſtitem ipſius viduam, adhuc immaturam defuncti ma-

cti mariti mortem lugẽtem ſua in domo operuerunt: eique claves ad cryptas & cellas è lumbis, non ſine vi & vehementia detraxerũt. Quæ res adeo miſeram & triſtem viduã affecit, ut cõjectis in verticem ſuum manibus, vociferari, & ejulare magis cœperit: ut quæ graviter moleſteq; hujuſmodi ſęvitiam & agendi modum ferret. Quin etiam paucis interjectis diebus, tandem peperit, & quidem egregium puellum, ſed mortuum, & calvaria carentem. Cæterũ cum agnati & hæredes defuncti Nobilis, ea de re certiores facti eſſent, perſuaſerunt ſibi, ſuam ipſorum ſpem jam expletam, & ipſos ſui compotes voti factos fuiſſe. Quare jus ſuum in utenda, fruẽda hæreditate feudorum perſecuti ſunt. Sed Deus Opt. Max. velut è ſaxo alium partũ maſculum, & paternorum bonorum hæredem viduæ illi mœſtæ & deſolatæ ſuſcitavit, atq; donavit. Etſi enim nõ ita pridem puellam enixa eſſet, tamen ſubtumida à partu remanſit: nihil aliud ſuſpicata, quam vel tumorem præter naturam, vel aliquem morbum in ſuo reſidere corpore. Id quod etiam aliquibus Medicis (quorum conſilium ſeparatim requiſitum & auditum eſt) viſum fuit. Cauſam enim morbi quidvis aliud exiſtimarunt, quam quod ipſam gravidam adhuc eſſe, ſuſpicarentur. Quare conſilium

ei dederunt, ut ad Thermas fontis acidi ad Rhenum (Bey Elfas am Rhein) sese conferret. Ad quas illa Thermas, secuta ea in re Medicorum consilium, ut vidua mœsta & orba, unica ancilla comitata, profecta est. Verumenimvero ut tandem mense Iulio 1584. eo loci venit, ob Thermas: accidit, ut ibi inveniret Electorem Saxoniæ Augustum (qui paulo post in fata concessit) cum conjuge: nec non alios, aliasq; Principes: qui ita loca præoccuparant, ut ipsamet in diversorio locum manendi non inveniret: præsertim cum nemini notum esset, quæ, qualisve matrona foret, quæ unica tantum ancilla comitata venisset. Porro tandem ejus loci Præfecto, quænam esset, significans: & suum ei casum, qui non ita pridem acciderat, commemorans: ægre ab ipso hospitium ad sequentem noctem obtinuit. At vero ea ipsa in nocte, cum jam decima ageretur hebdomada, à priori & proximo partu, Deus Opt. Max. ipsam & mœstam atque adflictam, & apud peregrinos, pulcherrima prole mascula, eaq; viva, ditavit. Id quod statim fando pervenit ad aures Illustriss. Principum. Et quidem ei Elector Moguntinus lautum ac nobile puerperium instituit: Elector vero Augustus, eidem mille Thaleros dono dedit. Quin etiam omne jus hæreditariæ

riæ successionis & feudorū ab alijs repetitum, & huic ipsius filiolo, hæredi videlicet legitimo, restitutum est. qui adhuc in præsens in vivis est.

Anna Cancerina, Christ. Schollers, sutoris nostratis uxor, cum jam annis aliquot fuisset in matrimonio, aliquoties gravida facta, feliciter enixa est: dein cum rursus utero gestaret, accedente debito partus tempore, postea quam toto triduo levibus doloribus partus fuisset divexata, Anno 1587. Ianuarij 25. hora 6. matutina, casu Embryonem è corpore elabi sensit, qui digiti unius longitudinē æquabat: verum eadem die vesperi ad horam sextā maximis conatibus partus divexata, alterum justo partu fœtum perfectum & viventem exclusit. Ambo autem, ut narravit Obstetrix, una continebantur secundina. Casparus Bauhinus in Appendice ad Partum Cæsareum Roussetī.

Civis quædam in Oppidulo Holsatiæ, Apenradio, quinque dierum interstitio, geminos, Anno 1588. Mense Februario peperit. D. M. Ianſonius lib. Mercurij Gallobelgici, pagina 81.

Rustica quædam mulier in vicino pago Smerka peperit filiam. Deinde elapsis octo diebus, cum gravissima ventris termina sentiret,

ret, & viciſſim è vicino oppido obſtetricem accerſeret, denuo peperit filiam. De CL.V. D.D.Ioan.Franci Hildeſij Medici Camenicenſi, Exemplis mihi per D.D. Laur. Scholzium tranſmiſſis.

OBSERVATIO CXXVII.

Superfœtatio Epidemica aliquando animadverſa.

NOs vidimus ſuperfœtationem quandoque fuiſſe Epidemicã, Braſavolus Comment.ad aph.38.lib.5. Quod verum eſſe ratio ſuadet. Cum enim ſit res quaſi præter naturam,indiget ut foveatur à cauſis communibus & potentibus : quare ab his prodeunt plures cõſimiles effectus. illud idem de monſtris : ideo legitur apud Livium ; Cum unum apparebat monſtrum, ſemper plura fuiſſe : & hæc cauſa eſt.Cardanus Comment. ad prædictum Aphoriſmum.

OBSERVATIO CXXVIII.

Superfœtatio monſtroſa.

IN Cypro Inſula,tempeſtate noſtra,fœminã geminos peperiſſe accepimus. Alterum octavo menſe : Alterum decimo nono, macie confectum, utrinque dentatum, qui capitis partem,quam ſynciput vocamus,cõſumſerat.

Is ſta-

Is statim editus, omniũ admiratione, per umbilicum irrepsisse dicitur. Quem, tanquam monstrificum animal, vivum sepiliri jusserũt. Alex. Benedict. de Curand. morb. lib. 25. c. 23.

DE GRAVIDIS.

OBSERVATIO CXXIX.

Gravidarum imaginationis in corpora & humores vis stupenda.

PRoditũ ab Heliodoro legimus, Persinam Æthiopię Reginam ex Hidustę marito pariter Æthiope, filiam suscepisse albo colore insignem, quod cum in viri amplexibus, ex quibus gravida evasit, esset, fixis oculis intentoque animo, in oppositam pulchræ Andromedæ imaginem se cõvertisset. Pareus lib. 24. cap. 7.

Narrãt Hippocratem hac causarum explicatione, principem quandam mulierem, quæ alba ex marito pariter albo prolem Æthiopis instar nigram ob id susceperat, quod cõcumbens, oculis obversanté Æthiopis imaginem fortiter & assidue animo comprehendisset, adulterij suspicione explicuisse. Idem loco prædicto.

Vete-

Veterum libris celebratur, quendam, qui opibus florebat, in corporis maxima deformitate, cum vellet procreare prolem formosam, depinxisse in tabella elegantē pusionem, & quoties cum uxore congrederetur jussisse, ut illam aspiceret, & eam sibi proponeret exemplar. In quam cum oculos suos defigeret, & in tabellam animum intenderet, non patris, sed pusionis depicti, qui nascebatur infans, lineamenta retulit. Natura enim ex visu pusionis imaginē hausit, citra individuorum corporum adminiculum. Galen. cap. 11. Libell. De theriaca ad Pisonem.

Testatur Damascenus visam sibi puellam ursi instar villosam, quæ non aliunde eam deformitatem contraxisset, quam ex eo, quod mater in ipso excepti & concepti seminis articulo, in divi Ioannis camelina, ut solet, pelle tecti imaginem, ex lecti oppositis fulcris pendentem, acrius intuita esset. Pareus lib. 24. cap. 7.

Non solum in conceptu, sed etiam cum proles jam formata in utero gestatur vim suam imaginatio exercet, quum concupiti, si eo priventur, gravidæ mulieres maculam genitivis notis corpori infantis imprimant, tantum valet desiderium & fortior imaginatio. Hoc modo Laodice Antiochi uxor prægnans, per

quietem

quietem annulum ab Apolline anchora insignitum accepisse sibi visa, Seleucum multis postea clare gestis, celebrem cum ijsdem in femore insignijs est enixa: ac deinceps filij, nepotesque ejus, anchoram in femore, velut notam generis, habuere. Sebast. Verro Physicor. lib. 9. cap. 5.

In Martini quarti Papæ pontificatu ex illustri quadam fœmina pontificis necessaria, natus est puer villosus, & in speciem ursi unguiculis armatus, quo monstrifico partu permotus pontifex omnes ursorum imagines, quæ forte in ejus domo fuerunt, jussit deleri, manifesto argumento, receptæ ab ea imaginationis in conceptu. Lycosthenes Lib. Prodig. & Ostent. anni Domini 1282.

Imaginationis tanta vis est, tamque efficax, ut quæ sub ipso conceptus momento animo mentique obversantur, in fœtum elaborentur. Cum enim is sexus lascivus sit & ludibundus, atque oculos in obvia quæque continenter defigat, fit ut naturalis facultas, quæ operi formando perficiendoque insistit, eo cogitationes mentisque conceptus dirigat, atque ascititiam formam infanti inducat, à parentum natura ac conditione prorsus alienam. Sic observatum est nostra & avorum memoriâ, cum Imperator Carolus ejus nominis Quintus, ex

Hispa-

Hiſpanijs in Belgicam inſtructiſſima claſſe eſſet delatus, ac numeroſa clientela, amploque procerum ac ſtipatorum apparatu has oras impleviſſet, mulieres quæ paſſim geſtabant uterum, ex crebro Hiſpanorum contuitu, exactis novem menſibus decurſoque anni dodrante infantes edidiſſe, ſupercilijs capillisque nigris ac criſpis, tum colore illi nationi undique aſſimili, non quidem triobolares ac meritorias, quas genti fervidæ ac ſalaci ſe ſubjeciſſe credi par eſt : ſed ſpectatæ probitatisque atq; incorruptæ pudicitiæ matronas hujuſmodi affectus in ſe ſuosque concepiſſe. Simili ratione cum Belgis imperaret Maximilianus Cæſar ex Pannonijs, hoc eſt, Auſtriaca gente oriundus, fœminæ ob Germanorum conſuetudinem ac conſpectum, flavis rutilisque crinibus infantes ediderunt, ac Germanis prorſus affines. Lemnius Lib.1.cap.7. De Complexione.

Anno Domini 1517. in Boſci Regis Paroëcia, in Biera ſylva, via ad fontem Bellæ-aquæ, natum eſt monſtrum facie ranali, viſum Ioanni Bellangerio, Machinariæ Regiæ Chirurgo, coram Harmoij oppidi juſtitiæ cuſtodibus, inprimis Ioãne Bribono ejus loci Procuratore Regio. Pater vocabatur Amadæus Parvus, Mater Magdalena Sarbucata. Hæc

febre

febre divexata mulierculæ cujusdam consilio ranam vivam manus palmæ affixerat, tamdiu detinendam quoad immoreretur parti, eo habitu in viri amplexus venerat de nocte & conceperat, eam Bellangerius, perspicaci ingenio vir, monstrosæ deformitatis fœtus causam esse arbitrabatur. Pareus libr. 24. cap. 7.

Pleni sunt philosophorum libri, visa per conceptum magnam in partu vim habere. Vnde conjugibus præcipitur, ut elegantes habeant circa lectum genialem imagines. Vrbs est in Brabantia Buscunducis, in qua ut in alijs ejusdem terræ stato anni die, quo ferunt maximum urbis templum dedicatum, publice supplicatur, ludiq; varijs divis' exhibentur. Sunt qui tunc personas divorum induant, sunt qui dæmonum. Ex his unum cum visa puella exarsisset, domum saltitando se recepisse, & correptam, ut erat personatus, uxorem suam in lectum conijcit, se ex ea dæmoniũ velle gignere dicens, concubuit, concepit mulier, & infans quem peperit, simul ac primum editus est, saltitare cœpit, forma quali dæmones pinguntur. Hæc Margarita Augusta Maximiliani filia, Caroli amita narravit, Ioanni Lamuæ, homini prudentia incredibili, qui tum erat

erat hic legatus à Ferdinando Rege: nunc est hujus Cæsaris præfectus in Aragonia, vir qui non modo præfecti nomen & personam, sed regis quoque posset sustinere. Vives ad cap. 25. Lib. 12. Augustini De Civitate Dei.

Mulier prægrandi utero tumens, cum partus tempora non procul ab Epiphaniæ festo, seu trium Regum vulgari calculo conjecisset, alijs alludẽtibus, ac si reges tres utero ferret, quod felix faustumque sit illa respondit: neq; fefellit eventus rei: nam regum profesto enixa est proles masculos tres, quarum una colore bituminis regem Æthiopem prę se ferebat, etsi eadem non supervixerit diu. Hæc quia conspecta Lovanij, patris ac aliorum plurium testimonio confirmata, protulimus. Gemma lib. 1. cap. 6. Cosmocr.

Verum est imaginantibus permagnam vim esse, ut plerumq; colorẽ hujus rei, quam imaginatæ fuerunt, illi parti corporis, quam tunc manu digitisque tangunt, inducat, nempe igneum ex ignis, fuscum ex nigrorum cerasorũ, rubicantem ex fragorũ rubeorum forti imaginatione. Et quod magis est, non raro substãtiam similem, ut memini carneã fraga in dorso, & carnea cerasa in genis, hac naturali virtute imaginatrice producta me vidisse. Iacob. Horstius lib. de Dẽte Aureo pueri Silesij pag. 48. & 49.

OBSER-

OBSERVATIO CXXX.

Subitanei & improvisi terroris gravidis incussi, effectus prodigiosi.

IN Moguntio nostris temporibus accidisse refert Sebastianus Munsterus, ut duæ mulieres, quarum altera prægnans esset invicem colloquerentur: currens alia supervenit, quæ loquentium capita invicem collisit: quæ gravida erat, dum pareret, signa timoris in infantibus expressit: siquidem duas puellas peperit à summa fronte usque ad nasum junctas è facie, sic ut non nisi oblique spectare possent. Supervixit hoc monstrum tamen usq; ad annum decimum. Altera mortua, atque ab alia vivente excisa, quæ supererat & ipsa mortua est: seu timore, seu pedore, seu animi molestia, quam misera dum altera ægrotaret cõtabescens susceperat, extincta sit, incertum est. Certius illud est, quod à multis quæsitum est sæpius, prægnantium affectus fœtus, qui in utero sunt, posse vitiare: unde tot maculæ infantibus vini, suillæ cutis, punicorum malorum, ac talium. Nam cum mater harum puellarum concussa timore imaginem collisi capitis retineret, capita puellarum in unũ coierunt. Neque enim id concussione sola factum crediderim, quanquã non parum ad hoc con-

tulerit: quoniam sæpius mulieres majore impetu collidunt ventrem, quam tunc cum caput illa collisit, nec tamen gemini una cocũt. Nam si modo concussio causa hujus fuit, non jam capitis, sed dum caput alliditur, dorsi, vel ventris. Cardanus lib. 12. De subtilitate, Munsterus, Gemma, Ronsseus & alij.

Sane duobus annis postquam hæc commentatus essem, D. Barandus medicus nostras longe doctiss. abortum mihi conspiciendum exhibuit. Exciderat autem, ut ille mihi affirmabat, ante dies plus minus viginti, abruptis ex ictu tenuibus quibus involvebatur membranis, hac causa. Mulier gravida, proba alioqui & integrę pudicitiæ, sola domi ostijs apertis ante focum in humili sella sedens, hostio aversa attentius acum tractabat: quo tempore supervenit tacite, ut fit, vel maritus, vel familiaris alius & domesticus, qui sellã imprudenti & nec opinanti mulieri per jocum subtraxit. quo factum ut mulier sella avulsa non sine metu & natibus solum ferierit, & tandem abortu fœtum, qualem dixi ejecerit. Ex hoc discere licet periculosum esse admodum gravidas durius tractare, aut cum ipsis petulantius aut ineptius vel rixari, vel jocari. Lalamantius Scholiograph. 9. ad Hippoc. de hominis ætate.

Lugdu-

Lugdunensi mulieri, cum partus non procul abesset, hostili vultu & supra modum terribili maritus imminens, cum præ iracundia stringxisset gladium velut in cranium impacturus, hoc effecit, ut quanquam fuga salutem mulier reperisset, infanti tamen eadem calvariæ parte, cui acies minitabatur, magnum continuitatis divortium appareret, statim ab enixu sic effluente sanguine, ut nullo conatu vel arte tempestive reprimi posset, atque infans protinus expiraret; quo sane exemplo nihil unquam miserabilius visum est, cum jam grandior fœtus vix ullam impressionem à spiritu tam potentem potuisse recipere putaretur. Gemma Libr. 1. cap. 6. Cosmocrit.

Haud ita pridem circa initium anni 1575. quidam non obscuri nominis Regi Hispaniarum apud Geldros militans, quũ è familia nobili honestã duxisset conjugem (quam & durius tractabat) intelligeretque tandem ipsam uterum ferre, indignanter velut sinistre precatus ait ille: Tu infernalem gestas dæmonẽ, quem gladio confodiam. Non longe post filiolum genuit dimidia corporis inferioris parte bene formata, verum superior pars licuris rubris & nigris fœda apparuit, oculis in fronte locatis, ore rotundo, nigro, tetro,

ut satyrus, auribus longis velut canis venatorius, in vertice duo cornua nonnihil intorta, quæ manibus contrectata reddebantur sanguinea. VVierus de Prestig. dæmonum lib. 4. cap. 18. edit. 1577.

Plinius naturalis suæ historiæ libro septimo, hausta, inquit, imago sub ipso conceptu similitudinum reputatio est, cogitatio enim utriusq; parentis animo subito transvolans, effingere similitudinem existimatur, hinc alios avis similes, alios è patribus nasci videmus, nonnunquã etiam ex albis parentibus partum ipsum in Æthiopẽ degenerare. Hujus autem evidentius argumentum est, si mulieri, quæ nuper utero cõcepit, vel cerasum vel fragum, vel vinum in sinum aut faciem effuderis, animoq; id graviter ferens apprehendat, ibidem notam infantem referre. Cujus certe certissimum idq; evidentissimum exemplum nobis dedit mulier quædam, dum hæc Goudæ recuderemus: hæc etenim forte fortuna, cum greges Indicorum gallinaceorum conspicata esset, ac inter hos gallum quendam præ cæteris spectatæ formæ caudam cristasq; erigentem, variasq; Protei in modum induentẽ formas, animo consternata, monstrosum eumq; admodũ laborioſum partum edidit: Infantis enim facies tota dehonestabat enormi quadã, eaq;

eaque carniformi excrescentia, nam labrum inferius varicolori quadam cuticula circumtegebatur, quæ sane, ut omnes variosque Indicorum gallinaceorum colores expressit: ita etiam ejusdem dependentes malas quam appositissime delineavit. Bald. Ronsseus cap. 10. De primord. hominis.

Nuper nebulo quidam oppidatim spectandum obtulit infantem inusitatæ magnitudinis capite, reliquis membris non correspondentibus ulla proportione. Quod vitium ubi ex morbo contrahitur, non arte ascitum, ut hoc erat, hydrocephalon medici vocant, ob caput scilicet aqueo humore turgidum. Hujus cum picturâ modo spectasset gravida quædam, tam insolito spectaculo attonita exacto gestationis tempore, non sine vitæ discrimine infantem edidit fungoso, stupendæq; magnitudinis capite, cui hoc etiam accessit mali, quod inter nutricis amplexus magis magisq; extumesceret, atque ad molem insignem protuberaret. Quod mihi conquesta est mulier oblato puero, cujus cum caput hinc inde prementibus digitis leniter contrectarem, pulvini more subsidebat modo cutis, modo assurgebat. Hujusmodi autem spectacula non prægnantibus modo sunt evitanda, sed omnibus etiam, quibus horum conspectus & imagina-

tio nocturnam quietem possit vel intercipere, vel turbare, quod fere usuvenire solet pueris, ægrotis, seniculis, melancholicis, quibus tamen monstrificus rerum aspectus minus incommodat, quam mulierculis, quæ oblatis hujusmodi simulachris simile quiddam in utero effingunt ac moliuntur. Cum enim omnes vires ac naturales facultates totæ sint in formando fingendoque fœtu, fit ut muliere aliquo malo perculsa, omnes humores ac spiritus ad ima ferantur, atque in uteri secessum confluant. Quibus cum accedit inhærens penitusque menti infixa conspectæ rei imaginatio, vis ipsa quæ formationi insistit, eam formam ac speciem, quam animo concipit, effigiat, ipsique fœtui inducit. Neque enim temere est quod dicitur. Imaginatio facit casum. Simili ratione si sorex, ælurus, mustela, aut tale quiddam inopinato corpori insilijt, aut fraga, corna, cerasa, baccæ, uvæque acinus ulli parti inciderit, confestim notam imprimi contingit, illiq; membro hujusce rei inprimi vestigia: nisi forte mulier in ipso momento, quo hæc corpori ingruunt, subito absterso membro posticæ aut remotiori parti corporis manum admoveat: Quo facto confestim avertitur malum aut contactę parti nota infigitur, tota imaginatione ac facultate naturali

turali eo conversa. Lemnius lib.1.cap.4. De occult.nat.mirac.

OBSERVATIO CXXXI.

Picæ gravidarum exempla admiranda; quibus absurdus prægnantium appetitus exprimitur: quo si frustrantur, eas vel periclitari contingit, vel notas maculasve rerum desideratarum fœtibus imprimunt.

MVlieres prægnantes multarũ rerum desiderijs tenentur: sæpe carbones appetunt, aut cineres. Vidi, quæ morsum cervicis juvenis cujusdam, & correpta magnis doloribus aborsum feciſſet, ni momordiſſet, exanimato fere juvene, tam avide infixis dentibus. De his tam absurdis appetentijs ciborum medici quidem plurima, sed & apud philosophos nonnulla, velut Aristotel. in lib. de animal. idque fieri dicunt ex humore in stomacho vitioso: qui si viris quoque contingat, non dissimile experent. Lud. Vives Comment. ad cap.25.lib.27. Augustini De Civitate Dei.

Illud quamvis videtur memorabile, magis tamen commiseratione quam admiratione

dignum censeo. Mulier quædam uterum ferens, desiderio humeri pistoris denudati, & panem ad furnum deferentis, irretita, mœsta, omnem cibum, præter carnem de pistoris humero, fastidiebat. Maritus caræ misertus uxoris certam pecuniam pro singulis de humero pistoris morsibus cum eo paciscebatur. Duos itaq; dētium mulieris insultus fertur sustinuisse: tertium vero, doloris pertæsus, ferre noluit. Mirum quid accidit. Mulier ter geminos est enixa, duos vivos, tertium vero mortuum. Ita quoque naturæ vires re desiderata crebro reficiuntur. Langius Epist. 12 Tom. 2.

Elapsis non plus duodecim annis, mulier in pago non longe ab Andernaco Episcopi Colonienſis oppido, in littore Rheni malacia laborans carne mariti vesci desiderabat: quē ei percharum occidit, & dimidia fere carne conjugis dilecti saturata, reliquum sale maceravit: ut ipsamet postea cum malaciæ furor deferbuisset, & eam facti jam pœniteret, ingenue maritum quærentibus amicis confessa fuisse fertur. Idem loco citato.

Lembergi in amæno Schlesiæ & regali oppido, in quo ego natus sum, quendam lotis & nudis pedibus egressum balneo, inque plantis de more crepidas deferentem, mulier gravida subsecuta, pedum desiderio capta, procidit

dit à tergo in genua: ac ambabus manibus crure altero apprehenso, de calce illius mordicus dentibus fruitum evulsit, nihil illius clamorem expavescens, quo deorum hominumque fidem & subsidium is implorabat. Idem ubi supra.

Illud de cujusdam viri principis pellice obticere non possum, quę mane integros lini aut stuppæ manipulos, ut in alpibus glis (non glis, sed mus alpinus, seu mus montanus, vulgo Murmelthier) aut mus obesus, plenis buccis devorabat. Cum forte ex stomacho laboraret, ac anus ejus urinam ad me perferret, omniaque prius de ejus pica constarent, consultus ab anu, quid urina indicaret, respondi: juvenculā hanc plus lini de colo decerpere ore, quā fuso quovis versatili deduceret. Cum hoc anus garrula vaticinium ex lotij observatione de me civibus prædicasset, ut vatem me omnes admirati sunt. Idem author ubi supra.

Mater mea camaros fluviatiles, cum in utero haberet, crudos comedit. Trincavella lib. 7. cap. 5. de rat. curand. partic. hum. corp. affectus.

Evæ Sibyllæ uxori meæ soror erat nomine Genesesa, uxor quondam Petri Machæropœi Heidelbergensis, quæ anno (si recte memini)

1562. gravidâ, non ita remoto pariendi tempore ibat obsonatum ad macellum, cumque tẽporis jam plus satis, ut ipsi videbatur, apud lanium, dum carnes pro ea penderentur, exspectando transmisisset, moræ tandem impatiens, frustũ quoddam arripit, ac pendi jubet: id ei ex manibus ille pro sua ferocia magno conatu denuo rapit, & appendens alij astanti fœminæ vendit: eam rem iniquo illa ferens animo intra se ita exæstuat, ut è naribus cruorẽ emitteret, quẽ dum à supero labro abstergit, simul, quem masculum in utero gerebat, abstergit superius labrũ, velut eventus postmodum, non ita multis dierũ interjectis hebdomadibus ostendit. Vixit turpi hac nota signatus puer integrum annum, quo elapso, peste correptus, interijt D.D. Iacobus Suterus.

Novimus nos aliquas mulieres gravidas crudas anguillas devorasse: & nuper istis diebus Delphis, puellẽ ovillam crudam una cum lana, aliam comedisse percepimus: alterã vero Alcmarię picem navalem cochlearibus excepisse, atque deglutijsse. Hæc non solum mulieres sed & pueros & viros nonnunquam infestat. Forestus lib. 18. Schol. ad Observat. 7.

Maria Petri Sasboti filia, prægnans in maxima copia cretam vorabat. Est enim hoc symtoma & puellis & prægnantibus familiare aliquando. Forestus lib. 18. Obser. 7. Gra-

Gravidis admiranda quædam accidere notum est. Inprimis vero observatione dignum illud occurrit, quod illa quæ alijs fœminis exitiosa sunt, gravidis nõ solum conferãt, verum etiam si expetita, non in promtu sint. sui desiderio noxam insignem adferant. Ejus rei exemplum singulare in Diocæsi Fuldana oblatum mihi est. Erat rustica quædam in pago quodam Schvveden appellato, qui duobus miliaribus à Fuldano oppido distat. Hæc gravida existens, cum forte observasset piscatorem quendam in fluvio pago illi vicino piscari, rogat ut quos pisces ille cæpisset, venderet. Renuit ille. Instat gravida, sed frustra. Itaque cum subtristior domum regressa esset, cœpit suam infelicitatem, quod re tantopere expetita privaretur, deflere. Interea sentit in se ipsa excitari magnã aquæ cupiditatem, quam, dum explere cupit, nullum bibẽdi finem sibi visa est facere. Nã uno die ad lib. triginta aquæ hausit, quæ tamen ut hausta est, ita per urinam rursum excreta est. Hãc bibendi aviditatẽ usq; ad partus tẽpus retinuit. In puerperio vero ad librarum viginti mensurã bibendo progressa est. Tandẽ vero transactis à puerperio mẽsib. sex, cum jamdũ ad min⁹ libras quatuordecim singulis diebus hauriret, ad me venit, quid sibi acciderit narrans, ac consilium expetens. Vt

vero

vero magis ei fides haberetur, adduxit una secum notas quasdam fœminas, quæ ipsæ quoq; se rem ita habere cõstanter affirmarunt. D.D. Iacob. Oethæus lib. Obs. propr.

OBSERVATIO CXXXII.

Gravidarum Malacia aliquando noxia.

VIdi Vxorem Nicolai Domini Francisci de Barbarino, quæ in quadam sua prægnitie comedit circiter libras xx. piperis, & tamen non abortivit, sed post partum remansit ei fluxus menstruorum colericorum subtilium quo ad menses, ulcerata est ejus matrix, & mortua est. Nicol. Forent. serm. 5. Tract. 4. cap. 36.

Nos superioribus diebus mulierem utero gerentem curavimus, quæ ob cittam, id est, malaciam, quam patiebatur, frequenter glaciem comederat, ex quo intensissimam tussim incidit, & ventriculi dolorem, primamq; coctionem ægerrime conficiebat, quæ quidem in sanitatẽ restituta fuit, sed tardiuscule; hũcque ordinem servavit. primo à tussi liberata est, deinde à ventriculi dolore, denique à virtutis concoctricis imbecillitate: hoc autem fuit in spatio fere sex mensium à partu.

Brasavolus Com. ad aph. 24. lib. 5. Hipp.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXIII.

Gravidis malaciam nonnunquam post partum aliquandiu extendi, & durare.

MEmini ego in muliere quadam hoc malum in graviditate ortum, à partu etiam ultra annum durasse. nec scio quousque. Pallida erat, phlegmatica, macra, menses fere detinebantur. fluore albo infestabatur. Infans brevi interijt. Gesnerus hist. Animal. lib. 3. de Pica. G.

OBSERVATIO CXXXIV.

Gravida quadam assidue sedendo & nendo mira alui astrictione correpta est, ex qua tandem in sævissimos Colicos dolores incidit, quæ eidem fœtum, immaturum quidem, sed vivum extorserunt. A partu ingẽti ventris tumore adeo non subsidente, ut magis exanctus fuisse videretur: quæ paulo post vitam finijt. Aperto ejusdem corpore, Colon intestinum sua sede pulsum & gangrænosum, una cum vicinis musculis abdominis denigratum, & ad canthari amplitudinem facibus infarctum, deprehensum fuit, reliquis intesti-

intestinis undique flatibus admodum prodigiosè distentis.

FOemina quædam uterum ferens, per omne gestationis tempus, neque minus ultimo mense, totas dies indesinenter à summo mane in multam noctem acu nebat, perpetuo sedens, in sese quasi contracta & incurvata, prono capite, ut solent, acui intenta, in ventris tantam constipationem incidit, ita ut totis decem, quindecim, viginti etiam diebus ne semel quidem alvum deijceret, id quod illa parvi faciēs neglexit, pergens quousq; poterat, tum sedendo, tum nendo: donec præ incredibili ventris tumore & dolore, (quorum utrumque ex alvi fæcibus retentis cōtractum erat) sedere ulterius ac nere non posset. At quid fit? Decumbit misera, tormina ventris, ejusdemque tumor, indeq; orta anxietas crescunt indies, ac in tantum augentur, ut res in extremo periculo videretur esse omnibus, quotquot illam adibant; suppositorijs, clysteribus, ad alvum ciendam vel dolorem liniendum, proficiebatur; ne tantillum quidem: clyster enim qualiscunque vel quantuscunq; injiceretur, in recto nonnihil tantum hærebat (ut res tādem patuit) intestino, paulo post regressus, nihil prorsus fæcū secum educebat.

Partus

Partus insuper labor, durantibus his ventris terminibus illam occupat, accersitaq; obstetrice fœtus, etsi immaturior, vivus tamen editur sic recte. At etiamsi fœtus egressus esset, ne tantillum quidē detumuit venter, sed idem, ne dicam major, & tumor atque renitentia, & dolor permanebat, ut res aspectu etiam terribilis esset astantibus, existimantibus fore, ut jamjam præ nimia tensione rumperetur venter. Quid multa? Diem ægra suū obit, ipsamet rogans, ut sibi mortuæ aperiretur atque inspiceretur venter; factum: ibi vero colon intestinū, secto peritonæo, & sublato omēto, primum omnium è sede sua emotum sese oculis offerebat, totum gangrænosum, color ex cæruleo nigricans, qui color etiam per abdominis musculos & cutim, nimia extensione extenuata quidem illa, transparebat: ea vero intestinum illud apparebat magnitudine, distentum scilicet mero stercore, ut amplioris canthari, cui pueri etiam caput inseri posset, capacitatem referret. Reliqua vero intestina superiora omnia flatibus maxime turgebant supra modū. Hinc colon, ea parte qua in sinistro latere à rene descendit (urgentibus inde flatibus, intestina elevantibus, hinc vero stercoris copia, extensione intestini secundum crassitiem seu profunditatem, illud brevius reddente quasique contrahente illud

secundum longitudinem) è loco suo discesserat usque ad umbilici regionem, sub eo namque juxta ductum rectorum musculorum abdominis situm conspiciebatur, à ventriculo recta in medio descendens. Hinc absque dubio ipsius coli, inferius, qua parte recto intestino continuatur, contorsione facta, tota via fæcibus & flatibus exituris, clysteribus vero intraturis in universum præclusa est. Tanta vero ex perforato colo sordidissimarū fæcum illuvies effluebat, ac si jumentum aliquod mactasses. Atque hinc manifestum est, quid gravidis cōferat multa vita sedentaria, neglectaque alvi dejectio, maxime vero ad ultimum usque gestationis mensem producta. D.D. Francisc. Tidicæus, de suis mihi per D.D. Laurent. Scholzium communicatis obse rvationibus.

OBSER VATIO CXXXV.

De morbis acutis mulierum utero gerentium.

EVenit aliquādo, ut mulieres, dum vel utero gerunt, vel sunt in puerperio, diversis conflictentur morbis: qui, si vel neglecti, vel male curati fuerint, eas in perniciem ducunt. quare hos duos fœminarum status considerantes, primo agemus de morbis acutis mulierum

lierum prægnantium, secundo de his, qui in puerperio supervenire solent. quid enim in his agendum sit, & quomodo Medici hos curare debeant, non ita liquet, nec qui artem hanc communiter faciunt, locum istum explicasse videntur. Primam autem partem aggrediens dico, quod tria habemus præcipua remedia, quibus potissimum in morbis utimur acutis, scilicet rectam victus rationem, sectionem venæ, & pharmacum: quæ omnia considerandasunt an conveniant. & si conveniãt, quo modo in utero gerentibus administranda sint. Quo ad victum, nulli dubium, quod in morbis acutis victu tenui, immo aliquando tenuissimo uti debent ægrotantes, qui tamen in utero gerentibus non ita tutus est. Vnde Gal. lib. 5. Aph. Comment. Aph. 30. exponens sententiam Hippoc. dicentis, Mulierem utero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale esse, dicebat ex morbis acutis utero gerẽtibus, duplex imminere periculum; alterum ex magnitudine febris, quæ fœtum occidere potest; alterum ex tenui victu, qui morbis debetur acutis, cujus ratione ex alimenti defectu fœtum destruimus: quod alimentum, si, ut hunc servemus, nõ verebimur crassiorem exhibere, febres continuas victu intempestivo augentes, matrem occidemus.

quare hinc(quoniam & fœtum, & matrem simul,ut res prospere succedat, servare tenemur)duo habemus; unum quod ratione fœtus in his pro victu cibi aliquid adijcere, alterum autem, quod ratione acutiei morbi detrahere debemus. quibus duabus indicationibus,contrarijs existentibus, & utrisque neglectis mortem minantibus,hinc Medicus nõ tenuem,nec plenum,sed mediocrem imperet victum,ex quo nec fœtus decidere, nec morbus ingravescere poterit. nam ratione fœtus facile absumetur talis ratio victus, quæ nec morbo poterit esse gravis, cum manu tenere & fœtus, & matris vires tantum, non autem eas gravare possit. Vnde in morbis acutis uter o gerentium poterit Medicus ascẽdere ad jura tenuiorum pullorum, in quibus fercula parentur, vel ptisana dissolvatur; aliquando ad lutea ovorum recẽtium sorbilia, abstinendo tamen semper à vino,& carnibus, & omnibus his, quæ multum nutrire,& inde morbum augere possunt. hæc de genere victus. quo autem ad quantitatem, quantitas sit major,vel minor pro ratione majoris,vel minoris magnitudinis fœtus. Vnde major sit quantitas in ultimis mensibus; quoniam tunc fœtus grandior, uberiori indiget alimento: in medio autem tempore sit moderatus; in prin-

principio vero gestationis uteri sit minoris quantitatis, vel parum immutatus ab eo, quo utereturſi mulier nō concepisset. hæc de primo auxilio.

Secundum auxilium erat sectio venæ, quæ ex sententia Hippoc. libr. 4. Reg. acut. text. 19. in omnibus acutis morbis florente ætate, & constantibus viribus administranda est. quod idem comprobans Galenus millies affirmavit. Hanc sectionem venæ docet Hippoc. lib. 5. Aph. 31. in utero gerentibus abortum causare, & ideo cavenda erit, dum dicebat, (mulier utero gerens sanguine misso ex vena abortit, & magis, si fœtus sit major) quare dubitandum venit, an hoc secundo auxilio in mulieribus utero gerētibus, dum acuto morbo detinentur, uti conveniat; quoniam si nō secetur vena, morbus sęvior redditus patientem necabit: si autē secetur, incurret mulier abortum, qui est casus lethalis in acuto morbo. hæc difficultas ita explicanda venit. Mulier utero gerens, misso sanguine è vena, abortit; quia extracto sanguine subtrahitur alimentum fœtui. Vnde si fœtui hoc non subtrahatur ex sectione venæ, nec etiam abortum ex hoc incurrere debet. hoc fiet, si, dum fœtus est minor, sicuti est in primis mēsibus, tunc mittatur sanguis; cum enim his

temporibus fœtus plurimo non indigeat sanguine, pro sui nutrimento, si secetur vena non erit periculum quod fœtui alimentum subtrahatur, & eo magis, si mulier patiens fuerit plethorica. Vnde à primo mense usque ad quintum tuto venæ sectio administrari poterit. Circa autem ultimos menses, magis rem circumspiciat Medicus; quoniam cum fœtus major hisce diebꝰ factus sit, copiosioriq; hinc indigeat alimento, non ita tutum erit secare venam. Si autem mulier sanguine abundet, & copiosa admodum non fiat venæ sectio, tuto mitti potest sanguis; quoniam hinc sedabitur morbus, nec tantum alimẽtum fœtui subtrahetur, ut hinc mulier abortum incurrat. Si autem videatur aliter sensisse Hippocrates loco citato lib. 5. Aph. 31. clare docens sanguine misso mulierem utero gerentẽ abortum pati: Animadvertatur, quod longe aliter nos venam sacamus, ac faciebant antiqui. illi enim ad libras, nos ad uncias sanguinẽm mittimus. non minus enim quam ad Cotylam consueverãt utplurimum secare prima vice venam, cujus dimidiam quãtitatem postea in sequenti repetebant. Cotyla autem, ut habetur à Galen. in libr. de ponder. & mensur. habet vini uncias decem, mellis autem tredecim. cùm vero sanguis melle minus, vino autem magis ponde-

ponderet, Coryla habebit sanguinis fere uncias duodecim. Nos autem ad tantam quantitatem, etiam in robustis viris, ne dixerim in mulieribus, non ascendimus, nisi raro, & ubi plenitudo ingens existat, & urgentissimus sit casus. sed ad uncias tantum sanguinem mittimus. quam quantitatem in uteto gerentibus servantes nunquam viribus constantibus abortum causabimus. Immo ad præservandas mulieres ab abortu, quæ in hunc incurrũt ob multitudinem & copiam (quę in multis generari, & abundare, & per plures dies, dum non concipiunt, copiose menstruis temporibus expurgari solet) sanguinis fœtum suffocantis, & occidentis, nullum validius remedium excogitari potest, sectione venæ. qua testor ego me plurimas ab abortu, in quem frequenter inciderant, ex sola sanguinis missione, primis mensibus facta, præservasse. Non ita tamen censendum est de hac sanguinis missione, vel moderata, vel parca in utero gerentibus administranda, ut unquam non veniat etiam in usum, si copiose fiat; interdum enim in ultimo mense copiosa sanguinis missio facta non spernendum attulit juvamentum. Et ego aliquando hanc venæ sectionem copiose factam in ultimo mense, instante partus tempore, dum utero gerentes ardenti conflicta-

rentur febre, plurimoque abundarent sanguine, tentavi. & hinc remissionē febris, ac partus accelerationem sperans, utrumq; ex sanguinis missione consequutus, summa cum utilitate administravi, fœtumq; & matrem una periclitantem ex hoc solo remedio salvavi. quod remediū in aliquibus prætermissum, & à Medicis verba solum Hipp. & nō ipsam rem ponderantibus neglectū, fuit in causa ut conceptus sæpe una cum matre à plenitudine & fervore sanguinis suffocatus miserabiliter perierint. Quare commēdo in simili casu copiosam sanguinis missionem, in cæteris autē moderatam, & ad uncias factam, quam ad prēservationem ab abortu, ubi à plenitudine immineat, summopere probo. nec ista contra Hippocratis Galenique sententiam erunt, quia salutem ægrotantium, non vanas opiniones sectati sunt. & hæc de secundo auxilio.

Tertium auxilium erat pharmacū. quod an conveniat, & quando conveniat in utero gerentibus, clarissime docet Hipp. lib. 4. Aph. 1. & Gal. ibid. quo loco habetur, in his mulierib. nunquam convenire pharmacū, nisi materia turgente. nec turgente materia semper admittendum esse, sed solum à quarto mēse usq; ad septimum. Hunc aph. audivi nonnullos Medicos ad indicationē sectionis venæ transtulisse.

Sed

Sed longe alia est ratio sectionis venæ, & alia pharmaci. sectio n venæ suspecta est, quia per eam alimentũ fœtui subtrahitur. at pharmacũ nõ ratione subtractionis alimonię, sed quia in utero gerentibus maximã facit commotionẽ, unde diruptio ligamentorum, & abortus impendet, periculi plenũ est. Quod perpendens Hippocrates abstinebat à pharmaco primis & ultimis mensibus; in medio autem tempore nõ nisi turgente materia concedebat. hoc idẽ ponderans Galenus duo dicebat; alterũ, quod cum primis & ultimis mẽsibus facile ex validis motibus, in illis ex ligamentorũ mollitie, in his autem præ gravitate fœtus, dirumpãtur ligamẽta, ideo nec primis; nec ultimis mensibus unquã pharmacum admittendum esse, in medio autẽ tempore, quo firmiorem habent conceptus coalitum, unde tunc mulier potest fortiores sustinere motus sine fœtus offensione, nonnunquã administrandum fore. alterũ erat, quod in intermedio hoc tempore nõ indiscriminatim conveniat pharmacum, sed solũ quando materia turget. ratio est, quoniam in materia turgẽte exhibito pharmaco, nec magna fit in corpore commotio; quia humores turgẽtes sponte facile hinc inde defluunt, naturaq; motum adjuvante facilime leni pharmaco educũtur. cujus merito dicebat Galen⁹.

Cum natura ad hos expellendos humores incitatur, non vehementi pharmaco, sed aliquo manum porrigente, & hunc humorum motum ad alvum deducente solum indigere, cujus ratione satis liquet minorem ex materiæ turgentis, quam fixæ purgatione in corpore commotionem fieri, & ideo nec hinc utero gerentibus discrimen abortus in intermedio tempore præcipue cum in his mensibus fœtus externis causis, tum quia coalitum firmiorem habent, tum quia gravitatem non ponderant, non ita facile cedũt, imminere potest. & ideo summa cum ratione ab Hippoc. statutum est, à quarto mense usque ad septimum, si materia turgeat, has medicandas esse. Quam Hippoc. sententiam Galen. lib. 1. Epidem. Sect. 3. Comment. 29. amplificat etiam usq; ad tertiũ mensem, hæc verba habens. (Iam illud quoq; meminisse par est, fœtum trimestrem, & quadrimestrem, præter cæteros injurijs resistere.) His igitur omnibus prædictis mensibus poterit medicus, materia turgente pharmacum administrare. at quæ erunt pharmaca hæc? nõ profecto electiva illa & vehementiora medicamentã; tum quoniam hęc maximam in corpore commotionem faciũt, tum etiam, quoniam in materia turgente ista non conveniũt. quæ materia turgens manũ porrigente pharmaco

maco & ideo leni tantum indiget. tale erit syrupus rosatus solutivus, Manna, Cassia fistula, Rhabarbarum, & hujuscemodi lenia, & benedicta pharmaca, quibus urgente necessitate parum quid vel diaphæniconis, vel electuarij de succo rosarū addere poterit Medicus, nunquam tamen ista transcendens. At his eisdem medicamentis ausi sunt nonnulli uti etiam in utero gerentibus, non turgente, sed firmata materia, confisi benignitate eorundem medicamentorum, ac opinantes ideo pharmaca in infirmata materia Hippoc. & Galen. suspecta fuisse; quoniam ætas illa tali genere medicamentorum caruerit. Sed animadvertant hi ex Galeno, quod talia medicamenta sunt ea, quæ administranda ipse docet turgente tantum, & non firmata materia, quam firmatam nullo pacto movere pharmaco præcipit. Vnde cum vehementiora pharmaca nullo conveniant tempore gestationis uteri, & lenia tantū conveniant turgēte materia, nec etiam ista unquā convenient; ubi materia non turgeat, sed firmata sit. hæc enim medicamenta, quę turgente materia, quoniam commotionem & agitationem eadem turgente in corpore non faciunt, conceduntur, si firmata fuerit materia, cum ad motum, naturam adjuvantem & incitatam non habeant, materiaque de se sit segnis

nis,ut ex immobilitate apparet,magnam erũt apta inducere commotionem.valdeq; agitare poterũt utero gerentes,& fœtus,cujus validi, & importuni motus ratione disrumpi facile ligamenta,& abortus subsequi poterit. quare semper in tali casu hæc eadem medicamenta valde suspecta erunt,& ideo nunquã in usum recipienda sunt,nisi materia turgeat. Quod si interdum proficue,nulloque subsequente incõmodo, hæc à quibusdam Medicis administrata fuerint, ut in nonnullis contigisse vidi, hoc robori mulierum, & fœtus firmitudini, quorum ratione vidi etiam tolerata medicamenta abortiva in alijs, quæ sponte abortum procurabant,non rationi, quæ in hoc nusquã est,adscribant,regulamq; ex his, quæ præter rationẽ & artem fiunt,nõ condant. At dices, quid igitur excluso pharmaco agendum erit? alia habemus ingenia,quibus possumus superare morbos,sicutivictus rectã rationem,prę-parantia humores,concoquentia,clysteria lenia,ea, quę possũt materias ad vias ductuũ deducere,& alia similia,quæ tentãda sunt relicto pharmaco, & hoc præcipue in febribus ipsis. cujus pharmaci ne meminit quidem Galenus in lib.Methodi, in quibus perfectissimã omnium febrium curationẽ & curandi methodũ docuit,innuens non summã curationis febriũ in solo

in solo consistere pharmaco. Sed contra hanc sententiã videtur esse Galeni locus lib. 5. Aph. in com. Aph. 55. ubi reddens rationẽ, quare utero gerentes febre detentę vel abortiunt, vel cum periculo pariunt, inquit, quod hæ mulieres aliquando corripiuntur febribus adeo vehemẽtibus, ut ex necessitate abortiant. aliquãdo aũt corripiuntur quidem febrib. nõ vehementibus, sed mediocribus, in quib. cum à Medicis nõ sufficienter purgentur, utpote qui valida medicamẽta exhibere mulieri gravidæ nõ possint, aliquid supersest reliquiarum humorũ vitiosorum in corpore, ex quibus postea frequenter fiunt recidivæ, & diu laborant, unde tandẽ vel abortiunt, vel difficulter pariunt. Ex quibus verbis patere videtur, Galenum concedere purgantia medicamenta in utero gerentibus, etiam in quibus materia non turgeat. ubi enim febres sunt mediocres, non turget materia, cum turgere, ut ubique habet Hippocrat. sit proprium acuti morbi, in quo non mediocres, sed vehementes fiunt febres: & si valde purgantia medicamenta non concedit, innuit tamen lenia exhiberi posse, dum habet hæc verba (sed cum non purgentur sufficienter, aliquid supersest reliquiarum in corpore vitiosorum humorum) quibus paulo post subdit (non potentibus medicis mulieri gravidæ aliquod validum auxilium,

adhibere) & ideo purgationem, licet non à valido pharmaco factam, concedit. quare ad mentem Galeni lenientia, & benedicta pharmaca convenire videbuntur. At res longe aliter se habet; quoniã Galenus clarissime pharmacum excludit per ea verba, dum habet mulieri gravidæ nullum validum auxilium adhiberi posse, validum enim auxilium est pharmacia, ut ubique ipsemet docuit. cum autem inquit, quod mulieres utero gerentes, in febribus mediocribus non sufficienter purgantur, confirmat in his excludendum esse pharmacum. nõ purgantur enim sufficienter; quoniam in eis illa tantum purgatio adhiberi potest, quam docuit libro 2. Meth. cap. 9. in febribus putridis administrandam esse, ubi monuit expellenda esse ea quæ putruerunt, per urinas, & alvum, & sudorem, & quandoque per vomitum, si materia sua spõte eo impetũ capiat, ad quam intentionem ptisanam proponit, & aquam mulsam, & oximele, & apomele, & decoctum radicis apij: quod si venter sponte nihil reddat, aquam mulsam cum oleo injciendã per clystere jubet; talem purgationem, quæ imminuere materiam potest, in utero gerentibus administrare possumus: at eam, quæ eradicare materiam peccantẽ poreſt, ut quæ pharmaco electivo tentatur, non utique

utique debemus, cum in his valida præsidia adhibere nequeamus; & ideo jure dicebat Galenus, quod cum hæ sufficienter non expurgentur, quoniá integro pharmaco expurgari non possunt, supereſt in his aliquid vitiosorum humorum, cujus merito febres vel protrahuntur, vel recidivæ fiunt. Qua de re concludatur, pharmacum in utero gerente nunquam, nisi turgente materia, administrandum esse.

Qui priscam hanc medicorum antiquorum sententiam non animadverterunt, vel neglexerunt, non tantum ad expurgandas mulieres utero gerentes, sed etiam ad provocandũ abortum pharmacũ exhibere ausi sunt; Hi conspicientes mulierem gravidam pleuritide, peripneumonia, angina, febre ardẽti, & simili alio acuto detineri morbo, ajũt casum esse fere impossibilem curatu, quoniam ratione gestationis uteri mulier debita & opportuna his morbis non potest ferre remedia. unde necessarium est, ut vel mater vel fœtus pereat. judicãt autem, ut salvent matrem, fœtum excludendum, & abortum procurandum esse, ut mater à statu hoc naturali liberata tutius possit omne remedij genus admittere; & ideo ad hanc intentionem nonnulli ausi sunt exhibere pharmacum solvens; & alia abortiva medica-

medicamenta, dicentes, satius esse fœtum interfici, ut salvetur mater, quam eundem una cum matre periclitantē ex prætermisso pharmaco conservare velle, quod postea in utriusque perniciem cessurum esse affirmant. Hæc sententia nequaquam admittenda est, utpote quæ nec monumentis antiquorū, nec rationi consona sit. Hippocrates in jusjurando suo promittit, se nulli fœminæ, quo partū abigat, perdatve, medicamentum nunquam daturum esse, monetque in lib. de natura muliebri, ubi mulier conceperit & prægnans sit, si erysipelas in utero fiat, cum tamen eam perituram censeat, non utendum esse his cibis, ac potibus, à quibus fœtus corrumpatur. Galenus nunquam docuit abortum procurandnm esse, fœtusque ita semper curam habuit, perinde ac vivētis hominis, & in morbis acutis mulierum prægnantium monuit lethale esse abortum causari. Vnde lib. 5. Aph. comment. 30. explicans Hipp. sententiam dicentis, Mulierem utero gerentem capi ab aliquo morbo acuto, lethale esse, hujus rationem assignabat, imminentem abortum, qui ex duobus pendere potest, primo, ex magnitudine febris fœtū occidentis, secundo, ob tenuē victum in morbis acutis necessarium, qui observatus, ex alimenti defectu, conceptū destruit: quare cum lethale

lethale sit mulieri prægnanti capi morbo acuto ex parte fœtus, quia ejus imminet abortus, hinc clare liqueat in morbis gravibus nunquá abortum procurãdum esse. cum enim hic casus per se semper sit discrimine plenus, si in morbo graviori contingat, cum malum malo addatur, res in extremum vitæ periculum deducetur: quare nunquam nec pharmacum, nec abortivum medicamentum, ad hanc intentionem exhibeatur, sed semper incumbat Medicus conservationi fœtus, quantum in ejus potestate erit, omnia recte circumspiciens & mensurans, fœtusque & matris simul summam habens rationem, ne partu interfecto una & matrem interficiat, ut sæpe factum esse ab his medicis apparet. quod si oppositũ nonnunquam visum sit, ut superius dixi, hoc non rationi, sed robori mulierum, per quod errata medicorum tolerare potuerunt, adscribãt. & hæc de usu horum trium auxiliorum in mulieribus, dum utero gerentes morbo acuto laborant, administrandorum. Petrus Salius, cap. 22. de affect. Partic.

OBSERVATIO CXXXVI.

Gravida, acutis morbis correpta, servata.

Mulie-

MVlierem gravidam, morbo quopiam acuto corripi pernicioſum Hipp. Aphoriſ. Sectio 5. ad Aphoriſ. 31. teſtatur. θανάσιμον intelligimus lethale nō quod ſit neceſſe, mulierem correptam morbo acuto, interire: ſed quia magna ex parte. Hippocrates libr. de morb. mul. circa initia commemorat, morbos acutos, quibus mulieres gravidæ magna ex parte intereunt, cujuſmodi ſunt pleuritis, peripneumonia, eryſipelas uteri, angina, febris ardens, phrenitis, epilepſia, apoplexia, convulſio, tetanus, &c. Idque maxime, ſi hi morbi ſint magni, & vehementes. Multæ tamen ex his morbis evaſerunt, ut quædam mulier laborans febre ardenti, cujus meminit Hipp. lib. 1. Epid. Præterea multas videmus hodie ex noſtris convaleſcere: fortaſſe quia fortiores ſunt, quā tempore Hippocratis, vel quia noſtris auxilijs juvantut: ut phlebotomia, quæ, Hippocratis temporibus reprobabatur. Itaq; ſententia hæc non eſt univerſalis, quia magna pars noſtratium evadunt: & contra moriuntur multæ, præſentim ſi vehemēs fuerit morbus. Quod autem hic dicit in genere, particulatim explicat lib. 1. de Morb. Mulierum, circa initia. Hollerius Comm. ad Aph. 30. lib. 5. Hippocratis.

Nos profecto plurimas vidimus, multas quoque

quoque videre amici, vel pleuriti vel pulmonia, vel angina, aliove quopiam acuto morbo correptus non modo abortum perpessas non esse, sed evidentissimam utilitatem ex vena secta sensisse, non solum in medijs mensibus, in quibus Hippocrates fieri suadet, verumetiam in primis & ultimis.

Sic mulieri Alcmarianæ cui nomen Remula erat, annorum 24, cum sanguinea & robusta esset, anno 1549. mense Octobri, cum sevissima pleuritide laboraret in ultimo mense partus, hoc est, in principio noni mēsis sanguinem ad uncias quatuor ex basilica vena ejusdem lateris, detrahere jussimus, & convaluit. Forestus Scholio ad Observ. 27. lib. 2. de feb. quo plures consimiles hist. recenset.

OBSERVATIO CXXXVII.

Mulieres prægnantes nonnunquam Diarrhœas innoxie usq; ad tempus partus ferre.

HOc admonitū volo, ut ubi videris fluorem adsistendum inobedientē futurum, ne multum urgeas. Ferunt enim nonnunquam prægnantes ejusmodi Diarrhœas usque ad partum citra noxam, ut contigit in uxore fratris mei, quæ prægnans, per quatuor men-

ſes ſanguinolẽtas dejectiones, etiam cum rasura inteſtinorum, paſſa eſt, nec ullo medicamento ſiſti poterant, tandem excluſo fœtu ſano & incolumi, ſponte ſua intermiſerunt. Ioan. Neſius conſilio 32. lib. 2. per Laur. Scholzium publicat.

OBSERVATIO CXXXVIII.

De utero gerente muliere Dyſenteria laborante.

PRægnans mulier quũ geſtationis nonum menſem aggrederetur, dyſenteria lethali corripi cœpit, quę nullis pręſidijs domabatur. At quũ pareret, illico dyſenteria reſtricta eſt, & illa paulatim ſanitatem conſecuta fuit. Alteram novimus prægnantẽ ſex menſium, quę, quum dyſenteriam patiebatur, abortivit, & ſana facta eſt. Amat. Luſitanus Centur. 2. Curat. 41.

OBSERVATIO CXXXIX.

Gravida, febri continua & cum tertiana intermittente & periculoſiſſimis ſymtomatis correpta liberatur.

IPſe nuper excubui triginta fere noctibus, cum alijs duobus Medicis, ut morbi ſævitiã contunderem, quo conflictabatur. M. Comi-

tiſſ.

tiss. à Tor, quæ utero gerebat cum his symtomatibus, diarthœa biliosa, cum torminibus, & periculo dysenteriæ, dolor capitis, difficultas spirandi, cordis palpitatio, animi frequens exolutio, uteri præfocatio, anorexia. Quæ omnia casus erant febris continuæ, cui tertiana intermittens complicabatur, à quibus sanata est auxilio Dei Opt. Max. Hier. Montuus in Epistol. dedicat. ad Ludovicum Burgensem, Theoresi Medicæ Autoris præfixa.

OBSERVATIO CXL.

Mulier in septimo gestationis mense gravi pleuritide correpta, sine sanguinis missione, sudore & sputo copioso manante, sub vigesimum diem integre curata fuit, fœtu salvo.

Filia Trophimi Icardi viro nupta, uterum gestans, in septimo gestationis mense in pleuritidem gravem incidit cum oregmone, id est, stertente spiritu in aspera arteria inter respirandum percepto: difficilimaque spiratione comitante, cum febre acutissima, delirio, atque vigilijs. Sibi sanguinem mitti non passa est, ob imprægnationem & matris ac assidentium repugnantiam. Tandem in septimo naturæ vi ac ductu screare cœpit, re-

medijs tamẽ adjuta multis, eclegmatis, potionibus expectorantibus, foribus, syrupis, unguinibus. Remitti febris undecimo die incipit, procedit sputum coloratum, coctum, sine magna difficultate emissum vigesimo integre decrevit & liberata est, sudore copioso manante filiam postea peperit vitalem & incolumem suo tempore, nempe nono exacto mense. Vt videre sit Deum Opt. Max. quos vult sua misericordia servare eos prẽter spem omnem & hominum opinionem servari artis etiam curativæ neglectis canonibus: & servari interdum eos de quibus medicus desperaret, quod est à nostris proditum. Valleriola lib. 6. Observat. 6.

OBSERVATIO CXLI.

De pleuritide sinistri lateris gravi in muliere prægnante, sine ullis prope medicamentis, sed solo naturæ ductu infra quartam diem sanata.

MArgareta, uxor Bonẽfidei Bruneti Pharmacopæi Arelatensis, juvencula, optimo corporis habitu prædita, utero gravis in octavo gestationis mense cõstituta, pleuritide acuta in sinistro latere cum febri gravi, tussi molesta, & spirandi difficultate corripitur. Vno die miraculo curata, non misso sanguine, non-

cucur-

cucurbitulis adhibitis, ullave purgatione, duobus tantum illi præscriptis clysteribus emollientibus, sputo eodem die cruento plurimo & cum facilitate emanante : sudore interim copioso sub noctem secuto, postridie sana evasit, absque dolore, absq; febri, (quæ tamen vehementissima in ea erat) & absq; ullis symtomatis relictis, à morbo integre curata remansit: tantum natura in bene habito corpore & florenti ætate potest. Observatum A relatę anno M.D.LXI. sub finem mensis Aprilis. Valleriola lib. 4. Obs. 1.

OBSERVATIO CXLII.

Deplorata Angina in prægnante curata.

NOvimus mulierem, quæ annum trigesimum sextum agebat, in sexto mense prægnantem: ad quam anno 1562. in pago cui sylva nomen erat, prope Delphos, decumbentem ex gravissima angina, in qua musculi gutturis interiores & exteriores inflammati erãt, adeo ut pene suffocaretur, acciti fuimus cum jam secundus dies ageretur, quo fauces præoccluderentur ob insignem tumorem, qui in parte colli dextra durus hærebat, superius etiam fauces occupans, & intus tum guttur,

tum fauces simul comprehendens, cum febre continua & capitis insigni dolore vix spiritum trahens, gulamque præoccludens, ut neq; potum neque cibum, quantumvis mollissimum deglutire posset. Cum nocte præcedente alvum per se dejecisset & vena secta esset, quatuor uncijs sanguinis emissis, ne animi deliquium sequeretur in prægnante: deinde gargarismis aptis, prout tempus morbi suadebat, adhibitis; & inunctionibus in collo peractis, tum emplastris commode impositis, & cataplasmate convenienti collo admoto, & venis etiam sub lingua sectis, tertio die tumor, qui intus latebat, parum detumuit, ut deglutire potum potuerit. Rursus cataplasmate discutiente & parum emolliente, etiam adjuncto nido hirundinis, post meridiem spectavimus tumorem magis ad exteriora vergere. & cum iterum admoto emplastro conveniente, (cum melius transglutire posset) mannæ unciam unam semis, cum aquæ scabiosæ uncijs duabus, in nocte sumsisset, tum per alvum deposuit: & quarto die post alvi subductionem melius alimenta liquidiora sumere poterat. Et cum aliquo modo tussiret Syr. Viol. & liquiritiæ, adjecto zach. penid. lambebat; etiã cataplasmate adhibito, per resolutionem curata fuit in septimo; febre quoque eam relinquente, cum

ab

ab astantibus pro deplorata habita fuisset. Forestus lib. 15. Observat. 22.

OBSERVATIO CXLIII.

Gravidæ Hydropicæ.

Hippocrates 1. de morbis scribit quod si mulier in utero habeat, & fiat hydrops, corrumpitur fœtus. Vnde etiam in hydropico utero posse fieri conceptum, quotidiana etiam experientia probatur: mulierem videlicet non solum conceptum & hydropem simul habere in utero, sed etiam cum hydrope partum ad maturitatem perducere. Nam Hippoc lib. de Aëre, Aquis & locis dicit, apud Scythas mulieres sæpe decipi, quod existimãt se in utero habere fœtum, & hydropicæ sunt. Imo anno elapso Venetijs fuere Nobiles mulieres, quas Medici putarunt solum hydropicas esse, & tamen inventæ sunt, una cum aqua conceptũ habuisse. Mercurialis de Morb. Mulierum lib. 1. cap. 2.

Herbipoli Aulici cujusdam uxorem hydropicã aperui, præsente Cl. V. D. Ioanne Erasmo Flösslero Compatre & Collega tum meo Charissimo. Quæ per annos quindecim in cõjugio sterilis vixerat. Ea post triduũ enixa est infan-

tem mortuum flaccidum omnino, colore livido perfusum, & quantum conjectura assequi potuimus, vix quadrimestrem, quem procul dubio tempore morbi sui cõceperat. Paucis post diebus, ipsa quoque diem suum obijt. De hac Historia extat sequens Epigramma meum ad eundem Flösserum conscriptum.

Paucos ante dies stupefacti inspeximus ambo,
Quã longo afflixit tẽpore dirus hydrops.
Vidisti tumidum cui me pertũdere ventrẽ,
Et cujus tantum abdomine fluxit aquæ:.
Illa eadem, Flösser, hac nocte puerpera facta est,
Quæ sterili vixit hactenus in thalamo.
An non miraclis res annumeranda videtur,
Cui sit posteritas vix habitura fidem?
Quod prius in columi natura negaverat, illud
Oppressa morbo post tria lustra dedit.

De D.D. Ioannis Posthij Observationibus liberalissimi mihi communicatis.

Mulier Alcmariana, quæ in Platea Cæltunia dicta, ex hydrope decumbebat: hæc ipsa gravida ac simul hydrope laborans, postquam peperisset, quinq; deinde diebus à partu mortua

tua est, ventre æque distento permanēte. hinc suborta opinio eorum qui artis medicę ignari non sunt, qui dicerēt arborem in corpore adhuc permansisse, quæ multo ante increverat: alij vero, ut & obstetrix, secundum partū adhuc in corpore subesse, constanter pronunciabunt: aliæ vero mulierculæ molam esse suspicabantur: aderat etiam empiricus, qui veticulas hepati adhærere somniabat, ex quibus aqua in ventrem destillaverat. Ego vero cum sustinerem neque secundum partum esse, neque molam, sed ventrem distentum esse hydrope: & cum precibus quibusdā divitis matronæ, vir eo perductus est, ut in uxore mortua fieret incisio: quam cum admisissēt, efflu-xit è ventre tanta aquæ copia, ut octo congios Hollandicos pluresve vas cadaveri suppositum receperit. Erant autem interna viscera præsertim intestina fere omnia præter uterū ac renes corrupta & livida, neque alius fœtus in utero inventus est, neque mola reperta: peritonæum vero undique diruptum erat, ex aquæ mole, ut arbitror: omentum plane consumtū, ut ejus partes putridæ & disruptæ cernerentur. hepar vero in scirrhum erat mutatum, ac lienem quasi lapidosum cōspeximus. Sed arborem, (ut sycophantæ deliraverant) nullam invenire potuimus. Forestus lib. 2. de Incerto Vrinarum Iudicio.

Anna Iacobi Ribes, ruſtici in vico ſive oppidulo Hohenſteig appellati, ventris inferioris tumore inſigni ac pene incredibili totis ac integris fere ſeptem annis ſine ullo tamen domeſticorum officiorum ac rei familiaris ſuæ impedimento laborans: tandem eo ipſo anno, quo obijt mente capta, puerulum perelegantem ac perfectum, omnibusque corporis partibus efformatum, ac vitalem peperit, permanente nihilominus illo inſigni ventris tumore. Magna fuit inter medicos quorum opem implorabat, diſſenſio, alijs molam, alijs hydropem, alijs vero aliud quidpiam à natura prorſus alienum, utero geſtari, judicãtibus. Eo ipſo autem anno, quo obijt diebus circiter quatuordecim ante obitũ, mente priſtinæ reſtituta, tandem interijt relicto poſt ſe puerulo, quem paulo ante, quemadmodum diximus, peperit. Nomen infanti à Thobia Rencero paſtore illius datũ fuit Benjamin: eo quod mater prægnans ignoraverit, utrum infantem, an vero quidpiam aliud utero geſtaret. Aperto à me ipſo ex conſilio magiſtratus, poſt obitum, ipſius ventre, tantam copiam aquæ putridiſſimæ ac fœtidæ in ipſa capacitate abdominis inveni, ut integras duas omas noſtratis menſuræ, facile adæquaæ ſi non ſuperare potuiſſet. Conſideratis

itaque

itaque summo cum studio ac diligentia interni corporis visceribus, nihil aliud observare potui, quam hepatis gibbam partem, livido plane & nigro quodam colore infectam. Lienis viscus, per medium dissectum, grumosi ac putrefacti sanguinis instar comparuit: solidiore ipsius substantia quasi colliquefacta. Cum enim ipsum leviter & molliter quidem cultro tractarem, adeo totus diffluxit, ac si solummodo congelatus sanguis fuisset, & nisi membranula ipsum circumcingens illæsa ac integra permansisset, proculdubio totus per se ipsum defluxisset. Agatha, hujus ægræ mater, fere simili tumore ventris quodam tempore quoque laborans cum æstate cerasis ad nauseam usque vesceretur, tantam subito copiam aquarum per alvum dejecit, ut ea ipsa die tota illa ingens ventris moles, interea evanuerit, pristinæ itaque valetudini restituta: ista hanc ipsam, si recte memini, Annam postmodum peperit. De observationib. Cl.V.D.D.Melchioris Sebitzij mihi cõmunicaris.

Nos quoque vicini nostri Ioannis Demleri vestiarij uxorem gravidam simul & hydropicã vidimus. Quę fœtũ non tantũ ad justũ tempus pertulit, verũ etiam eundẽ quoq; vitalẽ enixa est: magna vi aquę una cum fœtu, & puerperij purga-

purgamentis,inter enitendum,,profusa: ventre æque distento permanente. Pullus bimestris vita excessit,quem mater paulo post subsecuta est. Schenckius.

OBSERVATIO CXLIV.

Embryo hydropicus.

EMbryonis masculi quatuor vel quinque mensium hydropici,cujus totius corporis cutis & capitis quoque pilosa,aqua subtercutem tumebat,cum interiora examinarem: urachum non ad umbilicum pertinere eumq; pervadere, sed in cavam venam sub renibus desinere,eamque universam sero.o sanguine refertum esse deprehendi. D.D.Felix Platerus de suis ad me transmissis observationibus.

OBSERVATIO CXLV.

Gravidis nonnullis insignis narium hæmorrhagia innoxia.

SAvanarola multæ experientiæ medicus olim observavit Neptem Domini Prosdocimi de Comitibus, prægnantem, à qua exiverunt in duodecim diebus libræ ultra sedecim per nares, fœtusque sanus exivit,mulierque à morbo evasit,vixitque puer.Her.Augen.lib.5. Epist. 1.cap.6.

Scribit Fernelius extitisse acute febricitantem

tem gravidam, cui die septimo tanta copia è naribus sanguinis promanarat, ut pelvim impleret, & quaretque libras paulo minus quatuor, superstite matre servatoque fœtu in maturum pariendi tempus vegeto ac vivido. Iodocus Lommius sect. 1. de Curand. Febrib. contin.

OBSERVATIO CXLVI.

De pragnantis Baronissæ N. N. infirmitate ex immodico fluxu mensium, eoq; continuo ad quinq; septimanas, curata à Iacobo Horstio.

CVm vocationem ad Medicum Provincialem ordinarium Archiducatus Austriç superioris, vix ingressus essem, Baronissa heroica & illustris, quã honoris causa nominare nolo, ex Vngaria superiori & Sepusio cum marito Barone iter sat longinquum curru per alpes & montes facit, mensium profluvium satis magnum continuo sentit, ventrem quoq; subinde tumescentem, & imbecillitatem tantam, ut lecto decumberet. Etsi antea mensibus cessantibus sese gravidam putaret: tamen, fluentibus mensibus ultra quinque septimanas, ab hac sententia discedit, & Viennæ duobus Medicis doctiss. sane & expertiss. ac insuper etiam tertio Italo Lyncio evocato utitur,

tur, qui vel uteri hydropem, vel universalem totius corporis statuunt, omnem diligentiam adhibent in curanda ea. Sed & ventris tumore crescēte, & imbecillitate aucta, sese deportari in arcem suam distanti duobus miliaribus à Cremsa, mea utitur opera & consilio. Ego re diligentius considerata, præsertim cum nihil nisi venter & mamillæ tumescerent, ac mane magis quam alias vomeret, prægnantem esse constanter moneo, nec mihi tantum profluvium mensium obstare in ea, quæ erat & sanguinea, & plethorica, videbatur, qui id quod res erat ex motu nimio apertas venas mensiū in cervicem tendentibus esse statuebam, infirmitatem autem merito accidere majorem, quia sanguinis nimium excretum, & hepar viresque naturales debilitatę adeo essent, ut appetitu omni destitueretur, & præ inopia caloris nativi pituitam, quā sæpius vomebat, collegisset, consilium meum addo, ut veluti prægnantes curetur, & præservaretur, ne hydropica prægnans simul foret. Vsa est meis medicamētis, triduum adhibui intus corroborantia, Morsulas nulli prægnanti noxias quæ cor & ventriculum & hepar corroborarent, præsertim cum nimio defluxu esset refrigerata nimis. ℞. marg. præp. corall. præp. alb. an. scrupul. ſ. zinzib. drach. j. ſ. cinam. drach. ij. caryophill.

phill.macis, nucis moſch. an. ſcrup.ij. cardamomi utriuſq; an.ſcrup.j. ſacch. lib.i. cum aq. roſ.& cinam. diſſoluti;&fiant morſulę aromatibus groſſis manentib.Externis cum malvatico,pane,& pulvere,qui ℞. Menthæ drach.ij. cariophill.ſcrup.iiij.nucis moſch. drach.j. roſ. rub.drach.j.ſ.miſce &f.pulvis.Emplaſtrū ventriculo adhibui,quarta die leniter purgavi hac potione.℞.rad.liquirit.cichorei an.drach.j.polipod.drach.iij.ſ.aniſi. drach.j. ſ.melonum excort. drach.j. herb. agrimoniæ M.j. acetoſæ, endiviæ an. M.ſ. flor. borrag. roſ. rub. an.p.ij. fol.ſennæ ſelect drach.vj.maſtich.in petia ligati drach.j. paſſul. majorum enucl. unc.j. Coquantur in ſ.q.aquæ,& vini,poſt colentur unciæ vij.& in colatura infundantur rhabarbari electi ſcrup.ij. cinamomi ſcrup.ſ. agarici trochiſc.in petia ligati drach.j.mane colētur ſine expreſſione unc.iij. & adde mannæ unc.ſ.ſyr. de ſucco granator.unc.j.Miſce & f.potio.Purgatio bene ſucceſſit, ſine torminibus venter quinquies ſolvitur,quinta die ad uſum morſulārū & emplaſtri redit,& ſic deinceps. Redeo domum.Revocor poſt 7.dies iterum, dicit in præſentia mariti, meliuſcule habeo, iterum cum appetitu edo, ambulo firmius, & mihi ambulationem de conclavi in alterum oſtendit,ſed addit,tumor ventris creſcit. Non hic

eſt

est hydropis, sed gerētis utero. Concludo ipsi postea nihil nisi morsulis utendum, quas à me quater repetijt, & quinque mensibus post circiter peperit filiam sanam ipsa sana. De Cl. V.D.D. Iac. Horstij Exemplis raris, per D.D. Laur. Scholzium ad me datis.

OBSERVATIO CXLVII.

Menses fluere nonnullis gravidis aliquandiu, vel etiam toto uteri gestationis tempore, idq; citra offensam matris & fœtus.

PLurimis nutricibus etiam ordinatas purgationes fluxisse vidimus, & multis utero gerentibus: ambabus tamen multi sanguinis & natura, & ex victu pleniore. Quid, quod mihi visæ quæ ad justum tempus fœtum non ferebant, nisi præter has purgationes, vena quoque cubiti secta, sanguinem minuerent, à cujus copia animo linqui, & suffocari se pronunciarent? Absurdum igitur nihi est à conceptu, menstrua effluere. (Nam etiā post conceptum aliquandiu prodeūt, quanquam parce nec semper) sed morbidum id est, quamobrem paucis & raro accidit. Sylvius comment. de Mensibus mulier.

Quidam dicunt, quod ab experientia videmus, mulieres & usq; ad quinque & sex menses

ſes purgari (gravidas) & nõ offenduntur pueri (hoc eſt, fœtus in utero) ad hæc dicimus quod purgantur quidem, ſi contingat ipſas humoribus plenas eſſe, & non offendũntur, quoniã parum purgantur. Braſſavolus comment. ad Aphoriſ. 60. lib. 5. Aphoriſ. Hipp.

Nonnullis gravidis etiam toto geſtationis tempore fluunt menſes, ex venis ſcilicet, quæ in collo uteri ſunt. Ab anterioribus enim quæ deſinunt in uteri capacitatem ſecundinę pendẽt, ut nihil per eas reijciatur, vel auctore Galeno. Ioubert. Comment. ad cap. 3. lib. 2. Gal. de nat. facult.

Complures novi quibus utero gerentibus ſingulis menſibus menſes profluebant, quod ob magnam ſanguinis copiam in illis mulieribus evenire certum eſt. Columbus libr. 12. Anatom.

Prægnantibus aliquibus ſingulis menſibus prodite purgationes, ſed paucas, animadvertere licet, ſed eaſdem paucas, quia ex ſolo collo uteri. Cardanus de cauſ. ſig. ac loc. Morb.

Ego ſane multas in hanc uſque diem cognovi fœtus validos emittentes, quæ ſingulis menſibus ex utero purgamenta emittebant. Horat. Augenius lib. 5. Epiſt. 1. cap. 10.

OBSERVATIO CXLVIII.

Menſtrua purgatio in gravidis quibus modis fiat.

NOn ignoramus veram purgationē menſtruam in gravidis fieri poſſe, ſed diverſo modo eoque duplici. Vno, primo menſe per uteri capacitatem, quia adhuc os illius non ita conſtrictum eſt, cum etiam fiat ſuperfœtatio. Altero, per alterum ramum ſpermaticæ juxta hæderiformem, quæ ad latera uteri deſcendit & hypogaſtriæ occurrit.

Sed unicuique liberum ſit vocare ut libuerit: curationem tamen eandem non habere perſpicuum eſt. Curatur enim fluxus hujuſmodi eadem ratione, qua hæmorrhoides, preſertim quod attinet venæ ſectionem. Nam retentis menſtruis vena cruris ſecatur, hæmorrhoidibus ſuppreſſis interdum vena cubiti. Quod hic quoque obſervādum eſt; Proinde hi affectus diſtinctione opus habent: λόχια quoque diſtinguenda, tum quod edito fœtu tantum prodeant, tum quod comprehendant quicquid poſt fœtum & ſecundas exit à puerperio. Scholiograph. ad cap. 58. lib. 1. de Morb. Intern. Hollerij.

Locus per quem ſanguis menſtruus excer-

nitur

nitur uterus est, ad ipsum enim perveniunt venæ magnæ & arteriæ ex vasis, quæ sunt juxta os sacrum. Ex quibus quædam inseruntur in uterum, per quarum orificia in ejus cavitatem patentia (cotylidonas Græci, & Latini acetabula appellant, quibus venæ & arteriæ umbilicales dictę adhęrescunt) sanguis excerni solet in virginibus & mulieribus quæ non conceperunt. Quædam vero in collum uteri & pudẽdum disseminantur per quas, tempore conceptus, solet fieri in aliquibus gravidis menstrua evacuatio. Nõ ab interioribus quæ sunt in cavitate uteri, quia ab his secundæ pẽdent, & ideo nil possunt in uteri sinum immittere, ut autor est Galenus lib. 5. aphorismor comment. 60. Ex his intelligemus, an, quæ Iacotius in suo Scholio scribit, vera sint: duo enim persuadere conatur. Primum est, in gravidis fluere aliquando sanguinem menstruum non per collum uteri, sed per ejus cavitatem: in primo tamen mense, in quo os uteri multum non est constrictum, ut ostendit superfœtatio, quæ eo tempore fieri solet. Secundum est, evacuationem sanguinis factam per venas, quæ sunt in collo uteri, non esse menstruam, sed hæmorrhoidalem, quia sanguis ille crassus est, & venæ sunt

juxta anum, & habēt orificia in cavitatem patentia. Ex curatione hoc ipsum probat, quia si hæc evacuatio per uteri collum facta supprimatur, curatur sanguine misso non ex pede, ut in suppressis mensibus: sed ex brachio, ea ratione, qua in hæmorrhoidibus suppressis facere solemus. Hæc Iacotius, qui maxime & crasse decipitur. Primo, quia si orificia venarum in cavitatem uteri patentia, tempore conceptus, adhærent orificijs vasorum quæ per chorion disseminantur, nō poterit, ut recte docuit Galenus, sanguis per illas in cavitatem uteri excerni. Neque id recte ex superfœtatione probat, quia hæc non solum in primo mense, sed & in quarto & quinto contingit: ut enim multa taceam exempla; Vxor cujusdam doctoris, qui hic Valentiæ Regiæ cancellariæ præsidebat, Gallart appellati, post quatuor menses ab obitu viri filium peperit, & deinde nono mense alterum. Neque enim causa superfœtationis consistit in eo quod orificium uteri sit apertum aliquantulum (ut simul etiam voluit Valesius li. 5. epid. comm. 11.) quæ semper evenit orificio ita clauso, ut ne specilli cuspidem admittat: sed in uteri attractione, quæ tunc contingit, quia dilatatur in coitu à fricatione & calore orificium uteri, & ita semen attractum potest uteri cavitatem subire.

subire. Altera Iacotij sententia manifestam habet redargutionem; quia si sanguis per collum uteri evacuatus semper ex vena cava fluit, & evacuatur non per venas in ani cavitatem patētes, quomodo erit hæmorrhoidalis? Præsertim cum non sit sanguis crassus (ut ipse sentit) sed optimus, venas quātitate gravans. Ratio ex curatione desumta nil concludit; quia si supprimatur illa evacuatio, quæ in gravidis per collum uteri contingit, si lædit, non movemus eam, secantes venam pedis, ne multo sanguine evacuato, qui inferne habet impetum, fœtus moriatur, sed ex brachio ut evacuemus redundantiam. Michael Ioan. Paschalius Scholio ad cap. 55. libr. 1. de Curand. Morb. Pet. Paul. Peredæ.

OBSERVATIO CXLIX.

Gravidis plethoricis ad præcavendum aborsum, ne fœtus sanguine suffocetur, venæ sectionem profuisse, imo sæpe necessariam esse.

REcordor, quod dum Anximi, omnium totius Picem civitatis antiquissimæ, medicinam facerem, Nobilem quandam mulierem singulis annis aborsum in tertio mense

fuisse perpessam: Alteram etiam novi, quæ parum supergressa quartum, mortuum puerum singulis annis emittebat. Dum pro meo munere investigare causas conor: invenio aliam non adesse causam, quam plenitudinē sanguinis puerum suffocantem: in quam sane opinionem veni, quoniam ex causis, aborsum facientibus, nulla quidem aderat, multitudine demta, cujus manifestum apparebat indicium ex plethorico illius habitu, & victus ratione cusarca. Itaque constitui primis mensibus copiam sanguinis, vena secta in gibbero, diminuere, atq; etiam iterationem adhibere. Reclamabat Anxymanus Medicus, hunc ego parvi pendens, statuta deliberatione, accedo ad auxilium. Mirum est dictu, quanta fuerit felicitate excogitatum: nam quæ ante nostrum adventum quater abortivit, nunquam postea id perpessa est periculum, & adhuc vivit cum sobole numerosa. Hoc igitur auxilium præsente necessitate non est prætermittendum. Horat. Augenius lib. 5. Epist. 1. cap. 7.

Quemadmodum sanguinis inopia potest fœtum citra controversiam perdere, sic arbitror copiam repente irruentem suffocare. Neque multum est infrequens casus, ut aliquis fortasse putaret, quando possum testari me, in hanc usque ætatem, observasse

quatuor

quatuor hoc periculum subijsse. Idem citato loco.

Anno superiori Illustrissimæ Principi Ebutensi Dominæ Annæ à Mendoza, octavo gestationis mense, bis sanguinem misi, & anno præsenti octavo quoque gestationis mense ad decem unciarum quantitatem, cum magno ejus, & fœtus commodo, sanguinem detraxi. Non tamen vult Hippoc. esse exercendam sanguinis missionem in utero gerentibus, nisi magno urgente usu, præsertim ubi fœtus est major. Christoph. à Vega comment. ad lib. 5. Aphoris. 31.

Diligenter considerandum est, plurimas inveniri mulieres, in quibus sanguis tantũ superabundat, ut tempore etiam quo gravidæ sint menses ab eis prodeant, absque aliquo embrionis (fœtus) nocumento. imo vidi aliquas quæ ex nimia sanguinis abundantia fœtum suffocabant, & eis phlebotomatis servatus est fœtus. Et ego olim duas curavi mulieres prægnantes, in altera quarum suffocati fuerant quatuor filij in octavo mense, in altera vero duo in sexto, quibus, dum interim gravidæ essent, jussi secari venam basilicam dextri brachij in 5. mense, & copiose sanguinem educi, & in ambabus servatus est fœtus, non solum semel, sed etiam pluries,

pluries, cum gravidæ factæ fuerunt, & incisa itidem in eis vena. Hieron. Accoronbon. Eugubius circa finem part. 1. tractat. de nat. & usu Lactis.

Phlebotomia parva in prægnante nõ est causa abortus: quinimo, ut sæpe experientia novi, in pluribus talem phlebotomiam feliciss. me succedere reperi, ut in magna sanguinis repletione, ex qua contigit aliquando mulierem aborsum incurrere, potissimum in principio, in quo non indiget embrio multa sanguinis quãtitate, in quo casu utiliter, imo necessario convenit phlebotomia ad prohibendum aborsum, ut in Illustri comitissa Argentina Vxore Illustris Comitis Guidonis de Rigonibus apparuit: cui in principio imprægnationis opus fuit, ad minuendum sanguinem & prohibendum aborsum, mittere sanguinem. Quod etiam manifeste apparuit in quampluribus mulieribus, temperatura sanguineis, in quibus contingit in primis mensibus menses fluere fœtu reservato. Ant. Maria Betta Com. ad 4. Fen. 1. Can. Avic. cap. 20.

OBSERVATIO CL.

Gravidis nonnullis, vel per errorem, vel certo consilio, etiam fortissima non tantum cathartica, sed & menses ducentia, sudorifica,

idq

idque genus alia medicamenta exhibita & administrata, nullo vel fœtus vel matris incommodo, imo aliquando magna cum utilitate.

VOlo dicere in hoc loco, quid mihi succeſſit cum eſſem in carceribus de Haly. Vxor mea erat prægnans, & hoc ignorabam, & ipſa infirmata fuit tali paſſione, quod neceſſe fuit mihi dare ei medicinam laxativam, quę fuit talis, quod nullus poſſet æſtimare quod aliqua prægnans, etiam ex aſſumtione modicæ quantitatis, fœtus in ea poſſet remanere: & poſtea declarata fuit imprægnatio ejus, & me pœnituit valde de errore quem feceram: quare miſericordiam quæſivi ab altiſſimo creatore de eodem. & peperit filium maſculum, quẽ hodie mecum habeo. Avenzoar Theiſir lib. 2. tract. 3. cap. 1.

Sartoris cujuſdam uxor, in urbe Serveſtenſi (nam pro tẽpore Serveſtę commorabar) ſerpigines in ſiniſtra manu diu habuit, quæ linimentis & unguentis adhibitis nonnunquã receſſerunt, ſed paulo poſt rurſus eruperunt. Tandem, neſcio quo unguento curatæ ſunt. Sed ex illo tempore fluxu albo laboravit, cujus malignitate & acrimonia loci muliebrse fuerunt exulcerati, & cum ingenti dolore, vi-

res labefactante:& somnum adimẽte,una pudendi ala(referente chirurgo)non modo corrupta,sed fere penitus absumta est, neq; dolor ille ullis medicamentis à chirurgo adhibitis potuit placari. Multis igitur precibus à marito,ut auxilium ferrẽ,rogatus, dico quod res est, aut matri una cum fœtu pereundum (uterum namq; gessit ,& fuit sextus post conceptionem mensis)aut fœtum , ut mater servetur,negligendum esse. Me tamẽ summa diligẽtia operam daturum,ut, si fieri possit,mater ita curetur, ne fœtus in utero detrimento afficiatur. In primis igitur prę̨scribo medicamenta leniter purgantia, quæ cum nihil prodessent,& malum indies augeretur, exhibeo inter alia etiam confectionem hamech , corpusque,necessitate sic postulante,probe purgo,quibus medicamentis sine aliquo incommodo usa est. Tandem decoctum Sarsæ parillæ,additis rad.garyophillatæ , glycirrhizæ,& passulis, propino, pro viribus sudare jubeo, singulis septimanis corpus convenientibus medicamentis purgo,& petias in potione sudorifera loco affecto applicare mando. Et cũ ulcera illa putrida consolidari nollent , coactus sum etiam adhibere fumum è cinnabrio, thure,& alijs. Atque ita tandẽ misera illa mulierecula, Deo medicamentis benedicente, sanita-

nitati restituta, post duos menses puerum bene carnosum enixa est, nec ullum incommodum à medicamentis vehemētioribus sensit.

Novi etiam mulierem nobilem, quæ nuper secundo post conceptionem mense, hausit medicamentum fortiter purgās, è quo triginta habuit sedes, ut etiam viribus postratis in animi deliquium incideret, & tamen fœtus non est expulsus.

Alia etiam nobilis Matrona, tertio post cōceptionem mense per quatriduum potiones fortiter purgantes, sine noxa ebibit. Hæc autem non ideo recito, quod author esse velim, ut mulieribus prægnantibus medicamēta fortiter purgantia dentur; sed tantum volo, si necessitas summa postulet, potius cum periculo miseris prægnantibus prudenter succurrendum, quam eas una cum fœtu negligendas esse, Deumque semper & matris & fœtus curam agere non dubitandum.

Fuit Virgo in hoc oppido, quæ de gravissimis doloribus ventris à mensium obstructione provenientibus, conquerebatur: cui initio lenia quædam medicamenta (nescio quid suspicans) propinavi. Confirmatus autē ab obstetrice (quæ eam nudā conspexerat & cōtrectaverat, ac ventrem ejus nonnunquā in magnū tumorem attolli, paulo post iterū tumorē evanc-

evaneſcere, mihi perſuadebat) præſcripſi ei medicamenta aperientia, flatus diſcutientia, & etiam fortiter purgantia, atque inter alia etiam pilulas de Sagapeno. Sed cum ſemper quereretur medicamenta eſſe imbecilliora, & fortiora expeteret: dolum ſubeſſe non dubitavi. Interea fama ſparſa eſt eam eſſe gravidã, & paulo poſt peperit Lepuſculum, nam parẽs ejus infantis, qui ſe ſubduxerat, vocabatur Lepus. CL. D.D Ioan. Francus Hildeſius Medicus Camenicenus, de ſuis nuper communicatis Obſervationibus.

Honeſtam matronam novimus, nondum quadraginta annos excedentem, quæ quinto marito nupta, ſterilis permanſerat; reſpondentibus nihilominus menſibus. At illis ipſis tandem tertium deſideratis, cum ventrem ob muliebrem purgationem detentam diſtendi putaret, nihil de conceptu ſollicita, utpote conclamatæ ſterilitatis perſuaſa, imminentes inde morbos præventura, validum omnino, nam clementioribus nihil profecerat, ad exigendos menſes, à medico depoſcit & impetrat medicamentum. Qui trochiſcos de myrrha, in catapotia conformatos, cum ſerapio de arthemiſia ſumẽda decernit. Quorum uſu adeo non fuit commota ſeu perturbata mulier, aut offenſa; ut de cætero, una cũ

fœtu

fœtu recte valens, partum ad justum tempus usque pertulerit: & tandem filium, qui vel hodie in vivis est, feliciter peperit. Schenckius.

DE PARTU

Et primum,

DE TEMPORE PRÆCOCE ABORTIVO.

OBSERVATIO CLI.

Abortuum aliquot descriptiones.

QVomodo genitură sex dierum viderim, narrabo. Mulier nobis familiaris fidicinam habebat elegantem, virorum consuetudine utentem, quam tamen ventre concipere non conveniebat: uti ne minori in præcio haberetur. Audierat autem psaltria illa mulieres narrantes, si mulier conceptura sit, genituram non egredi, sed intus manere. Quibus auditis & intellectis, hoc deinceps observavit: & quum quandoque sentiret genituram non exeuntem, dominæ exposuit, & sermo statim ad me pervenit. Ego vero quum id audivissem, jussi ut in terram desiliret. Quod cum

cum ſepties feciſſet, genitura in terram profluxit, cum ſonitur. Ill avidens, mirari cœpit. Nunc qualis fuerit ego referam. Velut ſi quis ovo crudo externam teſtam circumcirca adimat, & per internam pelliculam incluſus humor trãspareat, talis erat genitura illa, ut uno verbo dicam: rubra quinetiam & rotunda. In membrana vero fibræ quædam albæ ac craſſæ apparebant, cruore craſſo & rubro obvolutæ: eidemque membranæ foris cruenta inerant veſtigia: juxta medium vero tenue quid eminebat, quod mihi umbilicus eſſe, eoque primum tum expiraſſe videbatur: quin & membrana, genituram complectens, tota ex illo tendebatur. Talem ſane ego genituram ſex dierum exiſtentem vidi. Hipp. lib. de Natura Pueri.

Primum cum genitura in uteros pervenerit ſeptem diebus habet quæcunque corpus habere debet, quomodo id ſciam. Atq; multa talia ego vidi hac occaſione. Meretrices publicæ, quæ ſæpius hujus rei periculum fecerunt, ubi cum viris rem habuerint, ſciunt, quando in ventre conceperint, & mox conceptum intra ſe perimunt. Poſteaquam autẽ peremtus eſt, elabitur veluti caro. Hanc ſi in aquam conjectam accuratius inſpexeris, omnia

mnia membra habere comperies, & oculorū regiones, & aures, & brachia, & manuum digiti, & crura, & pedes, & pedum digiti, & pudendum, & reliquum totum corpus conſpicuum erit. Hipp. lib. de Ætate.

Pudendum non ita cito formari teſtatur Galenus, his verbis: neque enim, inquit, ſtatim ut ſemẽ in uterum conjectũ eſt, neq; diutiſſime poſt (quod ex anatomicis didiceris) alterutrum adhuc pudẽdum formatur. Ignorabiſque ſit ne mas an fœmina, quod conceptum eſt, poſtea vero tandem deprehenditur, ſitque conſpicuum, & cæt. ut merito dubites pluriumne, quam ſeptem dierum, eſſent ij ab ortus, quos Hippocrates hoc loco à meretricibus publicis enectos tum deinde ejectos fœtas ſeptimo ſe die vidiſſe teſtatur. Nam, quod ad me attinet, adduci nõ poſſum ut credam tã brevi tempore, intra dies dico ſeptẽ, genituram etiam in frigidam conjectam expreſſa quam voles leviter & obſcure ea oculis ſubijcere, quæ Hipp. hoc loco eam ipſam habere ſcribit. Ioannes Lalamantius Schol ad lib. Hipp. de Hominis ætate pag. 52.

Idem ſentit Marſilius Cognatus: de quo paulo poſt.

Effluxiones vocantur, quæ intra ſeptimum diem

diem corruptiones incidunt. Abortiones autem, quæ intra quadrageſimum. Et quidem plurimi fœtus intra tot numero dies depravátur. Mas qui quadrageſimo die exierit, ſi in quodvis aliud mittatur, diffunditur atq; aboletur: ſed ſi in aquam frigidam, cogitur conſiſtitque veluti in membranula, qua rupta, fœtus ipſe apparet magnitudine formicæ majuſculæ. & membra jam inde diſcreta, tum cętera omnia, tum genitalia conſtant: & oculi quemadmodum in cæteris animantibus prægrandes. Sed fœmina, quæ intra tertium menſem eruperit, indiſtincta eſt: quæ autem quartum adepta eſt menſem, finditur, & reliquam diſtinctionis effigiem brevi tempore accipit. Cum itaque fœtus in utero formatur, fœmina tardius quam mas perfectionem quarumque partium recipit, & ſæpius in decimum menſem, quam mas protrahitur. Sed cum in lucem prodierit, fœmina ocyus, quam mas accreſcit, & ętate floret, & ſenectute maceratur, & magis quæ pluries pariunt. Ariſtotel. lib. 7. cap. 3. de natura animal.

Sæpe obſervavimus die quadrageſimo ejectum fœtum, ſemidigiti, aut, ut ait Ariſtoteles, formicæ majuſculæ magnitudine vere ac prorſus conformatum, & cujus partes omnes, excepto jecore, albæ ac ſpermaticę cernebantur.

tur. Caput pars erat avellanæ, & majus quam pro reliqui corporis ratione: oculi ut cancris exerti: naſus, auriculæ, brachia, manus, crura, pedes, hiſque ſecreti digiti: penis conſpicuus, ſub quo ſcrotum milij magnitudine, ſuperiora autem inferioribus majora, nullo oſſium robore, ſed flexibilia quocunque ducerentur. Omnia contecta cute tenuiſſima & pellucida, per quam interiora cernebantur, alba quidem omnia, fibroſa, & ſeminis æmula, nullo carnis aut ſanguinis rubore perfuſa, unum tamē jecur rubrum inerat, amplum, & recens concreto ſanguini perſimile: in quod ex ſecundis per umbilicum venæ ferebantur ſanguine confertæ, fœtum poſthac nutriturę. Fernelius, lib. 7. cap. 10. Phyſiolog.

Vivimus prius vita plantæ, deinde braturū vita in utero matris, hoc peracto cerebrum generatur, ut nervi ab eo profecti ſenſum primo, deinde motum ad univerſum fœtum deferre poſſint. Interim enim alia fiunt mēbra, quæ delineata primo, deinde aucta, & robuſtiora reddita moventur. Sileant hic obſecro Ariſtotelici una cum principe peripateticorum Ariſtotele, qui (in hoc mire deceptus) cor primo gigni voluit, & ſi Deo placet, ſanguinis fontem eſſe, & ſenſuum omnium: qui niſi obſtinate Ariſtotelem tueri volent, qui-

escent veritate jubente, desinentque tam fal-
sa proferre, & mordicus tueri, fatebunturque
non cor, sed jecur primo fingi. Cerebrum ité
corde nobilius esse, non fateri non poterunt,
quippe quod ex ipso semine fiat. non ab ute-
ro, ut de corde audistis. Non equidem nega-
verim in ijs animalibus, quæ in ovis nascun-
tur, primum quod oritur esse cor ipsum. At
in homine jecur prius quam cor generatur:
quemadmodum mihi non semel, sed sæpius
intueri & animadvertere contigit. Inter ossa si
quæras quid primo generetur, vertebras re-
spondebo: Spinam scilicet, ut Aristoteles ele-
ganter scripsit, & vere. Hanc veritatem coro-
na illustrium virorum, & perexcellentium
magna cum voluptate vidit in Romano thea-
tro, cum Hieronymus Pontanus summus Phi-
losophus embryonem menstruum mihi pu-
blice dissecandum tradidisset, ob communē
Romanæ Academiæ utilitatem: reliquorum
autem membrorum quod primo fiat, quod
posterius, nondum mihi licuit observare: cū
abortuum non ea sit copia, quæ in tanta re
necessaria esset. Realdus Columbus. pag. 456.

Conspectus est mihi superioribus annis
Brugis civitate Flandrorum abortus gemel-
lorum trimestris, sexus masculini, qui, negata
re quapiam cui gravida avide inhiabat, excus-
sus

us est. Erat autem digitali aut paulo plus longitudine, pariq; crassitudine, membris omnibus exacte elaboratis, nec ulla sui parte mutilis, adeo ut se oculorum orbes nigricante pupillę puncto insigniti, nares, aures, digiti discreti, umbilicus, mentula, femora, suræ, tibiæ, tali, & quibus forma pedis distinguitur, digitorum articuli, perspicue se spectāda exhiberent. Cum autem infantium uterque palpitaret, atque indubitata certæque vitæ argumēta præberet, ad sacrum baptisma concursum est, quo peracto, nullum amplius vitæ indiciū præferebant. Lemnius lib. 4. cap. 25. occult. nat. mirac. edit. locuplet.

D. Barandus Medicus nostras longe doctiss. abortum mihi conspiciendum exhibuit. Erat ille pollicis humani tantum magnitudine, sed discreta in eo ita membra erant, ut caput, oculos, nares, aures, brachia, manus, digitos, colem deniq; ipsum sine aqua facile cernere esset, quadraginta dierum fœtum esse judicabam, sed pro certo junior esset, an senior, nec tum affirmare audebam, nec jam affirmare audeo. Ioan. Lalamantius Scholio. ad libell. Hipp. de hominis ætate.

De hoc abortu plura require supra sub Lemmate, Subitanei & improvisi terroris &c.

Hippocrates d enatura pueri inquit, masculi 30. diebus, femellæ 42. diebus primam coagmentationem & coarticulationem accipiunt, & utplurimum hoc tempore, aut paulo breviori, aut paulo longiore. Fernelius die 27. partes omnes disposítæ & conformatæ quodammodo apparent, sed perfecte in maribus die 30. in fæminis 36. Ita sese observasse dicit die 40. ejectum fœtum, semidigiti, aut, ut Aristor. inquit, formicæ majusculæ magnitudine vere ac prorsus conformatum, & cujus partes omnes albæ ac spermaticæ cernebantur.

Talem & ego Bononiæ in ædibus Doctoris Arantij vidi: porro Fernelius, caput par erat avellanæ, & majus quam pro reliqui corporis ratione: oculi ut cancris exerti: nasus, auriculæ, brachia, manus, crurá, pedesque secreti digiti: penis conspicuus, sub quo scrotum milij magnitudine, superiora inferioribus majora nullo ossium robore, sed flexibilia quacunque ducerentur. Hipp. inquit postquá articulatus fuerit puer speciebus membrorú augescentibus, tunc ossá duriora fiunt, & cavantur, atque hæc à spiritu fiunt.

Porro equidem in meis ædibus Bononiæ demonstravi abortum, qui digiti longitudiné habebat, hominisque integri figuram undequa-

quaque exprimebat, deprehendi conſpicue admodũ oſſa bregmatis, oſſa ſyncipitis & occipitis pro temporis ratione admodum mollia. Oſſa bregmatis valde à ſe mutuo dehiſcebant. Omnes artus erant ſuis figuris expreſſi, ſic & penis, auriũ, manuum pedumque digiti. In abortu recentiori vidi primo ſpinæ dorſi obſcurum veſtigiũ à qua coſtarum parvæ delineationes prodibant. artus vero tanquam informes fibræ à trunco dependere viſi ſunt. caput pro ratione corporis, valde magnũ, eratq; ſublonga figura, ſimię capiti nõ diſſimile. Cæterus libello de fœtus hum. & infant. oſſibus.

In grandioribus, capitis, artuum, ſcapularũ, iliorum & ſacri oſſa in media ſecundum longitudinem regione, & non ab extremitatibus generationis, ſive ortus principium ducunt, inde vero utrinque verſus principiorũ extremitatumque fines, creſcendo prolongantur, dilatanturque donec ad juſtam magnitudinẽ longitudinemque pervenerint. Quædam oſſa non ab uno tantum loco, ſed à diverſis partibus inchoantur, ita ut ante eorum perfectionem in plurima diviſa appareant. hujus generis eſt os occipitis, ſyncipitis, os ilij, os ſacrum, vertebræ omnes: in primis prima & ſecunda colli vertebra, nõnulla oſſa ut pedij, calcis, tali, carpi & ſterni primo ligamentoſa, deinde

cartilaginosa informataq; ac nulla figura discreta existunt. Processus in principio nulli, nullæ appendices, fœtu crescente fiunt cartilaginosæ hæ extremitates ossium, magisque efformantur, deinde certo tempore post procreationem in ossa convertuntur. commutatio sive conversio hæc processuum appendicumque non incipit ab osse, cui connectuntur, sed à centro, ubi primo osseam & spongiosam acquirunt substantiam. hæc substantia crescendo augetur incrementumq; sumit ab interiori parte ad exteriorem, sive à centro ad circumferentiã, unde contingit, quod ob cartilaginem, qua undequaque tecta ac involuta sunt, difficulter cernantur: eodem modo etiam negotium in ossibus carpi & pedum sese habet. Notandum quod omnes Appendices per synchondrosin ossibus in adultis conglutinatæ primo cartilagines fuerunt. Idem loco citato.

Olim occurrit nobis, ut fœminæ abortum videremus, quæ jam octo vel decem dies se concepisse opinabatur, in quo nulla erat mẽbrorum species, neque carnis: sed erat folliculus ex alba membrana, in qua liquor albus inerat instar liquoris albi quem ovum continet, in cujus medio carneum quid ex tenui fi-

lo

lo quodam pendebat, quod nobis videbatur esse fœtus informe rudimentũ ex umbilico pendens, quæ res cum ad memoriam ea nobis reduceret, quę libro primo de natura pueri ab Hippocrate scribuntur, verisimilẽ magis hanc narrationem esse persuasit, quam illam, quæ libro de carnibus habetur. Huc accedit, quod libro de octimestri partu traditum est: post dies quadraginta membrorum discretionem fieri in maribus quidem valde conspicuam, in fœminis vero carnem apparere exortus ac processus solum habentem, ut omnino videatur non posse in genitura septẽ dierũ carnis speciem comparere, cum illa mẽbrorũ delineatione, quæ libro de carnibus explicatur. Marsil. Cognat. Variar. Observat. lib. 4. cap. 13. Idem sentit Lalamantius cujus sententiam circa initium hujus Lemmatis invenies.

Dissecui puerum sex fere mensium: In quo omnes partes videbantur discretæ: testiculi hærebant circa os sacrum, nondum descenderant in scrotum, vasa spermatica omnia manifeste apparebant, urethres magni, urachus manifestus, vesica in longitudinem protensa, renes ex pluribus partibus constantes magni, intestina plena ex-

na excremento nigro, inteſtinum cæcum longum, proportione. DD. Ioan. Bauhinus de diario Obſervat. ſuarum opere.

DE PARTV VITALI PRAECOCE ET SEROTINO.

OBSERVATIO CLII.

Quinto menſe nati Vitales.

NOvi Pincernam Chriſtianiſſimi Regis Henrici, qui méſe quinto natus erat: qui etiamnum vivit in ætate conſiſtentiæ. Fœtus ut fortior fuerit, & mater debilior, celerius perficitur. Montuus Anaſc. Morborum lib. 4. cap. 41.

Vxor M. Petri Sormani, venditoris Malvatici (ut ſic Creticum vinum appellare liceat) in via vexillorum Mediolani oſtendit mihi filiam nomine Claram, quam diebus CLXVIII. poſt abortum maſculi fœtus quadrimeſtris Venetijs peperit: & in puerperio lac apparuit. Ipſa autem Puella, exilis, pallida & macilenta eſt: annos agens XVIII. Cardanus Contradict. 8. Tract. 3. lib. 1.

Eufragia virgo Deo dicata, in æde B. Rodogõdæ, cum mater ejus abortiſſet puerũ v. nonas Iu-

nas Iulij: profecta vero ad conjugem X. calendas Augusti, ipsam Eufragiam peperit VII. Idus Ianuarij sequentis anni. quare CLXX. die nata est morbo perpetuo natalium jacturam attestante ne quis ad superfœtationem refugiat: quanquam nec hæc minus intempestivo partu miraculum afferat. Idem loco jam citato.

Comitissa etiam de Triultijs juvenculam retulit esse in domo Comitis Sancti Secundi, capite admodum parvo, insanamque, natam, ut palam fertur, quinto mense. Idem loco supra citato.

Haud absurdum videri debet, si quinquemestris partus vitalis editus sit apud Valentinos, fervētem sane plagam: sicut & apud Madriti incolas nonnullos observatum sentio: ex pudica matre, honestissimamque vivendi rationem nacta, natum esse quinquemestrem. Ferdinand. Mena Comment. ad cap. 4. de Septimest. partu Hipp.

Adeo minus certi quicquam est in his rebus, quam veteres putarunt, ut nostro seculo nata sit puella, hauddubie quinq; mestris, quæ adhuc vivit, plus quam duodecim jam annos nata, cujus gracilitas ac tenuitas major quam mulieribus esse consuevit, indicat certam esse de ejus ortu fidem, præterquam quod multis

domesticis, neque inevidentibus argumentis constitit. Franciscus Vallesius de Philosophia sacra cap.18.

OBSERVATIO CLIII.

Sexto mense nati vitales.

PVer sexto mense natus bene vixit. Avicenna lib 9.de Nat.Animal.cap.ultimo.

Mater Augustini Abduæ, patritij inclyti, narravit vidisse puerũ natum 6. mense Thosmæ Suighi, qui supervixit, cum primis diebus lac non sugeret sed immitteretur infundibulo: & tamen pervenit ad ætatem perfectam, cum nec digiti manuum, nec palpebræ essent separatæ dum natus est: hic puellus nepos erat mulieris famosæ de via lata, medicam artem exercentis. Cardanus Contradict.8.tract. 3.cap.1.

Claudius Giardinus scripsit librum de partu dierum 171.exc. Anconæ apud Astulphum de Grandis 1573. in 4.

OBSERVATIO CLIV.

Septimo mense nati vitales.

PVer septimo mense natus pro ratione natus est: & vivit, habetque rationem ac numerũ ad hebdomadas vere & exacte respondentem.

dentem. Mense autem octavo natus nullus unquam vixit. Novem vero mẽsium & decem dierum partus fit & vivit, & habet ad hebdomadas numerum exactum. Hippoc. lib. de Carnibus ad finem.

Cæterum inexpertus quispiam mirari queat quod septimestris puer nascatur. Ego quidem igitur hoc ipsum vidi, & quidem frequẽter. Si quis autem hæc deprehendere vult, facile est obstetrices adire, quæ parientibus adsunt, & ex his percunctari. Idem loco citato.

Tempus uteri ferendi enorme unum hoc animal sortitum est. Cæteris enim unum est tempus, homini vero plura sunt, quippe qui & septimo mense & decimo nascatur, &c. Aristot. de Gen. Anim. lib. 4. cap. 4.

Sane Galenus etiam in Hippoc. libellum de septimestri partu testatur se deprehendisse plerasque mulieres fœtum quidem vitalem edidisse medio inter centesimum nonagesimum diem, & inter ducentesimum termino: celerius aut tardius, paucas. Ante centesimum & octogesimum secundum diem & quindecim horas: vel post quartum supra ducentesimum nullas: ut septimestris fœtus editionis in lucem primus terminus esse dimidij anni tempus reperiatur. Inter centesimum & nona-

& nonageſimum, & inter ducenteſimũ quartum diem dicit, id eſt, inter decimum diem ſeptimi menſis tricenarij & viceſimum quartũ ejuſdem: quo ſcilicet tempore ſeptimeſtres vitales edi ſolent ut eodem etiam loco teſtetur Gale, ſe unam ſolum noviſſe mulierẽ quæ centeſimo octogeſimo quarto die exacto atque expleto partum (vitalem) edidit. Lalamantius Scholio 26. ad libell. de hominis ætate Hippoc.

Ante ſeptimum menſem haud unquam vitalis eſt. Septimo non niſi pridie poſterove plenilunij die, aut interlunio cõcepti naſcuntur. Veſtilia C. Herditij, ac poſtea Pomponij atque Orfiti Clariſſimorum civium conjunx ex his quatuor partus enixa, Sempronium ſeptimo menſe genuit, Suillum Rufum undecimo: Corbulonem ſeptimo; utrumque Conſulem: &c. Plinius Nat. Hiſt. lib. 7. cap. 5.

De ſeptimeſtribus Alexander Aphrodiſæus agit eo problemate quo quærit cur ſeptimeſtres ſimulatque editi ſunt non emittant vocem, nonimeſtres vero emittant. Et alio item quo quærit, Cur ſeptimeſtres vivant, octimeſtres nequaquam.

Ariſtoteles, Hippocratesque putant ſi vulva menſibus expleatur ſeptem, tum denique erum-

erumpere infantes, vitalesq; nasci. Plutarchus de Placit. Phylosophor.

Cecilium Gellius lib. 3. cap. 10. ex Mænandro his verbis citat.

Insoletne mulier decimo mense parere?
Pol nono quoq;, septimo, atq; octavo.

Galliæ locis septimestres ætate jam profecta quantum & ex illis ipsis & illorum etiam matribus accipiebam vidisse: talesq; frequenter nasci & vivere, cum ex obstetricibus, tum ab alijs, quas sæpe interrogavi, matronis, sæpe audivi.

Habeo vero Heduæ etiamnum superstites septimestres gemellos nepotes Ioannem & Lazarum Lalamanticos, annum agentes hodie decimum octavum: Ioannem quidem sanum, sed pusillum: Lazarum vero post primum fere ætatis mensem toto corpore ita convulsum ut neq; unquam loqui, neque loco sese movere de se in hunc usque diem potuerunt. Lalamantius loco proxime citato.

Quod me in admirationem traxit, duo fratres hebræi fuere, Hamisij nomine, septimestres, & eodem partu ambo editi: qui ita inter se similes erant, ut ipse familiariter etiam illis usus, alterum ab altero nunquam discernere potuerim. Amat. Lusit. Scholio ad Curat. 15. Cent. 5.

Non

Non ſolum ratione ſed & experimento diſcere poſſumus ut quos ſeptimo menſe natos noverim⁹, eos cęteris infirmiores eſſe, & incõſtantis valetudinis cernamus. Quod teſtatiſſima ipſe fide confirmare omnibus poſſum, qui in educando ſeptimeſtri filio meo Ioãne nullos non ſim perpeſſus labores, omnesq; ſenſerim moleſtias eas, quæ percipi ab indulgentiſſimo patre & filij amãtiſſimo poſſunt, adeo & puſillo corpore, & exilibus membris, & virtute infirma prodijt, ut Dei Opt. Max. ſingulari beneficio atque ope potius, quam humana, ſervatus & altus videri poſſit. In quo tamen tantum valuit & matris in alendo proprio fœtu plena amoris charitas, diligentia atq; induſtria, & lactis materni probitas, & ſedula educandi cura, ut puerum (etſi imbecilla natura) produxerimus tamẽ, præter omniũ, noſtramque ſpem, in firmiorem ætatẽ, ut jam annum agens quartum vegetior fieri & habitior Dei munere incipiat. Valleriola lib. 3. Enarrat. 7.

Cum (uxor) utero gravis ſeptimeſtremque geſtans fœtum in nonum menſem pro cætero ſuo more ventrem ſe geſtaturam arbitraretur, (etſi ſemel antea vitalem partum ſeptimo mẽſe edidiſſet) opinione ſua falſa iliorum ac renum doloribus derepente correpta, aquoſis fluentibus ichoribus adapertoque uteri

teri ostio, parturire cœpit, moxq; scitum forma puellum peperit, qui biduo post, stillatione in fauces pectusque irruente, ac spiritus viam intercludente, Deo sic disponente, sublatus est. Idem loco citato.

Quod ad septimum mensem attinet, novi complures apud Belgas maritimos, etiam gemellos, qui ad extremam devexamque ætatẽ, crudo ac viridi corpore, menteque vegeta devenerunt. Quocirca futilis est, nulliusq; momenti illorum persuasio, qui septimi mensis partum inabsolutum minusq; vitalem statuũt & non nisi exactis novem mensibus infantem omnibus membrorum numeris consummatum in lucẽ producendũ. Sic exorta nuper est apud nos non levis sane velitatio, sed atrox & cruentũ certamen, funestaq; ac luctuosa dimicatio, ob expugnatã pudicitiam cujusdam virgunculæ, non ambiguæ quidem famæ aut nominis, sed cerebri imbecillis aut vaccillantis, quæq; mentis judicio minus polleret: quarũ plereq; omnium citissime labascunt, minusq; fortiter aut animose vel minus vel insidiosis blandimentis obsistunt, aut obluctantur: secus quã feroculæ quædã puellæ & clamosæ, quę se unguibus & dentibus ulciscuntur ac strepitu insidiatorem integritatis abigunt. Acrius autem majusque acerbe in hac tragœdia increduit disceptatio: quod pater, qui ex ea

prolem ſuſtuliſſe vel concubitum extorſiſſe ferebatur, (nam id adverſarij ſunt criminati, tanta acerbitate, ut illum ad cruciatus expoſcerent,& tormentis explorandam rei veritatem contenderent)conſtanter factum pernegaret atque nec uteri veſtibula,primosque aditus ingreſſum,aut perfregiſſe hymena,integritatis velamē, nec prorſus intimos uteri receſſus penetraſſe per ſacra (qui judicijs præeſſe ac ſacra tractare ſit ſolitus) dejerare ſe paratum conſidenter pronuit: nec prolem ſibi addici paſſus eſt, inter alia eo quoque innixus argumento,in ſui innocentiam, quod infans vix in ſeptimo menſe, eoq; inchoato potius, quam expleto, in vitam productus ſit: membris omnibus exacte elaboratis,præter unguium appendices,quos obſervamus in noni etiam menſis partu nonnunquam deeſſe ac deſiderari,præſertim ubi gravidę immoderatius ſalſamentis utuntur, aut ſalem liguriunt, ut eſt is ſexus in appetendis ſalſis & acidis maxime proclivis. Itaque non ſeptimi menſis partum evincere contendit, ſed noni; eoq; ſupputato menſium decurſu,atq; obſervata temporis ratione,alium inquirēdum patrem, qui paulo ante cum illa congreſſum iniverit,ejuſque conſuetudine ſit uſus. Quum vero ex ſententia Iudicum infans conſpiciendus explo-

plorandusq; medicis exhiberetur, accita obstetrice, atq; honestis aliquot matronis, quarum una patricia undeviginti liberorum parens erat, & cui non semel septimestris partus editus nec prorsus expletum septimi mensis curriculum. Pronunciatum est ab ijs non excussa facti causa nec ulla habita ratione patris, hunc ne an que alium deputent septimi mensis partum esse qui septem & viginti septimanis in utero sit gestatus. Quod si in nonũ mensem profetre potuisset futurus erat infans magis solidis firmisq; membris, atque ipsa compages seu structura corporis magis compacta ac coagmentata, minusq; dissoluta; erat enim os pectoris, quod velut scutum ac munimentum cordi incumbit, Belgæ Borstplate vocãt, denique ensiformis cartilago, quæ stomacho imminet eminentior quam natura fert, nec in planum redacta, sed incurva ac turbinato mucrone, ut conspici solet pullorum gallinaceorum thorax, quæ ineunte aç præsertim mense martio excluduntur. Vngues quoque huic infanti, qui sexus fœminei erat, in manibus decerant, atq; extremi digitorum articuli, in quibus ex cutis musculosa, vel cartilaginosa materia ungues lævore perpoliti indurescũt, vix tenues quasdam notas, & exigua vestigia exhibebant, non cornea duritie, sed mollissimæ

membranæ tenuitate. In pedum vero articulis nulla se proferebant unguium indicia, quod illæ partes non tanto calore imbutæ essent, quanto manus, atque à corde caloris fonte remotiores: quum manuum articuli per brachia pectori annexa beneficio caloris, qui à corde diffunditur, omnia conspectiora in digitis exhiberent. Itaque Medici observatis multis naturalibus causis, solidisque rationibus fulti, nullius partis vel favore, vel injuria, ita ut patiantur reo, si actori visum sit, constare suam innocentiam, vitæq; & morum integritatem, pronunciaverunt adstantibus Iudicibus, quibus ea res demandata erat, ab ijs qui apud Belgas in Aula Bruxellana Regis Hispaniarum vices obeunt, non noni, sed septimi mensis partum statuendum, producto gestationis tempore per septem & viginti hebdomadas, qui partus etiam septimestris censeri debet, tametsi non prorsus expletus sit, atque una aut altera septimana desideretur, atque aliquot adhuc dies ad complementum restent. Lemnius lib. 4. c. 22. de Occult. Nat. Mirac. edit. locupletatæ.

OBSERVATIO CLIV.

Octavo mense nati vitales.

MEnse octavo natus nullus unquam vixit. Hipp. lib. de Carnib. ad finem.

Trans-

Translatitium in Ægypto est & octavo gigni: Iam quidem & in Italia tales partus esse vitales contra Priscorum opiniones. Vestilia C. Herditi, ac postea Pomponij atque Orfiti clarissimorum civium conjunx ex his quatuor partus enixa Sempronium septimo mése genuit, Suilliũ Rufum undecimo, Corbulonem septimo, utrumque consulem: postea Cæsoniam, Caij Principis conjugem, octavo. Plin. Nat. Hist. lib. 7. cap. 5.

M. Varro mense nonnunquam octavo editum esse partum in libro 14. rerum divinarum scriptum reliquit. Gellius lib. 3. cap. 16. N. A.

In Cypro insula tempestate nostra fœminam geminos peperisse accepimus: alterum octavo mense: alterum decimo nono: &c. Alexand. Benenictus de Curand. Morb. lib. 25. cap. 23.

Quidam Nobilis habens duos filios eos habet ambos octimestres: & ambo in infantia usque ad extremum vitæ pervenere. Cardanus lib. 1. Tract. 3. Contradict. 8.

Infans octavo à conceptione mense natus Florentiæ, mense Martio nocte ascendente Saturno retrogrado semivivus ejusmodi diligentia à nobis, imo à Deo quasi vitæ reddi-

tus potius, quam ſervatus eſt, trienniumq; validius ferme implevit. Marſil. Ficinus in exhortatione ad lib. 3. de vita cœlitus cõparanda.

Liquet quod multi poſſunt ſupervivere qui non ægrotant, ſi eo tempore naſcantur. Nã duo filij Cardinalis Sfondrati & ipſe Cardinalis Sfondrati, omnes nati ſunt octavo mẽſe, & ſupervixere. Et in Ægypto nati octavo menſe generaliter vivunt: quia aër & aqua, & cælũ, & corpora & alimenta ſunt vivaciſſima. Cardanus Comm. ad lib. Hipp. de Sept. partu.

Quod alicubi fit non tantum poſſibile eſt, ſed etiam naturale. Atqui Naxius partus pro octimeſtri proverbio celebratur, quod in Naxo Inſula octavo menſe feliciſſime procedat. Idemque Ariſtoteles in Ægypto; Avicenna in Hiſpania accidere affirmant. Nec deſunt hiſtoriæ quæ apud Græcos & Romanos octimeſtrem partum eſſe vitalem vitalem. Cum ergo ſtultum ſit ratione pugnare contra ſenſum & experientiam, pro antiquitatis reverentia quid reſpondendum. Neque enim conſentaneum eſt, tot tantosque viros temere in Hippocratis opinionem conceſſiſſe. Reſpondendum: Quod aliquando & alicubi fit, non eſſe naturale, ſed quod fit ſemper & utplurimum; Vix enim quicquam dari poteſt in natura tam certum & conſtans, quod contrario

trario aliquo exemplo revelli nō possit. Quia naturæ opera, materiæ, motus, loci & temporis circumstantijs sunt obnoxia: quorum causa innumerabiles mutationes accidunt. Riolanus cap. 11. ad lib. Fernelij de Hominis procreatione.

Quemadmodū in genere tritici est quoddam semen, quod tribus mensibus generat, unde & trimestre vocant, alij setanium appellant, quoddam vero quod mensibus novem, ita & in genere humani seminis quoddam est, quod septem mensibus parit, quoddam quod novem. Partus igitur qui editur octavo mense, esse quidem non potest ex eo semine, quod septem mēsibus gignit: quare ex eo erit, quod novem mensibus solet maturum producere: igitur quum ante nonum mensem editus sit, indicat immaturum esse. & vi aliqua ejectum: talis autem utpote immaturus & præcox, moriturus enatus est: cujus signum est, quod certis regionibus, ut in Ægypto, octimestres partus etiam vivere ferunt, quod bonitate regionis defectui immaturitatis satisfiat. Cur autē duo tantum sint humani seminis genera & alterum septem, alterum novem mensibus partum edat, eandem habet quæstionem cur & in genere tritici duo similiter seminis genera sint. Causa in universum est analogia talis agē-

tis ad talem materiam, nam quis quærat cur tanta flamma tantum roboris absumat in hora una. Fracastorius.

OBSERVATIO CLV.

Decimo & undecimo mense nati vitales.

DEcimo undecimoq; in lucem venire & multorum testimonijs, & spectatissima experientiæ fide probatur.

Nam & Hippocrates libro de Octimestri partu, decimestres undecimestresque nasci conceptis verbis testatur. Cæterum (inquit) decimestres & undecimestres partus ex septē quadragenarijs eodem modo fiūt, velut ex dimidio anno septimestres. Et rursus ad finem libri: Ex his igitur omnibus necessarium est plerasq; mulieres circa plenilunium, & ultra in ventre concipere, ut ducenti & octoginta dies: sæpe undecimum mensem apprehendere videantur: tot enim dies septem quadragenarios constituunt. Nam cum ultra plenilunium mulier concipit, necesse est eum conceptum undecimum mensem attingere & apprehendere qui ad ultimum circuitum perveniat.

Et Aristoteles plerasque decimo parere, nonnullas undecimum tangere mensem testatur.

Et ex

Et ex latinis comicis in præcipuis habitus Plautus in Ciſtellaria.

Tunc illa quam compersserat.

Decimo poſt menſe exacto hic peperit filiam.

Plinius quoque id ipſum affirmat, Veſtiliam C. Herditij ac poſtea Pomponij atque Orfiti clariſſimorum virorum conjugem, ex ijs quatuor partus enixã, Sempronium ſeptimo menſe genuiſſe, Suillũ Rufum undecimo, Corbulonem ſeptimo, utrumq; conſulem; & poſtea Cæſoniam, Caij Principis conjugẽ, octavo. Conſtat itaq; uſq; ad undecimi menſis initia ventrem geſtari poſſe. Quæ ego ad propoſitæ rei explicationẽ ſatisfacere poſſe ſum arbitratus: ſi id tantum addidero, aliam etiam, quam hactenus tradita ſit, varij hominum partus cauſam aſſignari poſſe: nempe genitalis feminis naturã aliam atq; aliam. Nam ut in ſemine quod terræ jacitur, eſt aliquod quod trimatu proveniat (unde trimeſtre triticum rei Ruſticæ ſcriptores vocant) aliud quod in annum fructum maturitatemq; ſuam profetat: ſic eſſe inter hominum ſemina aliud quod ſerius, aliud quod temporius proveniat: unde aliquos ſeptimo menſe, alios octavo, plerosq; nono atque decimo provenire cernas. quod Plinius in Veſtiliç Herditij Põponij, ac poſtre-

mo Orfiti conjuge ſpectaſſe videtur : quum ex tam multis viris fœtum alium undecimo menſe genuiſſe teſtetur. Nec dubito quin pro ratione temperamenti hominis, ętatis, victus, educationis, cœli, ac regionis, ipſaque mulierum ſemen excipientium, locellorumque varietate, alio atque alio tempore tum fœtum in utero formari, tum geſtari, tum in lucem edi contingat. Quod luculentiſſime Divinus Hippocrates in Epidemijs lib. 6. ita expreſſit. Labores in circuitibus, quicquid in ſeptuaginta movetur, in triplicitate perficitur : & quicquid in nonaginta movetur, in triplicitate perficitur. Quam ſeriem & Galenus, & poſt eum Fuchſius doctiſſime explicarunt. Valleriola lib. 3. Enarrat. 7.

Aulus Gellius luculentiſſimus ſcriptor de Varronis ſententia ſcribit, undecimo menſe aliquando naſci hominem poſſe, idque à Varrone lib. 14. rerum divinarum proditum eſſe. Idem Locor. Commun. lib. 1. cap. 18.

Ego de partu humano, præterquã quæ ſcripta in libris legi, hoc quoque veniſſe in uſu Romæ comperi bonis atq; honeſtis moribus non ambigua pudicitia, in undecimo menſe poſt mariti mortem peperiſſe: factumque eſſe

nego.

negotium propter rationem temporis, quasi mortuo marito postea concepisset, quoniam Decemviri in decem mensibus gigni hominem, nec in undecimo scripsissent: sed Divũ Adrianum, causi cognita, decrevisse, in undecimo partum edi posse: idque ipsum ejus rei decretum nos legimus. In eo Decreto id Adrianus statuere se dicit, requisitis veterũ philosophorum & medicorum sententijs. Ex quibus omnibus cõstat, undecimo mense justum partum nasci posse. Gellius lib 3. cap. 16. N. A.

Conciliator Petrus Aponus affirmat se fuisse undecimestrem. Cardanus lib. 1. Tract. 3. Contradict 8.

Anna Consanguinea Stephani Pyrrhi uxor, quum exactæ conceptionis tempus observaret, post decem menses, & undecimi tres exactos dies puerum optime peperit. Vtero enim gessit decem mensibus, & undecimi tribus diebus, unde Plinium verum dixisse libro septimo Naturalis historiæ capite quinto deprehendi, ubi præter Lucij Papyrij prætoris opinionẽ affirmantis homini nullum esse pariendi statutum tempus, inquit: Homo usque ad initia undecimi gignitur mensis: veluti in casu nostro contigit: decimo vero mense, Salamon Hebræorum sapientissimus, ab hora conceptionis in lucem prodivit, ut ipsemet

testatur libro de Sapiétia capite septimo: primogenitus quoque Divi Herculis Ferrariæ Illustrissimi Ducis decimestris est, ut omnes ibidem norunt, & Brasavola scribit, quem terminum Hippocrates tantum libro de Natura pueri prope finem signare videtur: sed de ijs & eorum causis, Leonardum Fuchsium Germanum legere est, qui mea sententia præ cæteris melius & accuratius libro sexto Epidemiorum ea disseruit. Amat. Lusitanus Curat. 27. Cent. 1.

OBSERVATIO CLVI.

Decimo tertio mense natus vitalis.

PAter meus decimotertio mense se natum prædicabat. Cardanus lib 1. Tractat. 3. cõtradict. 8.

OBSERVATIO CLVII.

Decimoquarto & decimoquinto nati vitales.

PVeri nascuntur nono, & decimo, & undecimo mense: quidam etiam decimo quarto. Aristoteles Hist. Animal. lib. 7. cap. 5.

Massurius author est, Lucium Papyrium prætorem secundo hærede lege agente bonorum possessionem contra eum dedisse cũ mater

mater mensibus quatuordecim partum diceretur tulisse: quoniam nullum certum tempus pariendi videretur. Plinius Nat. Hist. lib. 7. cap. 5.

Fidelis quidam mihi retulit mulierem post decimum quartum mẽsem peperisse, cui dẽtes subnasci cperint, & bene vixerit. Avicẽnna lib. 9. de Animalibus.

Accepimus quandam quatuordecim mẽsibus partum tulisse, quibus animandi movendique spacia imbecillitas quædam distulerit. Alex. Benedictus cap. 23. lib. 25. Curand. morb.

Mulier sexagenaria ex septuagenario sene concepit, & decimoquinto mense puellam peperit: oculis & manibus privatam, quinque mensibus vitalem. Vide Observationem 122. hujus libri. Vetulas admodum concepisse.

OBSERVATIO CLIIX.

Viginti tribus mensibus in utero gestatus.

REnatus Thioneau M. D. edidit miraculosam historiam fœtus in utero viginti tres menses gestati, apud Turonenses, ut testatur Paschalis Gallus, amicus noster, in Bibliotheca sua medica.

OB-

OBSERVATIO CLIX.

Biennium in utero gestatus infans, statim atque in lucem editus fuit, & loqui, & incedere potuit.

EX Duce Baruch Vandale Vxor concepit, & biennio prægnans fuit, & parturivit infantem gradientem, & loquentem. Albertus Krantzius.

Fœmina biennio uterum ferens, marem loquétem enixa est. Aventin. lib. 5. Annal Bojorum.

OBSERVATIO CLX.

Alius infans, bene habita matre, quadriennium in utero gestatus.

NVnquam aut visum aut scriptum est, quátum ipse recordor,) mulierem ullam fœtum vivum quatuor annis ventre gestasse, quémadmodum hæc à te mihi proposita mulier. Quam scribũt anno XV. enixam marem, mox primo conjunge orbatam, cum secundo atq; tertio XVI. annis sterilem manssisse, donec tandem quarto nupta, concepit fœtum. Quem ipsa omnino affirmat, se jam quarto anno exacto vivum gestare, non modo absque ulla insigni molestia, verumetiam cum summo valetudinis lucro, nempe, quæ prius innumeris

meris pene malis tentaretur, nunc vero à cũ-ctis libera sit. Mercurialis Consilio 85. edit. Basil. ad Illust. & Generosum D. Christoph. à VVolckenstein.

DE PARTV FOECVNDO.

OBSERVATIO CLXI.

Fœcunditatis illustria exempla.

PRiamus ex Hecuba conjuge habuit XIX. liberos: ex alijs pellicibus 31. Hinc Maro.

Quinquaginta illi thalami, spes magna nepotum.

Artaxerxes Xerxis filius, Persarum Rex, habuit ex pellicibus CX. liberos, ex justo matrimonio III.

Scylurum Chersonesi dominum ac Scylluri liberos in captivis habuit Mithridates Eupator. Eos quinquaginta fuisse, Posidonius scribit, cum Appollonides octoginta affirmet Strabo lib. 5.

Arabum rex Herotimus, ob fœcundam sobolem memorabilis. Trogus Pompeius authorest, sexcentos ei ex numeroso pellicatu filios fuisse, per quos varie bella administrabãtur. Hujusmodi præsidio fretus Herotimus, Syriæ

Syriæ fuit & Ægypto infestus, Syllanis temporibus. Sab. lib. En 6.

Masinissa rex Numidiæ, XLIV. filios habuit, authore Eutropio.

Atila Hunnorum Rex, LX. liberis insignis.

Sylvins Rex Scytarum, genuit LXXX. filios. Plutarchus in lib. de Garrulitate.

Constat nostra ætate cuidam Regi Moluchiarum fuisse de filijs, fœminis tamen computatis, sed verisimile est masculos ipsos fuisse, longe plures LXXX. Cardanus Comment. ad lib. Hipp. de Aëre aquis & locis lectione 91 super text. 15.

Lycaon Pelasgi F. Arcadiæ Rex, antequam in Lupum verteretur, ex Atlantis filia legitima uxore, & nounullis alijs supra quinquaginta liberos suscepit. Natalis Comes lib. 9. cap. 9. Mithologiæ.

Thespis Athenienfis Erichthei Regis filius, è pluribus fœminis filias L. genuit, cum quibus vocátis ad epulas Hercules singulatim una nocte concubuit: susceptique totidem liberos mares, qui Thespiadi dicti sunt. Diod. lib. 5. & Suidas.

Hercules inter LXII. liberos unicam tantum filiam habuit. Antigonus in Mirac. nar. ex Arist.

Carolus Magnus Imp. ex multis conjugibus &

bus & concubinis multos etiam liberos habuit nimirum ex Hidegarda Sueva Carolum, Pipinum, Lotharium, & Ludovicum: filias autem Ruthridem, Bertam, Gislam, Hildengardam, Adelheydam, Bellixandam, Immam, Gertrudim. Tum ex concubinis, Gersuinda, Adeltrudem, Reginam, Drogonem, & Hugonem, Adelinda, Theodoricum, Himmeltrude, Pipinum in patrem seditiosum, Rothilde, Adelroden, Roynam, Adelindam. Tres filias ex Fastrada Franca suscepit. Theodoretam, Hiltrudim, & Rothaidem. Et ita viginti tres liberos genuit. Hedio in Chron. German. & Bruschius in German. monasterijs.

Habebat Babo illustris Comes de Ror, & Baro de Abensperg ex legitimo thoro triginta duos filios & duas filias superstites, sicut in fastis monasterij Vueltenburg annotatum est: cum itaque prius pater sollicitus esset qua nam ratione numerosæ soboli prospiceret, atque omnes in eo statu, quem ipse à majoribus illustrem acceperat, conservare posset, nulla via cõmodior visa quã ut eos S. Henrico Cæsari cõmẽdaret, ad id etiã cõmoda ei oblata occasio. Contigit. n. ut Cęsar Ratisbonæ suorũ procerũ cõventũ habiturus, & sese

postea

postea cum illis in venatione oblectaturus, omnes admonuisset, ne quis procerum aut nobilium plures comites adjungeret, verum uno tantum servo comitatus compareret. quo locus hospites capere, atque annona sufficere posset. Itaque Babo filios suos juvenes egregie ornatos, splendide instruit, & unicuique servum adjungit, atque hac ratione sexaginta sex equis magna solennitate urbem ingreditur. Cæsar visa tanta comitum multitudine miratur, atq; Babonem ad se vocatum interrogat, qui ausus fuerit mandatum suum, serio propositum, violare, aut quid pacis hoc tempore eo equitum numero præpararet. Tum Babo, reverentia Cæsari exhibita, inquit: Sereniſſime Cæsar, hactenus tuis mandatis diligenter obedivi, porro facturus Dei auxilio. Nunc etiam ad conventum hunc uno tantum famulo comitatus compareo. Henricus Augustus infert: Qui igitur alij sunt. Inquit Babo: sunt mei legitimi filij, tui famuli, quorum singuli, uno servo comitati, præsto adsunt, ut tuæ Majestatis voluntate audita, diligenter pareant. Eos, ut ingenuam decet sobolem, hactenus maxima cura educavi: nunc vero eos tuæ celsitudini offero, dono & commendo. Tum Imperator subridens, singulos appellat, atque dextra & osculo excipit, eosque ordine suos filios

filios vocat, atque secum in aula permanere jubet. Hos quoque omnes & singulos Cæsar paulatim prædijs, stipendijs, castellis, & vicis locupletavit. Aventinus lib. 5.

Rudolphus Habspurgensis Imp. ex Anna Comitissa de Hohenburg in Suevia, suscepit septem filios, totidemque filias. Ex quibus postea innumeri Principes, Reges, & Imperatores prodiere. Cuspinianus.

Albertus I. Rodolphi Imp. F. primus Austriæ Dux & cæso Adolpho Imperatore, ex Elizabeta F. Meinardi Comitis Tyrolensis viginti & unum liberos suscepit: quibus uti prospiceret ad regionem ampliandam in Helvetia præsertim animum adjecit. Horum undecim justam assequuti sunt ætatem : cæteri in pueritia mortui. Stumpfius & Cuspinianus.

Barrabas Vice Comes in Italia 39. liberos suscepit.

Conradus Muscoviæ Dux, xxc. liberos habuit: ex quibus quatuor tantũ legitimi fuerũt. Ὥσπερ χαλκιδικὴ τέτοκεν ἡμῖν γυνὴ, id est: Tanquam Chalcide peperit nobis uxor. De ea dicebatur, quæ liberos quamplurimos peperisset. Tradunt Heroinam quampiam fuisse, nomine Comben, cui cognomen fuerit Chalcidi, quod primà arma ærea confecerit. Ea viro conjuncta centum liberos enixa

dicitur. Sicuti proditum est in Euboicis annalibus, & attestatur Aristus Salminus. Erasmus.

Victoria mater Æneæ Sylvij, qui postea ad Pontificatum evectus Pij II. nomen obtinuit, fœcunditatis eximiæ fœmina duodeviginti, & ex his gemellos aliquot puerperijs edidit. Ioannes Antonius Campanus in Vita Pij.

Mulier quædam quæ habitat in Orientali porta, Vxor artificis cannarum, viginti quinq; filios enixa est, atque ea fœcunditas mira fuit. Cardanus lib. 8. cap. 44. de Varietate.

Iodoca Teylingia matrona prudentissima, valde prolifica, ex marito suo Augusto Teylingio viginti proles suscepit, vetula septuagenaria, mater Vxoris meæ. Foreest. Obser. 34. lib. 11.

Antonia Mutinensis, quadragesimũ ætatis suæ annũ non prætergressa, quadraginta tres filios habuit. Caspar. Bugatus lib. 4. suarũ Hist.

DE PARTV NVMEROSO.

Mulieres quæ uno partu numerosam sobolem enixæ sunt.

MVltiplex perficiendi tẽpus, pariẽdiq; diversum homini datũ est. Et cũ alia singulos pariant, alia plures, genus humanũ in anciptiti est. Nam quod plurimũ & locis plurimis agitur, mulieres singulos singulæ pariunt. Sed

fæpe

sæpe & locis pleriſq; geminos etiã, ut in terra quoq; Ægypto fieri certũ eſt. pariunt etiã tres & quatuor, & locis nõnullis valde ita fit, quod dictum jam eſt, ſed quinq; cõplurimum naſcuntur. Iam. n. hoc eveniſſe pluribus conſpectum eſt. & quędam viginti, partubus quatuor edidit: quinos enim ſingulis partubus enixa eſt, majorq; eorũ pars enutriri & adoleſcere potuit. Et cum in cæteris animalibus gemini nati, etiamſi mas & fœmina ſint, nihilominus enutriantur ſervẽturq;, quam ſi mares ambo, aut fœminę ſint: in genere certe humano pauci gemini ſervantur, ſi alter mas ſit, alter fœmina. Ariſtoteles lib. 7. de hiſt. animal. cap. 4.

Iã incidit ut facta corruptione duodecim ſuperfœtata puerperia egererẽtur. Idẽ loco cit.

Ægyptia quædã uno partu quinq; pueros enixa eſt, teſte Ariſtotele. Gellius lib. 10. cap. 2.

Mulierem non ultra quinq; uno partu edere tradit Ariſtoteles, memoriæq; fuiſſe proditũ Antigonus in mir. nar. ſcribit Alexandriæ mulierẽ quãdam quatuor partubus xx. fœtus edidiſſe, quorũ major pars enutrita ſit. Eadẽque, in alia urbe, mulier quinq; infantes una peperit, tres maſculos, duas fœminas, quos ſuis ſumtibus ali juſſit Trajanus Imp Eademq; mulier, circũacto exinde ãno, tres infantes peperit. Phlegon. de Mirab & longævis.

Tergeminos nasci certum est, Horatiorũ Curatiorumque exemplo: inter ostenta ducitur, præterquam in Ægypto, ubi fœtifer potu Nilus. Annis proximis supremis Divi Augusti, Fausta quædã è plebe Ostiæ duos mares totidem fœminas enixa, famem, quæ consecuta est, portendit haud dubie. Reperitur & in Poloponeso quinos quater enixa, majoremque partem ex omni ejus vixisse partu. Et in Ægypto septenos uno utero simul gigni Author est Trogus. Plinius lib. 7. cap. 3. N. H.

Ancilla quædam Augusti Imp. in agro Laurente, uno partu quinque enixa est filios. Eam Augustus in via Laurentina honorifice sepeliri curavit cum ipsis pueris, & sepulcri inscriptione. Gellius lib. 10. Noct. Att.

Proconnesia è duplici adulterio geminos edidisse fertur, utrumque patri suo similem. Solinus lib. Polybist cap. 4.

Serapiam Alexandrinam, scribit Cajus lib. 1. Fideicommiss. ut videre est in l. 7. Vtrum. D. de rebus dubijs, & Capitolinus in Antonino, quinque liberos uno enixam partu. Cælius lib. 4. cap. 23. A. L.

Invenitur in Iure Civili Græca quædã quinionem enixa filiorum. Semel omniũ mater, unici fœtus parẽs multiplex, unici uteri puerpera numerosa: quæ tot stipata corporib. pene dixe-

dixerim populo sextum ipsa corpus fuit. Tertul. de Anima titulo de substantia Animæ, & an corporalis.

Lampridius scribit Faustinam Pij E. M. Philosophi uxorem, uno partu enixam geminos, Cõmodum scilicet, & Antonium, qui quadrinus elatus est: quem parem astrorũ cursũ Cõmodo Mathematici promittebant. Cum Faustina esset prægnans, visa est in somnis serpentes parere, sed ex his unum ferocioré. Cuspin.

Mulier quædam abortivit xxxiii. (Petrus Aponensis legit Lxxviii.) formatos uti à fide dignis accepi. Avicenna. lib. 9. de Animalibus.

Quandoq; formantur in matrice multi fœtus, etiam quatuor, & quinque, & sex, & septẽ, & plures decẽ. Compertum habeo quandam mulierẽ abortiendo emisisse septem, & aliam quindecim, omnes formatos. Adeo mirabilia sunt opificis rerũ opera cujus sapientiæ & potentiæ non est finis. hic ergo totũ oportet ut sit insciẽtia obstetricis, ut cũ usus venerit perita sciat quid agendum sit. Albucasis Chirurgiæ lb. 2. cap. 76.

Lamisij Longobardorũ Regis Mater septẽ uno partu edens filios, eos in piscinã quandã projecit. Quos cum Agelmundus primus Lõgobardorũ Rex, post Ibor & Agion, iter faciẽs hasta revolveret, Lamissius hastã ejus firmiter

tenuit. Ab eo igitur nutritus postmodũ, & Regni hæres factus est. Sigebert. in Chronica.

Anno 396. Algemundi primi Longobardorũ Regis temporibus, meretrix quædã unico partu septem puerulos enixa est, & in piscinam projecit necandos : quos Algemundus rex dum forte fortuna inveniſſet, unũ ex illis hasta detractum servavit, nutriciq; omni studio alendum tradidit: qui cum adoleviſſet, ob ingenij magnitudinẽ post Algemundi mortẽ successor factus est. Author Paulus Diaconus: Ex quo Textor & Lycosthenes.

Sub Zenone Imp. Mulier quædã septem liberos uno enixa est partu, quos in piscinã crudelis abjecit. Sigebertus, matrẽ eam fuiſſe indicat Algelmnndi Regis Longobardorũ. Paulus Diaconus vero lib. de gestis Longobardorum primo cap. 10. meretricem.

Eo anno quo Henricus II. Rom. Imp. mortuus est Altaichij inferiore Bojariæ monasterio mulier quædã quinq; filios simul est enixa, Aventinus lib. 5. Annalium Bojorum.

Comitiſſa quædã Querfurtẽſis uno partu fertur edidiſſe novẽ infãtulos, quos oẽs ad unũ usq; voluit interimere: sed patre forte fortuna adventante conservati sunt. Botruffus lib. 4. cap. 4. Anhaltinensium Principum.

Prodigiosa sunt, nec sine cunctatione proferẽda, quæ Magnus Albertus cẽsuit prodẽda,

ut prætereā quę ſcribit Iulianus Iurecōſultus, atq; idē Paulus Digeſtis, Si pars hęreditatis petatur, ubi & ſuperfœtationē admittere videtur: Scribit, inquā, Albertus mulierē quandā in Germania cōfiguratis conformatiſq; jam in utero duorū & viginti infantium corpuſculis aborſum feciſſe: aliā vero etiā ſeptuaginta: immo, ut amplius creſcat admiratio, aliā etiamnū ejeciſſe in pelvim embryunculorū auricularis digiti magnitudine corpuſcula cētum & quinquaginta. Cujus rei facta fides eſt tuniculis, quib⁹ obvolvebātur, cōciſſis. Addit quoq; plurib⁹ eorū affuiſſe dilatationis & cōſtrictionis motū, & ſigna alia vitæ cōplura, oculis tamē imperfectiorib⁹: manuū vero & pedū digitos fuiſſe veluti capillares. Cæl. lib. 4. c. 25. A. L.

Iſenbertus Comes de Altorf uxorē habuit Irmentrudim. Hæc cum pauperculā fœminā eodē partu tres liberos mares enixā vidiſſet, & tanquā impudicā reprehendiſſet, quod ex eodē viro tres ſimul filios ſuſcipere impoſſibile videretur: ipſa poſt annū (Deo ſic ejus ſuperbū judiciū cōfutante) abſente viro XII. mares enixa eſt. Perterrita eo caſu, quod jā de ſua quoq; pudicitia dubitari poſſe arbitraretur, obſtetrici undecim in proximo torrente Schercio mergendos committit, unicum illa ſervat. Paret obſtetrix. Obvius fit illi Comes, & quid velatū geſtet interrogat. Illa Vuelfos

(ſic enim lingua ſua catulos vocabant) deformes ſubmerſuram ſeſe aſſerit. Mox ille: At permitte, inquit, ut videam, ſint ne aliqui qui venationi nobis inſervire poſſint. Repugnat illa. Tandē coacta infantes undecim oſtendit, & negotium Comiti ita ut geſtū erat narrat. Imperat ergo Comes, ut factū apud uxorem ſuam diſſimulet, & filios educari præcipit. Exacto jam ſexennio, cū oēs viverent, in arcē adduci jubet, atq; illic corā omnibus amicis imprudentia uxoris detecta, veniā illi dedit, & filios porro duodecim ęquali jure ſuos eſſe voluit, ſtatuitq; ut nō Comites de Altorf, ſed ex vetulæ obſtetricis ominoſa voce, quę vitā illis XI. dederat, Vuelfi vocarentur: & gratitudinis ergo, pro divinitus ſervata tā numeroſa prole, in ipſo Altorfenſi oppidulo cœnobiū monialiū conſtruxit. Hanc iſtius monaſtici loci originē eſſe ex multorū ſenū, qui eadē ſeſe à ſuis parētib. & majoribus audiviſſe narrabāt, teſtimonio ſcribit Bruſch. de monaſterio Vinearū.

Helionora Salviata Bartholomęi Friſcobaldi Florētini civis uxor, duos & quinquaginta liberos enixa eſt, nunquam pauciores trib. uno partu. Iacobus Capellus in Fragmentis.

Matthias Holancevius Epiſcopus Vladiſlavienſis in Polonia fuit ſub Vladiſlao Loctitio Rege. Ejus matrē ferunt duodecim filios uno

partu

partu edidisse: verũ ex ijs unum illum vixisse, reliquis mox, ut nati erant, mortuis. Cromerus lib. 11.

Anno 1270. in Cracovienſi regione honesta quædã matrona Margarita, Virboslai Comitis uxor, triginta ſex pueros vivos uno partu edidit, viceſima die menſis Ianuarij. Cromerus lib. 9.

Margarita Florentij Comitis Hollandiæ filia, mulierculam ſtipem petentem, gemellos in ulnis geſtantem, acerbe increpavit, neque eam uno partu duos producere potuiſſe, niſi duorum quoque virorũ uſa eſſet commercio affirmavit Mendica precibus à Deo contẽdit, uti in ſignum pudicitiæ ſuæ Comitiſſa gravida tot pareret infantes, quot eſſent in anno dies. Preces fuere exauditæ, exacto geſtationis tẽpore anno M.CC.LXXVI, ætatis ſuæ 42. ipſo die Paraſceves peperit Margarita CCCLXIV. Infantes, partim mares, partim fœmellas. Eos ſimul in pelvi baptizatos, maribus Ioãnis, fœmellis Elizabethæ nomine impoſito, & cum matre paulo poſt morte Epitaphio hiſtorico. Cujus Ludovicus Vives, Eraſmus Roterodamus, & Ludovicus Guicciardinus in Topographia Flandriæ meminere. Anno Chriſti 1313. Margarita Comitiſſa Holſteinij imperante Henrico VII. uno partu tot edidit in-

fantulos, quot anni sunt dies, trecentos sexaginta quatuor, omnes maturę ætatis, & humanæ formæ: omnes etiã vivi baptizati sunt. Annales Brunsvicensium Albertus Cranzius in Vandalia, Ernestus Brotuffus lib. 4. cap. 4. Historiæ Principum Anhaltinensium. Fulg. lib. 1. cap 6. Anno 1322 (ut Massæus meminit) quo leprosi per Italiam fontes infecerunt, Margarita Comes Hollandię eas pro adulteris fœminis arbitrata, quæ gemellos parerent, imprecatione cujusdam pauperculæ, quã forte eandem ob causam acerbius increpasset, uno peperit partu 365. omnes vitales, pollicis magnitudine, quos sacro fonte candidatos cõtinuo mors excepit. Gemma lib. 1. cap. 6. Cosmocrit. Ostẽti loco haberi potest, quod accidit ab anno à Virginis partu 1310. cum Henricus Luxenburgensis in Germania imperaret. Quo tempore Margarita Olandę Comes trecentos & sexaginta filios vivos uno partu edidit: qui omnes baptismi charactere illustrati fuerunt. Author Baptista Fulgosus. Mizaldus centur. 8. Memorabil. Margarita Holstenia Comitissa dierum anni numerum fœtibus unius partus adæquavit. Zvvingerus Comm. Tabula ad lib. Hipp. de nat. pueri. Historia Chronica & sepulchrũ una cum epitaphio in Hollandia testantur Margaretæ, illustris Florentij Comitis Hollan-

Hollandiæ filiæ puerperium trecentorum sexaginta quatuor puerorum vivorum, & ab Episcopo Guidone baptizatorum. Ioan. Boscius thesi 109. Concordiæ Medicorum & Phisicorum de humano conceptu, &c.

Machtildis Comitissa ab Hennenberg, filia Florentij IIII. Bathavini Comitis soror Gulielmi Regis Rom. sub Friderico II. Imperatore mille quingentos quatuordecim pueros simul genuit: qui in malluvio ab Othone Trajectensi Episcopo avunculo ejus sacra aqua lustrari sunt, & post mortui. Aventinus lib. 7. Annalium. Cuspinianus CCCL. pueros habet.

Mulierem quandam Germanam, Dorotheam nomine, in Italia gemino partu viginti filios edidisse memoriæ traditum est, altero quidem novem, undecim altero. Quæ, dum hanc prolem gestaret utero, ob ingens pondus solita est cum fascia collo & humeris appensa, tumidam alvum, & adusque genua prolabentem, sublevare, ut Ioannes Franciscus Mirandulanus Princeps in commentarijs suis in hymnum secundum author est, qui octo infantes simul Ægyptias fœminas etiam peperisse, & earum unam quatuor partubus triginta filios protulisse, ex antiquorum monumentis hausit. Atque in agro Mutinensi

nensi Antonia quædam, quadraginta filios edidisse, dum ipsa annum ageret quadragesimum, ac sæpe uno partu ternos atque quaternos, ex historia ejusdem Episcopi Novocomensis recitat. Lycostenes lib. prodigiorum anni Domini 1499.

Rustica in pago Keßwil prope Acronium lacum, A. D. 1535 quatuor pueros mares uno partu incolumes edidit, non diu tamen superstites. Stumpfius. Kesvvilæ in Turgavia mulier uno partu quatuor filios enixa est, qui in Christianorum numerum à sacerdote solenni more recepti sunt. Lycostenes lib. de Prodig. & Ostent.

Ioannis Gislingeri Tigurini, uxor, circa annum Sal. 1553. cum gemellos edidisset, anno nondum elapso, quinque simul peperit, tres filios, & duas filias. Lycostenes de Prodigijs.

In Brachbanto villa, alia mulier enixa est 4. masculos uno partu. Idem opere citato.

Quinos uno partu edi posse Herophylus scribit. Vidimus uno partu tres fœmellas mulierem peperisse ad Triniacum oppidum in Veronensi agro, quæ feliciter vixere. Alexand. Benedictus lib. 25. cap. 20. de Curand. morb.

Paulus I.C. censuit lib. 5. dum de Iudicijs agit, tantum tres nasci posse qui supersint, quod

nos

nos aliquando vidimus. Cardanus de Varietate lib.8.cap.40.

Conciliator noſter dixit in villa ſua de Abano ſex embriones ab una muliere emiſſos, quorum quilibet motum habebat: res quippe ſtupenda multum. Savonarola tract.6.cap. 21.rubr.25.

Pamica Agrigentina mulier, ætate mea Bernardo Belluardo Agrigentino nupta, tantæ fuit fœcunditatis, ut tricies circiter enixa, tres ſupra ſeptuaginta ediderit liberos.

Et paulo infra, Anno ſalutis 1430. Meſſanæ mulier quædam, annos viginti quatuor nata, novem infantes uno ſemel partu edidit: quæ, poſtquam peperit, una cum filijs extincta eſt. Thomas Fazelius de rebus Siculis, lib.6. prioris decadis.

Hic eſt Bononiæ quidam Iulius Scatinarius adhuc vivens, & fœcũdus Bononiæ Civis: qui venit in lucem cum ſex alijs fœtibus, & ipſe fuit ſeptimus: & mater ejus erat ſoror D. Floriani de Dulphis mihi affinis.

Et ego Carpi vidi unam mulierem parere quinque filios in uno partu.

Et dixit mihi fide digniſſ. Dom. Alexander de Campo Fregoſo Epiſcopus Ventimilienſis, & juravit ſupra pectus ſuum fide Epiſcopali; quod una mulier Iamiæ de egregia familia

lia

lia de Buccanigris peperit sexdecim fœtus humanos magnitudine palmi, qui omnes habebant motum, & ultra istos sexdecim fœtus, qui habebant formam humanam, peperit etiam unum animal habens formam equinam, & etiam habebat motum, & omnes 17, tam habétes formam humanam, quam illud animal, quod formam equinam, erant involuti in una secundina, hoc tamen est monstrosum. Carpus in Anatome.

Augustinus tamen Iustinianus Nebij Episcopus, in Annalium Ianuensium lib. 5. aliter hanc historiam memorat. Ait namque Anno 1485. Bartholomeam Vxorē Ioannis Antonij Buccæ nigræ unico partu decem & septē edidisse filios informes quidem, motū tamen habentes, dactili ossis formam præ se ferentes.

In Italia septem, & aliam tres, (quod assidue accidit) quā etiamnū nos ipsi novimus, abegisse certum est. Lud. Bonaciolus ca. 6. Enneadis muliebris.

Beauforti in Valle Andium agro, juvencula mulier, filia Macei Cannerij, unū fœtum justo partu cum edidisset, decimo post die alterum enixa est, qui, nisi vi avulsus ab utero, edi non potuit: matriq; lethifer extitit. Pareus lib. 24. cap. 3.

Ob fœtuum numerum partus difficultas non-

nonunquam oboritur,uni etenim sunt quinque & septem. Retulit mihi quoque vir fide dignus,se vidisse Valentiæ fœminam quæ uno partu peperit duodecim. Christoph. à Vega, Artis meden lib.5.Sect.10.cap.23.

Illud annotandum est,quamvis unica adsit in utero cavitas,tamẽ plures fœtus in eo concipi posse, si apta adsit tot conceptibus materia,semen,inquam,id est: dum vero fœtus delineantur, nisi suis singuli membranis distinguantur,simul cohærent, monstraque hominum sese attingentium fiunt. Columbus lib. 12.de re Anatomica.

Aliquæ adeo fœcundæ sunt, ut non modo geminos uno conceptu generent, sed & ter geminos,& plures etiam. Equidem enim aliquas novi genuisse tres: unam vero Bononiæ, quæ uxor erat ferrarij fabri,quæque primum geminos: altero partu tres: tertio vero quatuor peperit: ex quatuor nullus vitalis fuit, è tribus unus. Trincavella lib.11.cap.17.De Rat. Curand.Part.Hum.Corp.Affectus.

Sub Maximiliano I. Imperatore quædam tres puellas uno partu enixa est,quę omnes ad justos pervenere annos.Iacob.Rieff.lib.5.c.4. de Concept.& Generat.hominis.

Bonaventuræ Savelli , Nobilis Senensis mancipium,uno partu septenos edidit fœtus, quorum

quorum quatuor Baptismo donati fuerunt. Iacob. Dalechampius cap. 3. citante Pareo lib. 24. cap. 3.

Nostra ætate inter Sartam & Mœnum in parœcia Sigillorum ad Cambellayum familia est domus nobilis, dicta Maldemera. Domini Maldemeræ uxor, primo quo nupsit anno, gemellos peperit. Secundo ternos. Tertio quaternos. Quarto quinos. Quinto senos fœtus, ex eoque partu mortua est. Ex senis his unus adhuc superstes vivit Maldemeræ dominus. Pareus lib. 24. cap. 3.

Vivit adhuc hoc anno, qui est 1579. Mulier Salustra nomine, obesa, & staturę humilis, quę novem uno partu enixa est, quod non semel, sed bis ei eveniisse, certissime scio. Mich. Ioan. Paschalius Schol. ad cap. 59. Pet. Paul. Peredæ lib. 1. de Curand. Morb.

Tres fœtus in utero generari posse mirarer nisi hoc anno in nostra Lutetia passim eveniisse conspexissemus. Carol. Stephanus de dissect. part. corp. hum. lib. 3. cap. 5.

Annis superioribus Brandimarti cujusdam è plebe uxor; 26. annum agens, 8. mense gravi utero cum premeretur, quatuor filios vivos peperit, duos masculos, & duas fœminas omni ex parte formatos, qui tamen baptismate recepto non multo post ab uteri egressu obiere,

obiere, matre superstite. Quæ res totius urbis nostræ populum ad illos invisendos, magno omnium confluxu attraxit. Ita ut Sereniſſima Ducissa Leonora, Domina nostra, pauperculę domum adire non fuerit dedignata, ac puerperam filiosque invisere, multaque elemosina donare. Marcell. Donat. Hist. med. mirab. lib. 4. cap. 24.

Novi quandam Bononiensem, quæ adhuc vivit, tres fœtus peperisse. Dominic. Leonus lib. 6. cap. 15. Sect. 3. Art. medend.

Homines sæpe geminos pariunt, tres nonnunquam: & ego tres vidi viros simul uno partu natos, legiturque de Horatijs, ac Curiatijs, qui invicem pugnaverunt. Cardanus in libro de Vno pag. 249.

DE PARTV FACILI.

OBSERVATIO CLXIII.

Stupenda mulierum quarundam exempla, quæ statim atq; pepererunt, nulla puerperij ratione habita, ad consueta opera revertuntur.

PEculiare est Lygistorum genti, quod mulieres opus facientes pariunt, lotoque infante, ad sarculum mox, fossionemque rede-

unt, ac alia obeunt munia, puerperis minimè usitata. Aristoteles lib. de Mirab. Auscult.

In Lyguria & Illyrico mulieres tam patientes laborum sunt, ut post puerperium minime decumbant: prægnantesque inter opus enixos pueros domum referre tradunt, quos non peperisse, sed invenisse credas. Alex. lib. 2. cap. 25.

Idem de Thracibus, Scythis, Cantabris, & Celtiberis legimus: apud quos puerperæ, adeo dolore non moventur, ut viris, loco illarū decumbentibus, ministrent & famulentur. Idem.

Tempore quodam, cum vir quidam Massiliensis mercede conduxisset viros & mulieres, qui agrum suum foderent, cœpit una ex conductis fœminis sentire dolores partus: relicto ergo opere abijt paulisper extra agrum: emissoque fœtu, redijt ad laborē, ne mercedi quid decerperetur: & cum dominus agri videret, quod pensum difficulter solveret laboris, nesciens quid ei accidisset, interrogavit quid illi esset; cognita causa numeravit illi precium, jussitque abire. Illa autem sumto puero, lavit ipsum aqua fontis, & involutum panniculis, incolumem domum portavit. Posidonius. Eadem Cœlius lib. 18. cap. 22. qui testem Varronem adducit.

Alema-

Alemanus Exemplū adducit ex Posidonio de muliere, quæ, cum peperisset, à labore infantem in agro, statim reversa est ad fodiendū. Atq; hoc ad usum referri debet. Quod nō solum, tum Hispana rustica: sed in nobili juvencula, in Italia, regione Patavina contigit: dum furtivum cōcubitum, quæ pro Virgine habebatur, tegere conata est. Cardanº lectione 99. text. 7. ad lib. Hipp. de Aëre, Aquis & Locis.

Gravidis Brasilianis, haud ita multus in partu dolor, à puerperio fasta confestim exsurgit, ac domestica obit impigre ministeria. Ejus loco (quod vix credat quisquā) in aliquot dies, velut æger, decūbit maritus. hic officij causa ab amicis & propinquis invisitur, huic sorbitiunculæ dantur ad refovendas vires. huic de gentis more, bellaria & delicata munuscula deferuntur. Maffeus Hist. Indicæ lib. 2.

DE PARTV DIFFICILI.

OBSERVATIO CLXIV.

Partus difficultas, ob vasa umbilicalia fœtui collo involuta.

VXor circa undecimam cœpit sentire partus dolores: circa tertiam peperit cum

satis magna difficultate. Puer fere suffocatus est ob vasa umbilici, duabus vel tribus circumvolutionibus ambientibus collum, sic ut natus clamare non poterat. Secundinam vidi integram, non corruptam, eo modo, quo in Realdo describitur. D. D. Ioan Bauhinus in locupletissimo Observationū suarum Diario, candidissime mihi communicato.

Intestinum Vmbilicale fertur circa superiorem pueri frontem: ideo caput deorsum inclinat, plerumq; intestinum extra remanet, eo motu, quo Monachi caput sibi ipsis detegere solent. Quod si aliquando in descensu capitis, ad posteriora minime feratur; super faciem ad jugulum usque descendit, & circa collum obvoluitur, eodemque pacto cincti pueri nascuntur, stolidis mulieribus vanę prędictionis occasionem præbent. Varolius Anat. lib. 4 cap. 5.

OBSERVATIO CLXV.

Triduum fœtus caput extra naturalia in partu propendens: tandem vi extractus est, salva matris & infantis vita.

TRiduo mater mea laboravit in partu, capite prominente: cum ipsa jam diuturnos ferre dolores non posset: per vim tandem extractus,

tractus, ut meo supplicio matrem liberarem à morte. Cardanus lib. 3. de Vtilitate ex adversis capienda, Titulo de Paupertate.

OBSERVATIO CLXVI.

Gravidæ cuidam fœtus manus per umbilicum exerta est, & quindecim dies ad partum sic stetit, salva matre, vivo & vitali fœtu.

LVtetiæ cuidam mulieri gravidæ fœtus exerta manus est per umbilicum, & quindecim dies ad partum sic stetit, salvaque matre evasit vivus & vitalis. Hollerius inter rara numero 8.

Doctissimus Hollerius præceptor meus, sub finem primi libri de morbis internis refert Mulierem quendam Lutetiæ, cum utero gestaret, fœtum diebus quindecim, antequam in lucem ederetur, brachium per umbilicum matris extensum habuisse, & tamen nihilominus ipsam cum fœtu superstitem remansisse. Quomodo autem enixa sit, aut per quam viam, & an postmodum utero rursus gestarit, speciatim non exponit, quod tamen & investigatione & cognitione dignum erat: id quod facile ab ipso fieri poterat, cum præ foribus exemplum haberet, magna hujus rei utilitate,

tam quod theoricam, quam praxim perpensa. Sed quomodocunque se res habeat, hoc absque magno uteri ulcere fieri non potuit, licet fœtus dein in locum naturalem rursus redierit. Verum ex altera parte res summa admiratione digna est, infantē tam diu superstitem, hoc pacto vivere potuisse, non solum utero, sed & tunicis ipsum involvētibus ruptis, ipsius uteri fundo brachio perforato, alia enim ratione fieri non poterat. Rousletu de partu Cæs. Sect. 4. Hist. 5.

OBSERVATIO CLXVII.

Partus difficultas ob. Omphalocelen in qua fœtus inter enitendum sursum in umbilicum manifeste etiam ad tactum regestus: non nisi singulari industria ad felicem partum dirigi potuit.

AVgustani Tinctoris uxor, ante aliquot annos Omphalocelen ex partu contraxit, & cū ab hinc annis 8 denuo utero gereret, duodecim liberorū mater facta, satisq; commode haberet, nisi quid fascia ad ruptionem idonea uteretur. At vero partus tēpore instante, cum pleraq; felicem partum pollicerentur, aquis pro more profluentibus, ecce fœtus subito sursum ad Omphalocelen abripitur, inibique

que hærens, turgente & expanso in tantum Vmbilico, ut ad tactum fœtus membra exácte dignosci possent, nõ sine matris & fœtus vitæ periculo. Factum autem tandem ut peritiss. fœminæ manu in uterum immissa fœtus singulari dexteritate ab Vmbilico ad locellos revocatus, ægra filiolũ legitimo partu vel hodie superstité enixa sit feliciter. D. D. Thob. Cneulinus.

OBSERVATIO CLXXVIII.

A desperato partu: mulier cum fœtu liberatur.

VOcatus ego ad mulierem civem Taurinensem dictam Castilinã, omnibus civib. notam, imo notissimã, quę cum esset in partu, jam loquelam amiserat, & operationem intellectus, veluti mortua resupina jacebat, oculis apertis, sine sensu & motu. Tetigi & inveni pulsum magnum, plenum & fortem. Habebat penes se Chirurgum, qui expectabat, ut arte embrionem extraheret. Iussi eam sedere in decoctione pulegij regalis decenter calida, & dari per os, dum in ea sederet drach. unam dictamni cum vino cocto. Dixi Chirurgo ut in ejus aurem diceret, su, ca. midur, & statim peperit filium sanum. Et ipsa, Deo favente, sana

facta est. Sunt autem modo plusquam triginta anni, & adhuc vivunt mater & filius: qui est bonus mercator. Bayrus Pract. libr. 15. ca. 9.

OBSERVATIO CLXIX.

De fœtu mortuo in partu, & semihorulæ spatio post revivisente.

VXor mea prior, filia Adolphi Gruben I.V. D. olim Syndici Vratislavienſis, Consiliarij Cæsaris Ferdinandi, quæ feliciter & facile alias pariebat, cum novã prolem paritura esset, Cremsæ, quod obstetrix in ipso partu alio ad Senatoris uxorẽ avocabatur, nec redibat, ab opere feriari aliquot horas cœpit, & cõvocatis alijs duab. obstetricibus, vix agones parturiendi redibant, multoque difficilius pariebat mortuam filiolam, ad quam visendam me mulieres per aream ad Musæum remotius accedentes vocant. ego salvam puerperam cum gaudio, miseram infantem filiolam mortuam hinc & inde lividam tristis intueor, & me colligens dico, malvaticum quod habetis calfacite, & seorsim tum hoc, tum aquam calidam adferte, addam aliquid quo forte vita & calor nativus refocilletur, atque ad Musæum remotius, & ad scrinium in eo quam celerrime propero, inde aufero mecũ pulverẽ cordialẽ qui ℞. sp. cord. tẽperat. diamarg. frigidi an. scrup. ij. diamosch.

diamoſch.d.diambræ ana ſcrup. j. diacinam. drach. ſ.El.reſumtivi,Arom. roſ. ana. ſcrup.ſ. miſce,& f. pul.Reverſus ad infantem mortuū (ſemihorula ſane à partu eſſe elapſa tunc dicitur) jubeo illum in lavacrum partim ex aqua, partim ex malvatico mixtum immitti, lavari ſenſim,& pulverem in cochleari malvat. pleno diſſolutum jubeo in os ſumere obſtetricē & vehementi ac propriori afflatu in faciem infantis mortui inſpuere. Factum,& ſtatim clamat,reviviſcit,& hodie vivit,annos 9.nata, dicta Anna Maria. De Cl. V. Iacobi Horſtij Obſervationum lib.qui D.D.Laurētij Scholtzij opera ad me transmiſſus eſt.

OBSERVATIO CLXX.

Aetite lapidis,in continendo & propellendo fœtu,vis,veterum & recentiorum experimento confirmata.

IAcobus Sylvius in Gallia in uſu quotidiano Ætite lapidis vim probatam ait,ut,ſupra quidem alligatus,fœtum contineat,ad fœminavero, attrahat. Ætites lapis in aquilæ nido repertus, reſonantibus intus minutis lapillis, fœminis lubricis concipiendi vim confert,alligatus pectori,aut ſiniſtro brachio, per quod à corde verſus digitum annularem minimo proximum arteria decurrit. Quibus partibus

si toto gestationis tempore gemma incumbat fœtum fulcit, nec ullus est abortus, aut excutiendi fœtus formido, aut trepidatio. E diverso parturientis femori admotus, expeditum facilemque partum procurat, nulla propemodum enitendi difficultate, aut in angustia, qua res mihi experimento probata est. Cum enim Heroina quædam, toto gestandi uteri decursu, hoc à collo gestamine commoda valetudine usa esset, partuque instante, gemmá adimere atque à pectore amovere neglexisset: sensit illico pariendi difficultatem, infantemque tardius desilire, ita detracta de collo Aetite gemma, eaque admota femori interna parte, non procul à pube, levem placidumque partum consequuta est. Itaque matronis salutarem ejus gemmæ usum judicavi, & quando vel pectori, vel fœminibus applicare convenit. Qua autem vi ista perficiat, si forte requirit, discendique est avidus, ego attrahendi facultate tale quicquam præstare censeo, eadé qua magnes ferrum, Gagates & succinum festucas, ac paleas allicit: quod nemini absurdum videri debet, quum uterus exquisita sentiendi vi polleat, atque rebus odoriferis afficiatur: &c. Levinus Lemnius, lib. 4. cap. 12. de Occult. Nat. Mirac. Idem ex eodem authore aliquoties repetit Antonius Mizaldus.

Lapis

Lapis ætites vel aquilinus habet à Lucina, id est, Venere atque Luna, ut admotus vulvę, partum mox & facillime citet. Quod Rasis, confirmante Serapione, frequentet se dicit expertum. Forsan & à Phœbo, qui transfixit Pythonem. Marsilius Ficinus.

Lapidem aquilæ gestare brachio ligatum (ad vitandum abortum) convenit. Experimẽto tamen novi, valere lapidem (Ætitem) cunei modo insertum illici ubi collo appensus gestaretur. Christoph. de Vega. Lib. 3. Sect. 10. Cap. 21. Art. medendi.

Nec solum ijs, quæ à facultate Elementari facilitandi partus vim habent usus sum, sed & ijs quæ à tota substantia operari dicuntur. Lapidem namque ætitem sinistræ coxæ alligari jussi, & post paululum moræ ptodijt maxima cum angustia membrana monstrosa illa, qua de nunc agimus. Sed mox illa ejecta, lapidem amoveri jussi, si namque diutius perstarer, vi potente sua matricem attraheret : ut in Posoni Ioberti civis Valentini, & Valentiæ Allobrogum Vrbani prætoris uxore perspexi : cui difficili partu laboranti, cum mulierculæ lapidem Ætitem magnum cruri adligassent, & edito partu, per im-

pru-

prudentiam & oblivionem lapidem à crure non amoviſſent, poſt paucas horas prodeunte matrice, mortem miſeræ laboranti attulit. Franciſ. Valleriola Lib. 1. Obſerv. 10.

Eandem vim huic lapidi veteres claſſici autores, Dioſcorides, Plinius, Galenus, Ælianus, Aetius, Conſtantinus, Raſes & plerique alij attribuunt.

OBSERVATIO CLXXI.

Ad partus difficultatem remedia aliquot rara nova aut vulgo incognita.

℞. CInnamomi optimi, trochiſc. de myrrha, croci optimi ana drachmam mediam, omnia optime & ſubtiliter triturentur: & generoſo vino excepta bibenda propinentur, hoc enim epoto, & repetito medicamento, duas peperit puellas omnino luteas, ob quem colorem aſſiſtentes mulieres admirabantur. Cæterum nos colorem hunc à croco ebibito contractum eſſe docuimus, itaque lavatæ puellæ albæ ſunt effectæ. Amat. Luſit. Cent. 5. Curat. 34.

Ariſtolochia cum myrrha & pipere pota ſecundas & fœtus pellit: addo crocum, quod raptim uterum petit, adeo ut cum quædam excludere fœtum non poſſet, dato croco, pro-

prodierit fœtus croco tinctus. Heurnius lib, 2. Meth. ad praxim pag. 184.

Croci extractum rite præparatum, in minima copia datum per os, difficilem partum promovet, corroborádo imprimis vires gravidæ & fœtus. Camerarius in Horto.

Cinnamomi aqua ad parturientes utuntur obstetrices ac mulierculæ, summo cum successu in accelerando juvandoque partu præsentissimum est remedium. Gesnerus.

Olei Cinnamomi guttæ duæ per se ori inditæ in animi parturientis deliquijs, præsentissimum sunt remedium, sicut etiam in accelerãdo partu, &c. Andernacus.

Ad difficultatem pariendi succino mulieres vix quicquam fatentur esse præstantius. Gœbelius.

℞ Succini albi scrup. duos, vel drach. unã, sumatur ex uncia una atque altera aquæ Liliorum alborum, cujus beneficio puerperij purgamenta & fœtum exigi observatum est. Sunt qui hoc remedium ad Venerandũ Gablerum seniorem, doctrina & experientia Cl. Medicum, referant.

Pulvis experientia confirmatus ad partus difficultatem & secundas proliciendas. ℞. Dictamni albi, succini ana drach. unam semis, commistis fiat pulvis, cujus dimidium ex vino cali-

calido, usus tempore sumatur. Ex amici communicatione.

Succinum parturientibus drachmæ semis pondere ex vino albo potui datur, ad fœtum maturandum, partum quoque accelerandũ utile, quod sæpe experientia didicimus. Andernacus.

Fœtum evocat oleum succini, partumque facilem reddit, si gutta ejus ex aqua verbenæ parturienti propinetur.

Idem Oleum succini umbilico inunctum, partũm & secundinam promovet. Manuscri.

Vt mulier pareat & sine dolore expertum. ℞. Gallitrichi q. s. est, contundatur bene, & exprimatur succus, de quo accipito poculum dimidium. & cum vino mulieri parturienti ad bibendum dato. Mox herbam expressam calidam supra umbilicum ligato. Alexius Pedemont.

Pulvis ad facilitandum partum, ejusque dolores, arcanum, è semine Lavendulæ Rondoletij præstantissimũ, minime fallax. ℞. Sem. Lavendulæ drachmam semis, seminis plantaginis & endiviæ an. scrupulos duos, piperis scrupulum unum, fiat pul. capiat cum aquis sequentibus. ℞. Aquarum Caprifolij & Endiviæ an. uncias tres.

Alius efficatior pulvis: Ourachus cũ duobus va-

bus vasis cnnjunctis abluetur vino albo, in fictili novo uritur in clibano; denuo aqua Endiviæ & vino abluitur, servetur usui. ℞. Cineris urachi drach. duas. Cinnamomi drach. semis, piperis longi & galangæ an drach. unam, seminis plātag. & endiviæ an drach. unā semis, seminis Lavēdulę scrup. quatuor, fiat pulvis, c. cū aquis prædictis, & vino albo si febris desit.

Fortissimus ad secundinas & fœtus mortuos. ℞. Conf. Alkermes & pul. præscripti an scrup. duos, Boracis, Trochis. è myrrha scrup. unum semis, Castorei scrup. unum, cum aqua Buglossi Arthemisiæ & vino albo sumatur. Lobelius in Adversar. stirpium.

Certo mihi superiore anno cōfirmavit nobilis matrona Ioanna, relicta Nobilis viri Georgij à Neüneck vidua, ex familia Bubenhoferum ortæ: se multis in partu difficili, fœtum jam ad exitum recte conversō, exhibuisse cū aquis stillatitijs Lilij convallij & Lilij albi partibus æqualibus acceptis, pilos albos mustelæ sylvestris magnitudine (nō dense convolutos, extremi articuli medij digiti sic .n. describebat dosin) statimq; excluſum fœtū: & quod mirū sit, pilos semp instar fungi, prodeuntis fœtꝰ capiti adhęsisse. Hoc se maximū secretū habere. Feciſſem & ipse interea tēporis experimētū, nisi pili defuissent. D. D. Iacob. Suterus.

Velim

Velim ut notetis unum de borace officinarum, & est quod vidi aliquando quendam medicum Hetruscum, qui exhibebat unum scrupulum pulveris ipsius in decocto alicujus rei calefacientis, ut matricariæ, vel sabinæ, vel alterius. exhibebat inquã, mulieribus illis quę non poterant parere, & medicus ille mira faciebat hoc medicamento, ita ut brevi temporis spatio fœtus egrederetur, vel vivus vel mortuus, & ille medicus tenebat admodum secretum tale remedium. Tamen nescio quomodo postea detectum fuerit. Itaque propono & ego vobis medicamentum præstantissimum ad deijciendum fœtum. Fallopius.

Idem remedium commendatur, & nonnullis additis & detractis celebratur Occoni, Victorio, Montuo, VVirsungio, Conradino, & alijs, quos consulere poteris.

OBSERVATIO CLXXII.

Ancillæ puellæ Estymargei historia & curatio, cui à puerperio secunda retenta fuit.

QVi viribus humorum copia gravatis tremunt, his vacuationes remedio sunt: quemadmodum & Hippocrates alibi docet his verbis: Estymargei ancillæ, cui neque sanguis fluxerat, postquam filium peperisset: os au-

os autem vulvæ aversum erat, ac dolor in coxam & crus pertingebat, ex talo sanguis detractus profuit, & sit remores totum corpus occuparent. Sed ad causam veniẽdum & causæ occasionem. Mulieris meminit, quod à partu celebri illa secundarum puerperij purgatione vacuata non esset: deinde tremor oboriretur. Hanc, inquit, sanavi sanguine ex talo detracto: etsi tremores totum corpus occuparent. Galenus lib. de Tremor. palp. convul. & reg. cap. 5.

OBSERVATIO CLXXIII.

Ad secundinas à partu hærentes: de historiâ & experimento selecta & nova aliquot remedia.

PRæcipua dictamno vis est, ut etiam transversos (non modo emortuos) partus & secundas ejiciat, & ne in prægnantium quidem cubiculum inferendum, quippe quod abortum cieat: bibitur ex aqua foliorum obulus. Nec potu tantum, sed & illitu & suffitu valet. Quo præcipuo, dum hæc ederemus, cujusdã mulieris secundam tribus diebus post abortum moratam, tandem, divino annuente numine, pepulimus. Lud. Bonaciolus, Enneadis muliebris cap. 8.

Ventriculus Quappæ piſcis (qui vulgo dicitur ein Treuſch oder Rufolck) cum ſuis appendicibus miras habet vires. Inveteratus enim, ut fit in Saxonia à matronis, trahit mirifice ſecundas hærentes aut relictas in partu, in potu datus. Et magni momenti eſt ad omnia vitia matricis. Encelius lib. 3. cap. 52. de Metallicis.

Equi caſtrati teſticulorum fruſtillatim cõciſorum & in furno ſiccatorum pollen, ad ſecundas pellendas è jure bibendus datur, quãtum tribus digitis capitur, idque, ſi opus ſit, bis aut ter repetitur. Præſentiſſimum eſt remedium, & plurimis jam deploratis profuit. Accepi hoc anno primum è Rhetia Alpina noſtra: ubi ruſticus quidam plus quam in quinquaginta puerperis feliciter ſemper uſus eſt. Cõmunicavit mihi illic miniſter Eccleſiæ Vir doctus & Philiatros, qui & ipſe experimẽtum in Vxore Conſulis Curiæ jam deplorata vidit; Et ego his diebus Vxori D. VVolphij Medici apud nos dedi, quæ ſtatim, ut ſemel accepit, ſecundas enixa eſt. An in ipſo etiam fœtu promovendo idem poſſit, nondum expertus ſum. Hoc tanquam myſterium habendum. Geſner. in Epiſt. ad Gaſſerum pag. 27.

Mitto patris mei ſingulariſſimum illud ſecretum ad ſecundas pellendas, quo liberare ſole-

solebat omnes certissimo & admirabili eventu. ne vero desideres quicquam à me, quod non consequeris, scias pulverem hunc esse testiculorum equi exiccatorum in furno, ubi prius fuerint in minutissimas partes redacti, dato quantum tribus digitis capi potest, sic ille præcipiebat: meo judicio est drachma una. Horat. Augenius Lib. 7. Epist. 4. ad Iulium Pichinum.

Vt mulier fœtum, sive vivus is sit, sive mortuus, enitatur: succini albi, & fimi accipitris albi, an. drach. semis, ex vino hauriendâ præbe, & indubie prodibit. Nicol. de Metri.

Si retineantur secũdæ, fimi accipitris scrup. unum propina Aut drach. ejusdem j. (in pessi forma) suppone. Sym. Campegius. Fimus ejus cũ vino dulci pot⁹, partũ accelerat. Kiranides.

OBSERVATIO CLXXIV.

De mortuo fœtu medicamentorum vi ex utero pulso, historia.

ANno Domini M.D.XC. mense Ianuario: Tigurini hospitis publici uxor parturiebat, fœtus autẽ in utero jã mortuus erat. Altero die ad eã vocatus, mutescentem reperi, ut verbulũ eloqui nõ posset, manu tamẽ significabat (intelligebat. n. quæ dicebantur) præcordia valde affici, quasi præfocaretur, quanquã respiratio satis bona esset, & pulsus quoq;.

Cibi nihil admittebat, jusculum si in os sumsisset, mox reijciebat. Morituram omnes arbitrabamur. Leviora quædam remedia eo die adhibui, verum sine successu. R. espuebat alioqui medicamenta per os sumta. Ob periculi tamen magnitudinem longiorisque vitæ cupiditatem, aliquid se admissuram nutu significavit. Dedi itaque castorei drachmam ex aqua Melissæ, si hoc forte mortuum fœtum extrusisset. sumsit, retinuit, sed nihil inde sequutum. Tertio tamen die loquendi facultas redijt, cibum accepit, continuit. Rogavi an vellet aliquantisper in balneo ex herbis parato sedere (cum medicamenta ægre assumeret, balneum autem mulieribus his sit longe gratissimum) festinandum enim esse, curandumque ut fœtus aliqua ratione educatur, alioqui vitæ periculum esse præsentissimum. Matronæ quidem assistentes libenter disuasissent. sed quia morituram omnino sibi persuaserant, non sunt reluctatæ: ægrota vero ipsa illico respondit se libenter facturam. Paravi itaque mox balneum ex radicibus & herbis, quæ ad expellendos mortuos fœtus, menses & secundas faciunt, alia quidem assumta, alia apposita, alia in desessionibus, alia aliter: his vero usus sum. Radicum Aristolochiæ rotundæ, Cyclamini, Hellebori albi, ana unciam unam.

Arthe-

Artheмisiæ, Pulegij, Calaminthæ, Altheę, Sabinæ, Chamæmeli, Malvæ, ana manipulum unum. Trita omnia & mixta in sacculum conjeci, & in aquę ſ.q. decoxi. Ingressa est in balneum statim, moderate calidum, mansit brevi temporis spatio, diutius non poterat ob viriũ imbecillitatem, & sedendi impotentiam, quia verenda ante & retro tumebant. Vbi egressa est, meli[illegible]ule se habere confessa est. Non multo po[illegible]ngressa est secundo, & multo adhuc melius [illegible]abuit, & à præcordiorum affectu liberata est. Venter erat durus, rotundus, absque dolore. Ad vesperam ad illam reversus, & de his omnibus certior factus, ægrotã sum adhortatus ut tertio ingrederetur, & dum in balneo sederet sumeret aliquid, quod daturus essem, parum quid & non ingratum, me enim spei multum concepisse. Obtemperavit, dedique in balneo sedenti pulveris foliorum Dictamni Cretici obolum ex aqua fontis, scrupuli scilicet dimidium, quod remediũ ad mortuos transversosq; fœtus expellendos Plinius lib. 26. cap. ultimo efficax esse scribit. Quibus peractis speravit illa rem ex voto successuram, omnia enim ad imum ventrem vergere videbantur. Ea nocte satis commode habuit, sed non dormivit. Ante diluculum mortuum fœtum feliciter expulit, ut si naturaliter

vivum peperisset, cum secundis & copioso fluxu. Mirati sumus omnes vehementer, cum nemo illam victuram speraſſet. Hæc quia raro contingunt & diligentem curationem postulant, annotare hic libuit, ut in similibus casib. iisdem remedijs medici uti possent, qui præsertim nihil unquam tale sunt experti. Sunt quidem alia plurima quæ fœtus mortuos expellũt, ut in nostro de morbis mulieribus libro habetur, sed hæc & cõmode, & celici cum evẽtu administrata fuere. Dictam. rũ facile sumitur, ægre vero Aristolochia Gentiana & similia, quæ vel nimis amara, vel fœtẽtia, vel nimis acria, vel stomacho inimica sunt, & aliquo modo nocere possunt. Castoriũ quidem sumsit, sed semimortua, & infusũ potius quã haustũ. Thaddæ. Dunus libro Miscellaneorũ c. 21.

OBSERVATIO CLXXV.

Sterilis quædam mulier, medicamentis fœcunda & gravida facta, tribus tumoribus in ventre subortis, tandem partus difficultate una cũ fœtu moritur, à cuius morte post exauditũ crepitum fœtus dentatus in lucẽ exivit. Alia itẽ laborioso partu mortua, perinde fœtum mortuum una cum utero & inteſtinis excuſſit.

MVlier quædã nobilis in sterili cõjugio vivẽs, & prolẽ magnopere expetẽs, adhibi-

tis balneis,& varijs medicamẽtis,ſibi à mulie-tib.arte medica abutentib⁹,præſcriptis:tandẽ facta eſt gravida,ſed eodẽ tẽpore tres tumo-res,unus ſub umbilico,alij duo in utroq; hy-pochõdrio ejus deprehẽſi ſunt.Poſt partũ tu-mores nõ modo evanuerũt,ſed&incrementũ ſenſerunt. Cumq; graviſſimos ſæpe dolores excitarẽt,uſa eſt Medicorũ cõſilijs, & dolores quidẽ aliquãdo mitigati,ſed tumores nõ ſub-lati ſunt. Tandẽ cũ ſecundo utero gereret, & difficili partu diu laboraret,virib.proſtratis& doloribus victa,una cum infante è vita exceſ-ſit,circa horã quintã veſpertinã. Remota igi-tur è lecto,&in aliud conclave tranſlata,adhi-bitis cuſtodibus jacuit per noctẽ,uſq; ad horã terriam matutinam. Tunc audito magno cre-pitu infans mortuus,duos dentes anteriores in ore habẽs,ex utero matris mortuæ ptodijt.

Simili fato alia quædã nobilis fœmina diffi-cili partu p biduũ laborãs,una cũ fœtu perijt, & poſt aliquot horas infans,una cum utero & inteſtinis erupit.Huic mulieri,cũ adhuc eſſet virgo,fere quotidie plurimũ ſanguinis è nari-bus effluxit,ob id etiã ſemp fuit pallida. Cũq; aliquãdo nares cõprimeret; prope tẽpora,nõ procul à dextro oculo,ſanguis p porũ,tanquã p foramẽ acu factũ,penetravit.Cl.V.D.D.Io-an. Franco Hildeſio Cameniceno obſervata exempla.

DE FOETIBVS IN VTERO PVTREFACTIS, MATRIBVS SÆPE PERNICIOSIS: ALIQVANDO VERO SALVIS: IISDEMQVE AVT PER TVMORES VENTRIS EXCRETIS: AVT COLLIQVATIONE CVM OSSICVLIS PER ALVVN AVT VVLVAM EXPVLSIS: VEL RECENTIBVS ADHVC, ALTERVTRO SERVATO, PER CHIRVRGIAM AVT MANVVM SOLERTIAM LIBERATIS: VEL DENIQVE VTROQVE PER NOVAM HYSTEROTOMOTOKIAN EDVCTIS SERVATISQVE: HISTORIÆ STVPENDÆ ET ADMIRATIONEM OMNEM, PRÆTER EAM QVÆ INDE AD HVMANVM GENVS REDVNDAT VTILITATEM SVMMAM, VINCENTES: ANTIQVITATEM ETIAM IN HOC ARGVMENTO LONGE POST SE RELINQVENTES, ILLVSTRANTESQVE NONNVNQVAM.

OB-

OBSERVATIO CLXXVI.

Historiæ Mulierum, quæ seipsis ignorantibus utero gestarunt, in quibus fœtus mortuus & putridus causa fuit ut & uterus in corpore putresceret, ita ut temporis progressu interierint.

LVdovica Pouppard, Nicolai Sevin Cam̃pi vastati dicti Aurelianensis uxor, cum propter febrem quartanam, qua detinebatur, Menstrua suppressa esse (quod plerunque usuvenire solet) existimaret: tamen conceperat. Verum cum se gravidam nõ suspicaretur, usa medicamentis, venæ sectione, remedijsq; topicis, quibus tam in febri quartana, quam in hepatis & splenis duritie (quæ hujus morbi sunt symtomata) Medici uti consuevere. Durities autem hæc, licet esset propter fœtum in Vtero contentum, (quod non agnoscebatur) tamen Scirrhus censebatur, aut alia colluvies, quæ ex putata Symtomatica Menstruorũ suppressione esset orta. Tandem fœtu mortuo, mollioribusq; ipsius partibus putrefactis, nec ullis ipsius partus signis conspicuis, ossa tractu temporis denudata fuere, & Vterum posteriora versus circa regionẽ recti intestini perforarunt, ita ut sensim per alvum, una cum excrementis ossa fuerint excreta, & inter cæte-

ra, os tibiæ integrũ fuit rejectum. Cum ita diu cum morbo fuisset conflictata, interijt: cujus corpus 8. Idus Febr. Anni 1565 per Florẽtium Philippum & Michaelem Pichardũ apertum fuit: à quibus nil nisi ossa putrida, & præcipue capitis ossa fuere inventa, idque magna cum admiratione, quomodo in hoc cœno Uteri putrefacti subsistere potuerint. Videtur sane mulierem, quo ad hũc affectum, gastrotomia curari potuisse, si tempestive malum cognitũ fuisset, hocque auxiliũ foret usitatum, & cum judicio adhibitum.

Catharina de Fiefs, domina de Onci prope Millyum, cum secundas contraxisset nuptias, eodem tempore & in morbum incidit, & gravida reddita': non tamen se Utero gestare suspicans: quare non secus, quã in prædicta Aureliæ factum erat, ita & ipsa Lutetiæ infinitis remedijs & quidem Diæta sudorifica (auxiliũ adversus morbum quærens) usa est: etsi nõ deessent ex Obstetricibus Reginæ aliquæ, quæ gravidam ipsam pronunciarent, eo quod symtomata ea, quæ utero gerentibus accidere solent, in ipsa observarent, idq; à tempore suppressorum menstruorum, donec etiam Lac in mammis observatur, & usq; ad nonum mensem: quo tẽpore omnia illa Symtomata desiere, una cum motu ipsius fœtus: dein dolores

partus

partus irriti tum supervenere, & statim post, omnia signa fœtus emortui observare licuit, attamen horum omnium signorum ratio non habebatur. Quare cum Lutetia domũ redijsset, adhuc fœtum mortuum Vtero gestavit, idque quindecim mẽsium spatio à die ipsius interitus suppuratione facta, præter anteactos novem menses, quibus in utero materno vixerat. Sic partes molliores putrefactæ per inferiora ejiciebantur, quæ (non absq; ratione aliqua) per Dominum Ponetum Medicũ Melodunensem doctissimum, pro sanie ex Vteri ulcere promanante habebatur: quemadmodũ ossa quę remanserant Scirrhũ Lienis esse censebat. Tandem extincta cum esset, 5. Non. Octobr. Anni 1570. à Luca Campano & Iacobo Dazier Tonsoribus Millyensibus, prẹsentibus Dominis de Vertau, & la Gainiere, plurimisq; alijs aperta fuit. Quare copiosa adhuc sanies in abdomine reperta absq; Vtero, & fœtus ossa aliqua jam putrida, aliqua vero integra erant: & inter hæc ossa unũ ex ossibus claviculæ jam lividum, Peritonæum & abdominis Musculos jam perforarat, ita ut sola cutis integra remãserit, qui in latere sinistro forinsecus conspiciebatur, quod jam pridẽ pro splenis scirrho habebatur. Francisc Rousset. de partu Cæs. Sect. 4 cap. 2.

Sarto-

Sartoris Basilienſis uxor, Catharina Frechin, annorum circiter triginta, quæ quater prius pepererat, quinto gravida facta, cum jã pariendi tempus inſtaret, atque in ipſo labore fœtus quandam convolutionem, levesque aliquot pariendi conatus ſentiret, tandem ijs omnibus ceſſantibus, rurſum ad ſe redijt, ita ut licet plerunque ſe in lecto & hypocauſto ob imbecillitatem quandam contineret, nullis tamen agitaretur doloribus, idq; menſium decem ſpatio. Quo tempore intermedio, cum an gravida eſſet, ex eo quod ſupra uteri geſtationis tempus tamdiu ſuperſtes maneret mulier, nec graviora pateretur accidentia, in quæſtionem veniret, & de mola, aliove aliquo tumore inter Obſtetrices conſultaretur, tandem conſilio meo habito (licet eam vivã non viderim) de fœtu mortuo pronunciavi: exhibitisque medicamentis fœtum propellentibus, menſes primum promovi; quibus fluentibus, adeo levata fuit, ut tribus inde ſeptimanis cibum ſine faſtidio ſumeret, ambularet, & in publicum quoque ſine moleſtia prodiret: poſtmodum denuo rogatus, peſſaria ſubjeci, unde mox chorda umbilicalis propẽdere cœpit: quæ tamen cum putris eſſet, tandẽ amiſſa fuit. Verum cum nullus ſequeretur abortus, nulluſq; eſſet omnino fœtum excludendi conatus,

natus, ut is promoveretur, mulier quædam ventrem illi varijs modis aliquoties compressit, deorsumque impulit. Quo facto, fluor uterinus, in quo putris, alba, fœtidissimaq; materia ex utero profluebat, subortus est, quo octo septimanarum spatio perseverante, accedente interim febre, corpus adeo cõtabuit, ut nihil præter durissimum tumorem è transverso umbilici in ventre amplius emineret, ac demum viginti septimanarũ spatio supra decimum mensem, quo uterum gestarat, tempore exacto, exspiraret. Rogatus ut corpus aperirem, primo ventris intuitu, vesicas geminas lividas in latere umbilici, ubi tumor durus, inæqualis adhuc transversim eminebat, deprehendi: quibus levi negotio, cum tenuissimæ essent, disruptis, statim vertebræ ipsius fœtus, una cum scapulis & costis obviæ erant. Transversim enim collocatus & supinus, dorso inflexo, uti in orbem convolutus jacebat, versus exteriora prominebat. Qui exemtus diductusque, adeo putris erat, ut prẽter cutem & ossa, quæ tamen levi negotio dissolvebantur, & quod fœmella erat, nihil alias liceret, vel fœtor immensus sineret cognoscere. Hoc saltem manifestum erat, transversum illius situm, atq; eximiam magnitudinem, quam longitudo illius, & capitis amplitudo, prolixis admodum

modum capillis jam ornata, declarabant, impedimento fuisse, quo minus in partu prodire potuerit. Sicque retentum viginti septimanarum spatio, computruisse, & simul vicinas partes undique infeciisse. Cum universus uterus una cum involucris & omenti portione aliqua, musculisque epigastrij illius loci desiderarentur, totaque illa regio pure, fœtore & nigredine infecta essent, & ad extimam usque cutem, ubi vesicæ apparuerãt livescentes, corrupta. Quo in loco, si sectio ante extremam illam viscerum corruptionem facta fuisset, fœtus eximi, matre fortassis superstite manente, potuisset.

Historiam hanc cõmunicavit Cl. Felix Platerus: sed & egomet ossa cranij capillis ornata, post aliquot dies adhuc summe fœtentia, licet diligenter abluta forent, vidi. Caspatus Bauhinus in Appendice ad Part. Cæsar. Rousseti.

OBSERVATIO CLXXVII.

Mulieres, quarum aliquæ puerperæ fuere, aliquæ vero non, quæ Apostematibus Uteri laborantes apertæ fuere cauterio actuali abdomini impresso, quæ tamen non modo

non

non mortuæ, verumetiam nec facultate concipiendi privatæ fuere.

Ioan. Albosius, Rousseto S.

NOn minus admiratione dignus est, quam tua sit Cæsarea sectio, casus ille, qui juxta ædes meas accidit: Mulier Vtero gerens, cum aut propter grandiorem ætatem, aut aliam ob causam parere aliter non potuisset, nisi frustatim partibus ipsius fœtus exclusis: utraque latera ipsius infimi ventris valde tumida habuit, propter vim ferreis instrumentis illatam, præsentibus etiam omnibus signis, apostema ostendentibus, quod etiã cum ductibus naturæ cõmunionem habebat. Quare cum ipsius infimi ventris pars affecta, cauterio, & quidem amplo facto vulnere, aperta fuisset, magna puris quantitas effluxit, sed nõ minor puris quãtitas, quæ ejusdem & substãtiæ & coloris fuit, per Vterum profluxit. Verum pati noluit, ut speculo matrici indito, quantus esset ipsius sinus, experiter: nihilominus tamẽ satis conspicuum erat, & apostema & vulnus cauterio inflictum ad uterum usq; vergere, quod ex symptomatibus, quæ successive accidebant, & etiam excrementis similibus, colligi potuit: dein etiam ex eo, quod pari pacto, eodemque tempore utraq; pars affecta fuerit percurata.

Quare

Quare cum ita se res habeat, uti vidi, mirum non est, quod in tua gastrotomia tradis, cum longe difficilius sit, tale ulcus, quam simplex ejusdem partis vulnus, curari. Vale.

Cum cuidam Nicolaæ, Simonis Pistoris Senonensis uxori infans mortuus, instrumentis ferreis violenter foret extractus, absque lochiorum fluxu & secundinæ extractione: tum intra dies quinque ex utraque parte infimi Ventris, magnus tumor obortus cum Apostematis signis evidentissimis. Quare cauterio actuali, uni ex lateribus profundissime impresso, ex Apostemate aperto, Chirurgus copiosum sanguinem grumosum, putridum & fœtidum manu extraxit: ita tamen ut alterius lateris tumor non consideret, nec etiam secundinam educere posset: quare & alterum latus ipsum aperire oportuit, unde secundinã extraxit. Hoc tamen non sine extremis doloribus, in tam ancipiti & desperato casu evenit: semianimis enim remansit, triennio se lecto continuit: biennio vero post, fulcris innixa, obambulabat: postmodum scipioni solum innitebatur, & sic tandem successive sanitatẽ pristinam adepta est, ita ut ab eo postmodum tempore plures habuerit infantes, inter quos unus Sebastianus nomine, qui adhuc & in vivis est, & in hac urbe habitat. Vale.

Nicolaus

Nicolaus Villanovanus, Rousseto salutem. Mirum in modum, &c. Sed ut ad rem veniam, fateor me tanto, ex quo vixi tempore, nũquam vidisse mulierem, quæ per latus enixa sit, & superstes remanserit, ut ad me scribis. Memoria quidem recolo, quod cum Dominæ de Piles moniali, infimus Venter mirum in modum intumuisset, jussu meo Mauricium Valdreaci Chirurgum, Abdomen cauterio actuali ad Vteri fundum adacto, aperuisse: unde tam per vulnus, quam partes inferiores, ultra septem libras puris, quod semper simile fuit, emanavit: & ut de loco affecto certiores essemus, specillo partem inferiorem dilatavimus, ita ut facile magnitudinem ipsius ulceris Vterini conspexerius, quod sex mensium spacio percuravimus: ab illo tempore filiam enixa, quæ adhuc superstes est. Anno 1532. hoc accidit.

Simile accidisse uxori Pharmacopœi de Brisset nomine Montelimarti habitantis, & etiam curatam fuisse attestor: cui contra duorum Medicorum consilium, qui eam tractabant consentiente tamen marito, simili cauterio usque ad interiorem Vteri partem adacto, Hypogastrium aperiri curavi: unde pus usq; ad spondę pedes exilijt, & eodem tempore admiranda sanici copia inferne profluxit.

Hæc trimestri spatio curata, statim post concepit: nam exinde tres filios, unamque filiam enixa est: accidit anno 1558.

Franciscus Rousset. Sect. 4. cap. 3. de Partu Cæsar.

OBSERVATIO CLXXVIII.

Historiæ Gravidarum quibus vel ob partus difficultatem, vel casum aliquem, fœtus mortuus & putridus, aliquandiu gestatus, etiam putrescente utero, circa umbilicum, abdomen, imum ventrem & inguina tumores, aut vesicas excitarunt: ex quibus, vel sponte, vel arte suppuratis apertisque, putridi fœtus cum ossibus exemti: consolidatisque ulceribus, matres, absque sterilitatis noxa convaluere.

VIdi mulierem fœtum mortuum utero etiamnum gerentem, nihilominus denuo imprægnatam: eundemque fœtum ex secundo conceptu genitum mortuum: huic multo tempore post apostema in umbilico obortum & inflatum suppuratum est. Vocatus itaque ad curationem diu ejusdem medicationi institi, neque tamen ad consolidationem ulcus deduci potuit. Itaque emplastra vehe-

vehementer attrahentia adhibui, quorum beneficio paucis post diebus ossicula prodierunt. Admiratione igitur ductus, cum ventrem ossibus carere scirem, rem diligentius & multifariam expendi, deprehendique ossicula illa non nisi ex fœtuum mortuorum cadaverulis provenisse. Causa itaque morbi certo cognita, medendique ratione inventa, ossicula plurima per intervalla ex apostemate eduxi: muliere indies melius habēte, quæ postmodum diu adhuc supervixit: ulcus vero subinde nonnihil putrilaginis ex sese remisit. Albucasis lib. 2. cap. 76. Chirurgiæ.

Mirum naturæ exemplum referam, cuidam Venetæ Matronæ, quæ cum partum legitimum exclusisset, alter inclusus intra uterum mansit mortuus, qui in magnis puerperæ difficultatibus tabefactus fluore quodam profluxit ex naturalibus oris, demum ortis in ventre tribus fistulis, ex una, quæ omnium maxima erat, integra infantis calvaria extracta est, cunctis mirantibus, deinde singulis diebus reliqua ossa demta sunt. unde mirabili naturæ opere sanitati restituta est. Alexander Benedictus libr. 25. cap. 53. De Curand. Morb.

Non absimilis tuæ Viennensis illius hi-

ſtoriæ,ante annos plus minus viginti ſex,apud nos quoque contigit in Comitatu Feldkirchenſi, qui immediate Sereniſſimo noſtro D. Regi,attinet.Nam mulierecula quædam, cui à mariti familia Pflegerin cognomen erat,quę-que in pago Gettzig ſub arce Montis fortis tũ habitabat,vere impręgnata ad decimum uſq; menſem, ſatis incolumis pro ſua conditione ſibi viſa eſt. Ac inſtãte tandem partus tempore,juſti dolores,nec non humorũ excretiones cõſuetæ,præſentibus & agnatis & obſtetrice, nulla aborſus ſuſpicione innata, per aliquot horas illam debito exagitarũt modo.Cum aũt incaſſum diutius laborare videretur, aſtantes vicinæ ad fortius enitẽdum ſubinde illam adhortatæ ſunt: imo pro ſua ruditate,tam inceſſanter ægram ad cogendum accelerandumq; partum impulerunt,ac miſeram mulierculam ad ejuſmodi animi diliquia,tamq;crebras ſyncopas ſua iſta importunitate adegerunt, ut nõ ſolũ fœtus inſcijs illis ſuffocatus ſit, ſed & mater etiam evidenter de vita periclitaretur:idq; defectu Medicorum omnium,in tertium, aut forte plures uſque dies factitatum eſt, donec commiſerantibus cunctis,ægra illa ſoli Naturæ & Divinæ clemẽtiæ, tanquam omnino deſperata,relinqueretur: ac veluti omni momẽto moribunda, offulis ac gallinarum juſculis

per

per intervalla refocillata solum sit. Et sic misera illa per reliquum puerperij spacium utcunque curata, paulatim dolores remittere, menstruorum tamen fluxum perseverare sensit: & quæ est omnipotentis ineffabilis bonitas, nullius Medicinæ beneficio post aliquot septimanas, indies magis ac magis, habere melius cœpit: donec & muliebre profluviũ cessarit, & dolores magna ex parte evanuerint quoque: adeo ut illa domesticis negotijs iterũ qualicunq; valetudine pręesse fategerit; ac decrescente insuper nonnihil uteri mole, cuncta sibi prospera ad integrum fere annũ repromiserit. Quo tamen non plene evoluto, tumor quidam particularũ in sinistra inferioris ventris parte, paulo supra inguina apparere de novo cœpit: qui dum quotidie augeri, & demum etiam doloré apostemarosum cum cutis livore superinducere pergeret: ibi mulier illa de fœtu nihil amplius sollicita, chirurgi auxilium invocavit primum. Is fuit magister Nicolaus Clœs, civis Feldkirchiensis, suæ artis peritissimus: qui sæpissime quoq; strenuissimi quondã militis Marci Pfittaci ab Emss castra, tam in Vngariam quã in Italiam, non infeliciter secutus est. Is, inquã, vigentibus tum accidentibus, quę generationé puris concomitari solẽt, tum ingenti necessitate abscessum illũ jam ad huma-

ni capitis magnitudinem excrescentē, omnino detumefacta alvo, decussatim novacula, ut in fungorum apertione usus obtinet, discidit: quo facto, tanta fœtidissimæ virulentiæ copia effluxisse fertur, ut præsentium nullus, nedum ægrota mulier, aut ipsemet chirurgus facile sufferre potuerit. Nihilominus tamē ulcus illud sordidissimū, prefatus chirurgus mundificare & abstergere pro more non destitit: quousq; intra pauculos dies semiputrida quoq; ac corrosa ossicula, una cum pure exire cœperūt. Quæ cum is, remittentibus indies tum dolore tum fœtore, unde nam in ventrē, concavitatē nimirū exossem perveniissent, stupidus miraretur: en tandem erumpentibus integris ribiarū ossibus, posterioribusq; calvariæ fragmētis, manifeste deprehēdit, ea ipsa reliquias esse fœtus illius, quē mulier ea ante annū peperisse debebat. Vnde vehemētiore admiratione captus, decoctiones, loturas, & unguēta, qua potuit solertia, pro ulceris profundissimi mūdificatione exsiccationeq; semper adhibuit, donec illud, fœmina nihil ultra conquerēte, per sese ad consolidationē properare animadvertit. Ibi cicatrisationi, quam vocant, invigilans, mulierem eam omnino persanavit. Quę posthac plures superstes fuit annos, ac redeūtibus in ordinem naturalem menstruis purgationi-

bus,

bus, ni fallor, feliciter postea quoq; vivum adhuc enixa puerum est. Hæc, Matthia doctissime, non relatione tantum aliorum recito, sed prænominatam mulierculam vivam & valentem, una cum particulis ossiculorum prioris illius infantis sui coram vidi, & allocutus sum. Factaq; super prædicto negotio sufficienti inquisitione, nõ modo quæ jam ab alijs fide dignis hominibus perceperam, credere didici: verumetiam verissima esse, oculari demõstratione asserere possum. Nec dubito, quin tota ea regio, si opus sit, testimonium abunde narrationi huic perhibitura sit. Achilles P. Gassarus, ad D. Matthiam Cornacem.

In suburbijs Sullianis ad Ligerim Margarita Prevost, Petri Doreti molitoris uxor, cum manifesto gravida esset, & tamẽ tempore partus eniti non potuisset, quomodocunque à mulieribus ipsi succurreretur, sensim in gravissimum incidit morbum, ut tandem venter adeo extenderetur, propter fœtum & ipsius tunicas putrescentes, ita ut præter totius Abdominis tumorem, octavo, nonove mẽse circa regionem umbilici, peculiaris tumor, valde elatus, obortus sit, similis abscessui molli rubro, ut jam ad apertionem maturus videretur. Quare abscessus hic anno 1550. die nativitatis Christi ab Ithierio Gallometo, ejus loci Chi-

rurgo cauterio actuali apertus fuit, qui puris incredibilem quantitatem, scutellis exemit: altera vero die, cum vulneris rationem esset habiturus, qualesnam essẽt pili, qui circa vulnus conspiciebantur, inquirere voluit, quare fœtus caput jam putrescens esse reperit, quod tum per vulnus dilatatũ extraxit, cum reliqui cadaveris parte, quod filiam fuisse agnitum. attamen brevi temporis spatio convaluit. Hęc post mortem Doreti mariti, rursus alteri nupsit, & circiter annos adhuc viginti septẽ, corpore sano supervixit, quæ modo nuper nimirum anno Christi 1577. diarrhœa perijt. Verum ipsa ut nec prius, ita nec postmodum utero gestavit. Cujus rei testes plures fide digni eo loci habẽtur, & præsertim Gratiana Thecbalda, prædicti Gallometi Chirurgi uxor. Verum si quis sit, qui Chirurgi sibi incogniti testimonium contemnat, (licet eo loci celebris fuerit) acquiescendum tamẽ ipsi erit, ei, quod succincte suo more, doctissimus Hollerius præceptor meus, sub finem 1. libr. de Morbis internis scriptum reliquit. Refert Mulierem quandam Lutetiæ cum utero gestaret, fœtum diebus quindecim antequam in lucem ederetur, brachium per umbilicum matris extensum habuisse, & tamẽ nihilominus ipsam una cum fœtu superstitem remansisse. Quomodo autem

autem enixa sit, aut per quam viam, & an postmodum rursus utero gestarit, speciatim non exponit, quod tamen & investigatione & cõsignatione dignum erat: id quod facile ab ipso fieri poterat, cum præ foribus exemplum haberet: magna hujus rei utilitate, tam quoad theoriam, quam praxin perpensa. Sed quomodocunque se res habeat, hoc absque magno uteri ulcere fieri non potuit: licet fœtus dein in locum naturalem rursus redierit. Verum ex altera parte res summa admiratione digna est, infantem tamdiu superstitem, hoc pacto vivere potuisse, non solum utero sed & tunicis ipsum involventibus ruptis, ipsius uteri fundo brachio perforato: alia enim ratione fieri non poterat.

Referam adhuc historiam similem, absque contradictione veram, ex relatione Illustrissimæ & heroicæ Principissæ, quæ ex Illustri Bourbonia stirpe est, Guysiana usufructuaria, (quæ licet ætate sit grandęva, sano tamen corpore & animo est, quod admiratione dignum & heroicis hujus sæculi personis exempli loco esse debet) quam ex doctissimo ipsius Medico D. Bunoto cognovi, qui ad urbẽ id quod ex ipsa speciatim cognoverat, & quod etiam nuper denuo ab illa narratum & affirmirmatum ipsi fuit, ad me transcripsit. Historia sic se habet.

Cum ſua Celſitudo ante matrimonium, annorum jam eſſet viginti,& apud matrē adhuc educaretur , Pheræ urbi Picardiæ,& in Templo eſſet,vidit matri ſuæ adduci juvencá ægrotam,pallidam,proſtratis viribus,tumentem,tantiſque doloribus divexatam , itaut nec quis morbus eſſet noſceretur , nec ſpes ulla ſalutis ſupereſſet.Quare Princeps miſericordia mota, eam Obſtetricibus inſpiciendá tradidit,quæ rem uti ſe habebat , patefecere: ægrotam nimirum,quæ virgo cenſebatur,fœtum adultum , & à longo tempore mortuum & putridum utero geſtare , ita ut oſſa utero perforato , ad latus umbilici couſpicerentur: ex quo loco ipſa Princeps oſſa aliquot extrahi,& copioſiſſimum pus fœtidiſſimum emanare vidit:quo tamen affectu,brevi temporis ſpatio percurata fuit:quam etiam diu prædicta Domina ſanam obſervavit:ſed quid tandē ei acciderit,ignorat:nec etiam an fuerit poſtmodum maritata , aut denuo gravida facta, aut contra. Cum enim paulo poſt Illuſtriſſimo Principi felicis memoriæ nupſiſſet , ſedē mutavit,nec quod poſtmodum ipſi acciderit, perquiſivit.

De vulnere uteri,ne id nobis effluat,literis (ſi placet)& poſteritati quam primū tradatur, quod accepimus quidem ab alio , ſed fide ſum-

ſumma (quam tamen alioqui ſuperare videatur) condigno Pariſienſi Doctore. Albertus Faber ex Ruellio nepos perdoctus & coæqualis noſter, quum maximis Reipublicæ téporibus & valde iniquis, lares patrios deſeruiſſet, cum multis ejuſdem ſuæ ſortis Anno 1569. externos ſecutus exercitus, Sacrumcæſarem tandem aliquando appulit, qui totam hanc morbi calamitatem ſuis (ut dicitur) oculis vidit. Eo namque cum venimus, jam perfecta morbi curatio fuit. Simplex veraque morbi narratio erat hujuſmodi.

Mulier quædam ruſtica fœtum octimeſtré gerens, dum ad forum urbis Sacricæſaris mãdaſſet ſe viæ, è ferocienti equo excuſſa, in ſaxum pregrande, hoc eſt, ejus angulum, ad umbilici regionem impegit. Ea integrum à caſu diem obmutuit, ſenſu motuque privata. Perendie prehendit acuta febris eam, & comitata quidem ſævioribus ſymtomatibus. Namque animo liquit, vomuit, deliravit. Repurgatur interim Medicorum præſcripto aliquoties, ac iterato ſanguis detrahitur. Imperata ſunt denique, quæ ſumta admotaque æſtum febrilem infringerent, & ſanguinis intus latétis vim rerũderent pernicioſam. Trigeſimo pòſtea die, remiſſioribus ſymtomatis quibuſq;, ſecundũ umbilicum quidam tumor, magnitudi-

tudinis ut minimum manus concluſæ, ſeſe prodidit. Eoque rupto, fœda ſanies, virulentaque, una cum tabo primum exijt, quam purulentæ particulæ carnis ſequebantur, poſtremoque fœtus ipſius oſſa fruſtillatim effluxerunt. Decimo tandem ab hinc menſe, ulcere concluſo, perductoque ad cicatricem, mulier convaluit. Attamen deinceps non potuit cõcipere, nec utero ferre: nec illi, ut prius, tam larga manu menſes profluxere. Cui aliæ per plures aliquot hiſtoriæ conſentiunt, quas partim accidiſſe ipſi vidimus, tanquam oculati teſtes modo loquuti: partim etiam alijs dignis fide omnibus accepimus. Maur. Cordæus Com. 1. ad Lib. 1. Hippocrat. de Morb. mul. text. 11.

Concubina Sacerdotis cujuſdam in Zopfingen Helvetiæ pago Bremgartenſis ditionis. Barbara Fhirera nominata, tertio gravida, cum partui vicina eſſet, per octiduum pariendi conatus cũ maximis uteri cruciatibus perſenſit, neque tamen peperit, ſed exacto illo tempore, ceſſantibus conatibus, quã diu poſtea ęgra permaneret, tandem in ventre illius, paulo ſupra umbilicum veſica quædam nucis juglandis magnitudine erupit, quæ cum illi maximos dolores per triduum cauſaret, tandẽ ipſa admodum rogante, à muliere quadam ſubula

bula pertusa,& disrupta fuit. Qua adaperta, admodumque propter ventris tumorem dilatata, mox fasciculus fœtum continens apparuit, qui postquam à Cihrurgo Ioanne Burgisio Bremgartensi, deliberatione primum diligenti cum Obstetricibus habita, approbantibus singulis, parte aliqua dissectus esset, fœtus cubitus prominens, in conspectum se dedit, quem cum forfice ad id parata arripuisset, integrum fœtum, sed semiputridum artificiose per foramen illud extraxit, nihil tunc gravius passa matre, nisi quod animo, dum fœtus extraheretur, parumper defecerat. Dein alio adhibito Chirurgo Brugensi, candela cerea accensa,& foramini nonnihil indita, postea etiam manibus in abdominis cavitatem immissis, anne quid restaret, diligenter explorarunt: & cum nihil supereſſe deprehendissent, vulnus emplastris ligaturisque curando, triũ septimanarum spatio integre consolidarunt. Mulierque a partu recte & decenter, uti alias fieri solet, purgata, ab Anno 1582. quo hæc facta sunt, ad Anni 1584. diem 24. Augusti, quo extincta primum est, adhuc vixit, misere ramẽ adflicta, quod ventrem fascijs involutum & suspensum ab eo tempore, quo hæc passa fuit, gestare deinceps coacta fuerit.

Historiam hanc à Clarissimo Viro D. Felice Pla-

ce Platero Archiatro, Collega meo honorando, accepi. Caspar. Bauhinus in Append. ad Russet.

Michaela Bacella, annorum 28, ex pago de Corsio, quinque stadijs à Lacu Lemanno, & parum à meis Vineis distante, anno 1593. in festo S. Stephani, post quam extremis & irritis conatibus partus misere discruciata esset, fœtu jam mortuo, mulieris cujusdam Catholicæ suasu, mittit sequenti Dominica ad proximam Friburgensium Ecclesiam. eo ipso momento, quo Salutatio Angelica à presbytero canitur, brachium dextrum erupit, quod obstetrix inepte trahens abrumpit, reliquum trium mensium spatio putrescit, deinde sub umbilico, parte sinistra, eminet abscessus, quo aperto ipsamet sibi paulatim ossa extrahit, & rustico quodam unguẽto ex resina, cera, oleo, consolidarum succo, &c. ulcus curat, ut modo exiguæ fistulę formam obtineat. Redit ad pristina negotia, & Vineas colit, est enim conjunx vinitoris nostrorum Franciscanorũ. Habet alias liberos satis robustos, mox ad vites expurgandas idoneos. Clariss. Viri, Archiatri & Senatoris Friburgi Helvet. D.D.

Petri Quenzij Observatio.

OB-

OBSERV.ATIO CLXXIX.

Historia Gravidarum, quibus ob partus difficultatem fœtus mortuus aliquandiu gestatus, tandem tabido profluvio excitato, marcidus vel per vulvam, vel anum, vel utraque una cum ossiculis excretus fuit: salvis matribus, & fœcunditate integra.

ADijt me consulturus civis, ex oppido Eberbach, in littore Neccaris fluvij sito, cui nomen Andreas Seidlen. Hujus uxor fœtum viventem aliquot menses in utero gestaverat, & cum jam tempus enixus appeteret, ubera ejus, prius turgida, lactis aquosi rore madebant ac decrescebant, nec puer in utero subsilijt, quæ signa fœtum mortuum testabãtur. Tandem fœtus in matrice computruit. Cujus de crurib. & cerebello ossa denigrata & carie obsita, incredibile dictu, sed verum: cum mulier ob intestini exulcerationem alvi profluvio laboraret, tandem anno decimo, non per vulvæ ostiola, sed per anum ossa excrevit. Non sunt enim hæc viscera tam longe dissita, cum illius cervix intestino recto incumbat. Et quamvis Aretæus Cappadox, vetus ille medicus pereruditus morborum acutorũ scriptor, dicat:

dicat: Humoris in illis hydropicorum collecti, per inteſtinorum rupturam egreſſio, credi non poteſt: multo minus fœtus: neque enim innoxium, neque citra perniciem inteſtini ulcus exiſtit. Mulier tamen illa vel hodie adhuc eſt ſuperſtes. Langius Epiſt. 39. Tom. 2.

Magnæ in hoc genere felicitatis exemplū eſt, quod Romæ contigit, Anno Domini M. D. Lxxi. & à præcipuis aliquot & nobilioribus urbis medicis viſum eſt, cum & ego adhuc inter tyrones intereſſem.

Plebeia diu quædam ægrotaverat fœmina febre perpetua ac debili, duroque imi ventris tumore. Febrem hecticam vocabant, unde ille eſſet tumor non facile inveniebatur, quando eam utero gerere, nihil amplius ſuadebat, deſperata res dicebatur, tamen ſic inſperanti ſalus advenit, poſtquam via, qua venter deijcitur, fœtus humani carnes in fruſta diviſæ & oſſa ſeparata, (quæ tumoris illius materia fuit) ſponte naturæ exiverunt. Sepulcrum diu fuerat uterus fœtui, priuſquam naſceretur, defuncto, nec poterat cadaver reijci, qua naturaliter debebat, aliam vel cum perinde viam natura aggreſſa eſt. Coaluit recto uterus inteſtino, ulcus commune ac pervium ſponte factum aditum ad inteſtinū carnibus putridis, atque oſſibus præbuit, quæ per averſa corporis e-

ris egressa sunt. Vtero igitur hunc in modum purgato, mulier pristinę valetudini restituta, diu vixit, & adhuc fortasse vivit. Alioqui quotquot novimus ulceribus hujusmodi intra corpus exortis, vel alvi excrementa per uterum, aut per iter urinæ reddidisse: vel coalito vesicæ utero, pus & cruorem ab utero exulcerato venientem, per urinæ iter emisisse, morbi ejus violentia perierunt. Marsil. Cagnatus Variar. Observat. lib. 4. cap. 9.

Paula uxor Dominici Nasonis, qui in vico pontis Merlani hospitium exercet, cum fœtū quinque mensium mortuum diutius in utero gestasset, profluēre quotidie ex utero colluviem quandam sanioſa, non sine febre, indiesque corpore marcescente, extenuatissimo habitu jam effecta, per secessum excernere cœpit ossicula quædam, quæ in exitu dolorem inferētia ab ipsa deprehensa, ac stercore emundata, Hippolito Geniferto adservata ostendit: qui ea intuitus, puelluli officula esse deprehendit quod mihi alijsque medicis compluribus relatum, haud verum ipse censui, donec mulier ipsa interrogata præsens diligentissime id jurejurando affirmasset in medium allatis ossiculis pluribus, quæ roseis floribus permixta, ad stercoris fœtorem, quem præseferebant adhuc, tollendum, observabat. nec destitit ab

hujusmodi execretione permenses & annos, donec per multa ossicula hujus generis extramisit. Res sane mira, quomodo scilicet natura utero perforato, nec non & intestino recto perforato, ossicula hujusmodi sensim & sensim extramiserit, quod tamen ipsam nonnunquam perpetrare, vel nullo negotio ex historijs existimare possumus: cujus testes locupletissimos adducere possumus inter cæteros plures urbis nostræ Hippolitum Geuifortum Chirurgum, & Eccellentis. Iosephum Araneum medicum. Marcellus Donatus Hist. Mirab. Med. lib. 4. cap. 22.

Nos mulierem novimus, quæ totum annũ fœtum utero gestaret citra vitæ discrimen. Id autem quoniam rarum est, & supra communem hominum fidem, tibi significandum cẽsui. Erat hic mulier Maria nomine, filia Gulielmi de Vrie, annos nata plus minus quadraginta duos, cui cum soliti hactenus fluere menses interciperentur prorsus, neque spes ulla propter ætatem, residuæ fœcunditatis esset (desierat enim jam dudum parere) sensit tamen ventrem sustolliti atque imprægnationẽ (ut erat) suspicata, parturitionis momenta expendebat. Embryo interim imbecillior (ut ver-

verbis utar Hippocratis) jam non calcitrabat, sed vix movebatur, ita ut miseta, quæ jam aliquando felicem sperabat parturiginem, de conceptu addubitare inciperet, ac nescio aliud quid in utero enorme esse, animo conciperet. Interim dum illa inter spem & metú animi anceps hæret imminet parturiginis tépus, & labores ingravescentes parturitionem præsagiunt: ferens illa omnia ut ferebat occasio, animo præsenti jubet ex tempore accersiri obstetricem, atque ut quam ocyssime advolet, in mandatis dat, ac ne forte in pavimentum procidat fœtus, uterum ut potest levissime comprimit. Superveniens tandem obstetrix, singula ordine perquirit, locos attractat, uteri os omnino clausum comperit, parturientem bono esse animo jubet; non esse veram hanc parturitionem; cæterum aliud quid, quod dolores parturigini non absimiles procreat. Confirmat igitur sese misera, quidvis etiam perpeti parata. Verum cum nihil prorsus promoveretur, accersor tandem & ego, una cum D. Balthazaro Bleyenpyrgio medico Trajectino, qui tunc temporis casu Goudiæ erat. Vbi singula attéte discutimus: tum obstetricē quid actum, & quo nunc sit loco negotium,

inquirimus:deinde utrum certa aliqua signa habeat,molane sit quod urget: an in utero emortuus fœtus.Illa nihil minus quam fœtum in utero esse asserit; sed nec veram parturiginem,quum nec madeant loci,nec fœtida colluvies (sicuti in mortuis partubus accidere solet)effluat: sibi tum propter pigritiam motus,tum ob alias causas, contentam potius in utero molam videri.Nos igitur his intellectis quoniam nec parturiens motum aliquē persentisceret embryonis,nec aliud signum esse vividi fœtus ; in rem patientis esse judicabamus, restauratis viribus partum promovere, atque quæ fœtum mortuum deijciunt, propinare : caventes interim à valentioribus, quod perspectum nobis esset, quæ mortuum partum educunt,eadem etiam molas propellere.Sed frustra omnia; nihil enim promovimus : id tantum effecimus, ut misera solito paulo robustior, ferendis doloribus aliquomodo par esset, neque amplius mediciopera opus esse suspicaretur.Præscripta igitur ratione victus conveniente,manumittor. Sed ecce revoluto jam anno,illa una cum lotio,primum digitorum articulos excrevit: ac sensim alia majora ossa,tibiam, radium,costas & id genus alia per posticum cum excrementis emisit : tandemque secundo à parturitione

anno

anno, maximos ante perpessa labores, calvariam totam cum cubito, costis, & alijs aliquot ossibus, ejecit : cum interim illa totum illud biennium sanioso profluvio consumeretur, & putridissimis vaporibus discruciaretur, adeo ut & præsentes, si diutius adessent, odor offenderet. Liberata tamen à cadavere, convaluit, atque ab omni accidente libera evasit. Verisimile tamen est, matricem sanioso illo & putri humore attritam & consumtam fuisse, præsertim quando per posticum etiam ossa rejecta sint.

Fuit præter hanc alia in hac civitate, quæ, quum totum annum fœtum in utero gestasset, consumta tandem carne, ossea illam cõpagem excreverit. Balduinus Ronseus Miscellan. Epistola 1.

OBSERVATIO CLXXX.

Matthiæ Cornacis Philosophi & Medici, Romanorum Regis Physici, historia gestationis fœtus mortui per annos plus quatuor: qui tãdem opera & consilio Medicorum ex utero ita per alvum, Deo adjuvante, exsectus est, & membratim exemptus, ut mater viva permanens integræ restitueretur sanitati:

atque post biennium denuo conciperet, ut secunda testatur Historia.

ANno Domini 1545. quædam cõcivis Viénensis, nomine Margaretha; filia VVolfgangi Karlinger civis Viennẽsis: uxor vero Georgij VVoltzer hospitis eo tempore ad ædes Rubri cancri appellatas Viénæ: postquã antea etiã enixa esset aliquot liberos, concepit anno ætatis suæ 25. omnia deniq; habuit signa felicis imprægnationis: fœtũ insuper temporis progressu sensit, ante festum D. Bartholomæi, eodem anno valentem, & strenue sese moventem, usque ad festum D. Lucæ sacrum. Quo sane illi tempore supervenerunt partus dolores, adeo vehementes, ut antea experta jam sæpius ipsa, jamjam se crederet enixuram. Statim igitur advocari jussit matrem, & unam ex suis sororibus: acciri etiam obstetricem cõfestim præcepit. Quæ cum adveniissent, statim re animadversa, jussit omnia ad manus esse parturienti necessaria, hæc verba adijciens. Statim, Deo volente, puellum natum habebimus: & quemadmodum postea eventus comprobavit, vera vates extitit. Interea prægnans in sedem parturientium consedit: & cum instanter admodum à circumstantibus mulieribus admoneretur, urgeretur etiam ab obste-

trice, omnibus nisibus elaboravit ad pariendū in quibus heu nimium vehementibus conatibus, fragor quidam increpuit satis sonorus: quique non temere argueret, magnam vim vel fœtui, vel matri illatam fuisse, vel certe cō-quassatum infantis caput in partes discessisse. Ab eo frāgore, vivacitas fœtus deprehendi amplius nullis argumentis potuit. Gravida inde majorem in modum cœpit ægrotare: ac propterea in lectulum suum reducta & reposita est. Interim lac acurrens, quod parturientibus usuvenit, ubertim ubera replevit, adeo ut stillatim etiā è papillis glisc̄entibus colostra defluerent, spectantibus multis & ijs honestis ac prudēt̄ibus mulieribus, quæ dies noctesq; assidentes præstolabātur felicē partū. Dum verores ita protraheretur, semperq; major difficultas, minor vero spes eluceſceret, deliberatū est ab omnib. quæ tū præsto erāt, & itum in eā sententiā, ut plures obstetrices accerserentur in rem præsentē, aliquod forte salubrius allaturæ consiliū. Sed ex harū etiam adventu nil miseræ adminiculi accessit: neq; quicquā ab his in medium dici potuit, vel consuli salutare, præterquam quod una ex ijs judicatum habebat (& fortasse nō male) rem nimis festinatā fuisse, os sacrū nondum satis hiasse. Nihil itaq; etiam tum effectum datū est, gestansque

uterum,mulier tandem per multas ſeptimanas graviſſime decubuit,ventris tumore, duritie,fluxu qui ſupervenerat, doloribus nihil remittentibus. Quæ omnia continuæ deniq; corporis graves afflictiones,animi perculſiones,ad ſummam deſperationem miſeram videbantur compellere:effeceruntq;,ut ad tentanda omnia omnium conſilia animum adverteret, ad uſurpandas omnium medelas, doctorum & indoctorum, Chriſtianorum & Iudæorum. Quæ tamen nequicquam adhibita,auxilij nihil, plurimum mœroris & deſperationis(cum res difficilis ad impoſſibilitatẽ videretur vergere)attulere. Hiſce periculorũ & ærumnarum acervis circumvẽta, atroci inſuper ventris ac inevitabili onere ſumme implicita mulier,per quadriennium, uſque ad annum Domini 1549. ſemiviva perduravit. Sed quod prætereundũ hoc loco nõ eſt, propter has enumeratas à nobis difficiles calamitates,miſella inſuper adflicta eſt defluxu cõtinuo putrilaginoſo,qui per locũ muliebrẽ perumpẽs,totũ hoc quadrienne tẽpus duravit, ita tamẽ,ut aliquando parcius, aliquando copioſius profluẽs,diſpari ratione mulierẽ affligeret,ceſſaret tamẽ nunquã. Cruciatib⁹ igitur hiſce ac gravedinib⁹ diu perſtantibus,tandem natura(quæ ſem per individuũ cõſervare contendit)

tendit) acore & copia putridi humoris non evicta, sed compulsa (utpote cui inferna humoris subductio non sufficeret) ad umbilicum, matricem ipsam, totum denique abdomen, multis alioquin partibus munitum, perfodit. Foramen igiter factum est primo, anno Domini 1548. in loco prædicto, ex quo multum sanioſi fœtidique mucoris profluxit: Successu deinde temporis, post aliquot menses, adhibitis externis emplastrorum adminiculis, apertio coaluit, posteaquam (ut videtur) colluvies humorum nocivorum abunde excreta esset, vel aliquantisper pro necessitate evacuationis diminuta. Sed quod efflictim observandum est, paulo post anno Domini 1549. mense Iunio, cum scilicet multa putrida superfluitas omni conatu mox per naturam expellenda, iterum collecta esset, natura denuo eodem consilio & via, proximo in loco, non ita procul à priore apertione distante, per vẽtrem iterum perrupit, & affatim eduxit necessario evacuandam purulentiam. In hoc foraminulo exhibebatur omnium conspectui & tactui, os quoddam, quod eventus postea (resecta alvo & matrice) comprobavit, infantis fibulam sinistri brachij fuisse. Duravit iterum hæc apertio, eodem statu & effluxu, cum magna fœminæ in utero habentis virium prostratione, ad

menſes aliquot. Cum autem periculi magnitudo, dolorum fœtorisque intollerantia indies magis ac magis ingraveſcerent, viderenturque omnia ad interitum ſpectare: ipſaque miſerrima præ cruciatibus immenſis, animi crebris deliquijs jam jam crederet ſibi exitum imminere, denuo inijt conſiliũ aſciſcendi Medicos: ſi fortaſſe ex ſingulari Dei miſericordia, felix horula ſalubris conſilij eluceſceret: ſi deniq; forte fortuna, Deo ita diſponente, in hora contingeret, quod non contigiſſet in annis.

Vocati igitur ſunt Chirurgi tres: aulæ Regiæ chirurgus, Sixtus VVirt: Paulus Dirlevvãg, urbis Viennenſis ordinarius chirurgus: & Petrus VVinckler: qui cũ adveniſſent, rem omnẽ intuiti, atrox periculum præ oculis eſſe animadverterũt: ſimulq; moderate omnes unanimes reſponderunt, majus eſſe negotiũ hoc, quam ut ipſi quippiam certi in hoc caſu ſtatuere vel debeant, vel poſſint. accerſendos eſſe Medicinæ aliquot doctores, quorum conſilia merito accedere debeãt: & ſi quid in re tam ardua faciendum ſupereſſet, ſibi conſultum videri, ut id ex eorũ matura deliberatione proficiſcatur.

Acciti igitur ſunt Doctores duo, Ioannes Enzianer, & Matthias Cornax: alter vir ſenex, & revera miles (ut dicitur) emeritus: hic publicus Medicinæ in Viennenſi Gymnaſio ordinarius

narius Professor. Qui cum veniſſent, aliquoties poſt crebram inſpectionem, ægræ virium explorationem, circumſtantiarum diligẽtem inquiſitionem, nihil aliud videbant ſupereſſe conſilij, quam ut ad ſententiam Hippocratis, extremis morbis extrema adhiberẽtur remedia, quantumvis periculoſa.

Decretum itaque ab ijs eſt, de alvo aperienda: à Chirurgis etiam in eandem itum ſententiam. Quod cum certo conſtitutum eſſet, etiam fœminæ, ejuſque marito & propinquis, Medicorum conſultum indicatum eſt, à quibus omnibus aſſenſum. Statuta tandem dies eſt, decima menſis Novembris, anni 1549 hora duodecima pomeridiana. Chriſti igitur Domini auſpicijs, cum tempus ſtatutum adveniſſet, rebus rite auxiliaribus, denique paratis & diſpoſitis præſidijs, ſi quid forte gravius contingeret præſentibus Doctoribus nominatis, & chirurgis ſectio cum ſumma diligentia peracta eſt.

Linea autem ſectionis ex mea deſignatione ducta eſt, ab apertione ea inchoata (quæ paulo ſupra umbilicum à natura, ut diximus, facta erat in latere dextro) recta deorſum per tractũ muſculi recti, abdomini incumbentis, longitudine plus minus octo unciarũ: hoc eſt ſemipedis antiqui & duorum pollicum. Qua facta inciſio-

inciſione, propter neceſſitatem & intollerabilem fœtorem, ſubito contentum in utero à Chirurgis undique liberatum eſt, & exemtus fruſtulatim fœtus maſculus emortuus & ſemiputridus. Secutus eſt hanc extractionem fœtor incredibilis: adeo enim putredo invaluerat, ut bona pars membrorum pueri conſumta appareret: caput vero totum confractum, & oſſa cranei diſperſa extraherentur: cerebri vero videretur nihil, nimirum quod totum putredine diuturna conſumtum eſſet.

Abſoluta hac ſectione, ex ſumma Dei Opt. Max. miſericordia feliciter mulier debita ratione, infractis laceris & rugoſis uteri cavitatibus ligata & curata eſt: illique de rebus neceſſarijs quam optime proſpectum á Medicis & Chirurgis. In omni autem iſta adminiſtratione miſella quæ reſecabatur, nullũ eſt paſſa animi deliquium, ſed forti & ſedato animo omnia pertulit: adeo ut Deus & Natura ipſa, in conſervanda hac inopi & ignobili fœmina, contendiſſe videantur.

Succeſſu deinde temporis, cum omnia ex ſingulari Dei nutu feliciter procederent, ſine ulla ſutura, rugis (detumeſcente ventre ob exinanitum uterum) coeuntibus, poſtliminio venter ab onere putrido liberatus peroptime coaluit, & fœmina præter omnem exſpectationem

tionem curata est,& uterus ipse una cum abdomine & ejus partibus plane consolidatus: quinetiam ita matrice probe restituta,menses bono ordine & modo rediere,ut spem aliquã conceperimus,membro quantumvis sensibili & spermatico ita persanato, mulierem denuo concepturam,&fortasse fœtus edituram. Quod tamen postremum, ut valde ex multis rationibus est ambiguum, ita incertum Divinæ Omnipotentiæ relinquimus determinandum. Cornax.

OBSERVATIO CLXXXI.

Quod eadem fœmina denuo conceperit, & gestaverit fœtum vivum,perfectum masculum,ad legitimum pariendi tempus: quodq; ex posthabita sectione mater una cum puello interierit.

POsteaquã superne à nobis descripta Margaretha, ex sanctissimi opificis Dei voluntate convaluisset,convixisset deniq; sana marito annum plus minus integrum, satis frugaliter,denuo concepit, & gestavit puerum bene valentem, & rite succrescentem usque ad secundum diem mensis Iunij, Anno Domini 1551. quod erat legitimum tempus pariendi. Ea dies cum mane illuxisset,& belle se haberẽt omnia,

omnia, infans robuſtus ſtrenue palpitavit, & elaboravit ad egreſſum uteri: mater mœſta omnibus nervis ad expellendum fœtum incubuit, preſentibus multis mulieribus, ſed incaſſum omnes conatus ceſſere. Quapropter vocatus eſt Paulus Dirlevvang, chirurgus Viennēſis, qui antea illam ſecaverat, ut in medium conſuleret: ille vero præ oculis cernens grave diſcrimen, conſuluit me etiam eſſe vocandum. Adveniens itaque & ego, cum perluſtraſſem ventrem enitentis, vidiſſemq; fœtum validum, matrem autē omnibus viribus, quæ ad certamen enitendi requirebantur, deſtitutam: cicatricem præterea veterem quaſi per rimam longam hiſcere, omninoque impoſſibile eſſe ut conatus fœminæ tam lacero utero, inciſis per longum, muſculis & abdomine, tanti eſſe poſſent, qui in utero contentum quantumvis viribus præſtans, & ſeſe adjutans, per os ſacrum poſſent expellere: ſuaſi eveſtigio, ventrem ferro, ut prius, reſecandum eſſe. Firmavit meam opinionem & hoc, quod rimula ſectionis priſtinæ laxata, pellucens madebat, & per ſe diſceſſionem parietum cicatricis minitabatur. Hiſce perurgentibus rationibus, nos uterque compulſi, & commemoratione prioris felicis eventus animati, ſectionē iterum inſtituendam cenſuimus: acquieſcebat conſi-

consilijs nostris, alioquin moritura puerpera. Verum enimvero mater ejus, & reliquæ aliquot præsentes fœminæ, assentiri nullo pacto voluerunt: interim ego ordinatis quibusdam præsidijs confortantibus, cõsolatus afflictam, discessi: & paulo post reversus, acriter instiri iterum peragendæ cæsurę. Sed perperam tum obtinuit matris affectus, quæ cum cæteris fœminis in ea perseverabat sententia, ut Deo omnia committerentur, rejecta periculosa sectione: quæ tum etiam satis tempestive adhiberi posset, cum extremum anhelitum mater spiraret. Expectatum igitur usque ad horam decimam noctis, eo tempore infelix, cum frustra diu & strenue luctata esset, viribus omnibus exhaustis, cruciatibus oppressa animã exhalavit. Quod cum factum esset, subito Chirurgus prædictus vocatus est, & citissime ventrem aperuit: statimque infantem perfectum, masculum, omnibus numeris absolutum, exemit. Ibi videre erat (superveneram enim & ego) certamen adnitentium puello vitam, quę paulo ante abierat, revocare & sufflando omnia tentare spiracula, sed perperam & frustra omnia fiebant. In promtu causa est eruditis & Anatomiæ peritis: siquidem in cõfesso est, vitam & motũ cordis in infante à duabis arterijs vitalibus matris per umbilicum fœtui, seu

per

per insitionem insertis dependere, quæ vasa natura fabricavit pro cordis refrigeratione. Quare cum arteriarum motus in matre cessat, eandem etiam motum evestigio in infante cessare necessum est: siquidem fieri minime potest, ut puer ante præcisionem umbilici, in ipso deniq; utero involutus tunicis, spiritum per os attrahat. Præterea esto quod continuati o umbilici fœtus à matrice sit libera, ruptis cotyledonibus partus tempore: tamen nihilominus umbilicus secundinæ adhæret, necessario ab obstetrice præcidendus: vel etiamsi secundina, in utero existente puello, umbilicus solutus esset, tamen respirare per os non posset infans, peniculis involutus: uteri præterea parietibus inclusus, mucoribus denique & aquositatibus circumfusus: quę certe res sępe solutos infantes, hærentes tamen diutius in angustijs faucibus ossis sacri, enecat suffocando. Cum ex prædictis itaque necessarium sit, vita & motu puerperarum cessante, cessare etiam infantis in utero contenti vitam & motum: impossibile est, tam immediate excindi infantem posse, in eo ictu temporis, quo anima ex matre migrat: quæ si semel evolaverit, certe revocari humanis præsidijs nullo modo potest. Si autem forte fortuna exemtio infantis contigerit in agone puerperæ, aut in

animi

animi deliquijs, præsentibus adhuc spiritibus vitalibus, tum censemus omnino supervivere infantem posse: quemadmodum sine dubio de Iulio Cæsare contigit. Idem Cornax.

OBSERVATIO CLXXXII.

Memorabilis historia de Muliere quæ jam annis tredecim utero gestavit sceletum fœtus mortui, quod tactu tum ab ipsa matre tum ab omnibus illi præsentibus percipitur. Alia item huic non multum absimilis.

CAtharina quædã, uxor Michaelis de Menne, viri ruralis & pauperis, annis duodecim utero gerit fœtum mortuum, vel potius Sceletum fœtus emortui, res penitus mõstrosa, ac miraculo digna dici potest. Ita tamen se res habet, sic ut ipso tactu unicuiq; fuerit manifestissima. Mulieris enim ventrem inferioré proprijs manibus attrectavi, non bis terve, sed pluries: idem quoq; mecum egere cum viri, tum mulieres illustrissimæ, non sine omnium admiratione maxima, quos omnes honoris gratia præterimus. At vel unius Viri hac in re testimoniũ oculare sufficere poterit, puta excellentissimi D. Henrici Cornelij Mathisij, qui

quondam CAROLO ejus nominis Quinto Augusto Medicus fuit domesticus. Hic, inquam, cum stantem & supine decumbentem dictam mulierem crebrius attrectasset, omniaque ossa fœtus mortui ipso tactu optime deprehendisset, præ stupore nimio, tum admiratione summa dicebat: Deo & Naturæ nihil impossibile. Anno igitur Domini 1549. eadem Catharina, posteaquã antea enixa esset duos liberos, concepit mense Martio, omnia signa habens felicis imprægnationis: fœtũ insuper temporis progressu à quarto mense conceptus sensit valentem & strenue se moventem, usq; ad festum Divo Andreæ sacrum, eodem anno: quo sane illi supervenere dolores partus adeo vehementes, ut jam jam crederet se enixuram. Vterus quoq; mirum in modũ prominebat, uberaq; lacte copiosissime turgebant: idque magis instante jam partu, quam multis diebus antea. At cum ad parturiendum nulla amplius mora exspectaretur, accidit ut vetula quædam malefica & prestigiatrix ventrẽ huic utero gerenti attigerit, in aures susurrarit, & in faciem sufflarit, aliaq; peregerit: quę quoniam parum ad rem nostrã facere existimo, plurib. nõ persequor: illius tamen meminisse placuit, nam in vetulam mulier culpam omnem reijcere videtur, quod illi res tam infeliciter successerit.

Vt au-

Vt autem parturientium dolores cum in ventre inferiore, tum iu lumbis sensit, statim acciri obstetricem & mulieres vicinas jubet, quæ dies noctesque aliquot partum præstolabantur: nullum tamen partus brevi futuri signum observat obstetrix, præter illos dolores, qui toto biduo increbescebāt. Quare discedit, reversura, si ita res postularit. Quid multis? dolores nihil interim remittuntur, sed diebus totis quadraginta & die & nocte illam sævissime affligere non desinunt, ut totum id temporis misella ista insomnis egerit. Ab utero quippiam interea effluxisse, nunquam animadversum fuit.

Fœtus vehementissime semper movebatur ac calcitrabat, ita ut manifeste illius motus ab adstantibus observari posset: toto isto dolorū tempore, sudoribus quoq; copiosissimis madebat. Lac præterea è mammillis uberius fluebat: quod quia acrius, tum plus justo biliosum erat, omnes fere partes vicinæ, quas defluens attigit, exulcerabantur. Quadragesimo demum secundo & quarto dolorum die fœtus tam valide amplius moveri destitit. Dictu profecto mirum, quod tanto tempore subsistere potuerit incolumis: tandem conatu vehementissimo ita fœtus movebatur, ut inde transversim in utero revolutum, mater narra-

ret. Dolores ab illo impetu fœtus multo mitiores evaſere, & paulo poſt plane receſſerũt. Poſt vero dies quatuor vel ſex, cruenta quædã ac nigra per alvum deijcere cœpit, illis ſimilia (ut illa inquit) excrementis, quæ pueruli jam in lucem editi primũ excernere ſolent, cujuſmodi excrementa egerebat diebus ſingulis ad ſex libras. Cumq; antea nullus in utero colliſionis oſſium ſenſus volũtarius perciperetur: hic tandem putans miſella ſe ab omnibus erumnis liberam, unicuiq; tangenti uterum ſeſe prodere cœpit: ut etiam illam non lateat oſſiũ fœtus mortui ſitus, quippe cum digito monſtret, hic caput, illic coſtas: hic humeros, illic femora cõtineri. Quod ego & alij complures, me monitore, deprehenderũt. Cadaver iſtud, ſeu Sceletũ in utero matris jacet tranſverſim, capite & cruribus introrſum, dorſo vero extrorſum prominẽte. Sub ilio dextro caput reconditur, quod cum profundius, quam matris ſpinam dorſi reſpiciat, non ſine ratione tactus noſtri judiciũ refugit: ibi tamen oſſis humeri caput ſuperius contineri manifeſto conſtat. Sub ilio ſiniſtro ſunt crura & pedes: ſed introrſum reflexi, ut attingi minime poſſint. Conjectura tamen artificiali & Anatomica ita eſſe, judicare non eſt difficile: tum ex ſitu reliquo corporis, tum quia ibi os femoris apertiſſime

depre-

deprehendatur. In medio ventre dorsum evidentissime cognoscitur, vertebræque omnes facillime distinguuntur: costæ quoque majori ex parte, tam superiores quam inferiores dinumerantur: turget venter maternus tumore oblongo, qui in pudendum desinit: elevat totam istam molem sursum, eandemque pro animi arbitrio deprimit, non sine assistentium summa admiratione. Ossa vero sic satis induruisse sentiuntur, ita ut validiori compressioni difficulter cedere videantur. Venter maternus interea dum attrectatur, nullo dolore angitur, nisi id plus quam par est, fiat diutius. Valet sic satis illa mulier, omniaque sua munia tam domi quam in agris una cum marito suo optime peragit: hilaris est, prudens materfamilias, & utcunque faceta, annum nunc temporis agens quadragesimum quintum. Corpore gracili, nec habitu illaudabili. Menses, cum annis quatuor essent detenti, potiunculis nonnullis illos promoventibus usa, rursum manare cœperunt in hunc usque diem. At mensibus singulis, cum eorum terminus instat, venter inferior intumescit, illamq, dolores invadunt vehemẽtissimi, haud aliter quam si nunc nunc esset enixura: nec antea cessant, ni menses omnino eruperint. Quod si mulierem aliquo malo laborare contingat, ijsdem

plane doloribus ad integrũ morbi terminum corripitur. Aliud præterea notatu dignum refert, quintũ nunc esse annum, ex quo natura quodammodo istius Sceleti expulsionẽ tentarit. Vteri enim osculum hiasse, & inde aliquot ossicula fuisse egressa: qua de causa evestigio accersitur obstetrix, ac cum satis imperita, vel potius rei novitate perculsa, nullum remediũ ferre se posse indicaret, omni ope humana hanc multis modis longe infeliciſſimã destituens, recessit. Ipsa vero interim nihilominus intrepido fortiq; animo, ossicula illa ut in proprium locũ retrocederent, proprijs manibus allaboravit, sic ut in pristinũ redierint. Ab isto vero, uti nec antea, hujusmodi quid siniſtri illi accidit. Mirũ denique, quantopere rustica illa flagitet, summisq; precibus contendat, ut abdomẽ ei manu medica aperiatur, Sceletumq; ab utero eximatur. Sic enim seipsam sanitati pristinę restitui posse confidit optime. At quo minus id tentatum hactenus sit, adhuc sub judice lis est. Ægidius de Hertoghe Epistola ad Matthiam Cornacem.

Similis & æque lugubris casus, mulieri cujusdã Chirurgi Monspelienſis Ausme vocati, accidit, qui celeberrimis Medicis ampliſſimi Collegij Monspelienſis (uti credibile est) pergratus erat: quæ (uti Dominus Rondeletius

suæ

ſuæ Methodi curandi, cap. 65. meminit) cū in Vtero geſtaret, puerum putrefactū, illius aliquot partes fruſtulatim reijciebat, ſolum majoribus oſſibus in Vtero relictis, ita ut longo tempore poſt ipſi fuerit moriendum. Quamvis cauſę, cur huic moriendum fuerit, debuiſſent fuiſſe notiſſimæ, propter ipſius fœtus manifeſta fruſta, quæ rejecta erant, & ipſius reliquum, quod ibi tanquam in luto hærebat: recte tamen à marito factum, qui majoris certitudinis cauſâ ipſius corpus aperiri voluerit. Verum utilius multo fuiſſet, affectu jam ſatis cognito, ut per orificiū Vteri fuiſſent oſſa extracta, ſi modo fieri potuiſſet: aut ſi hoc non licuiſſet, certe ſectione hac noſtra Cæſarea liberanda fuiſſet, ſi (cum viribus valentibus) hoc remedium tum temporis fuiſſet uſurpatum, quod in talibus caſibus uſurpari debet, modo nil vel impediat, vel aliud non habeatur remedium. Franciſcus Ruſſetus de Partu Cæſareo Sect. 4. cap. 2.

Fieri poteſt ut in utero (fœtus) putreſcat, ut vidimus puerum putrefactū, & fruſtillatim rejectum, relictis magnis oſſibus in utero per longū tempus, quæ poſt in utero matris mortuæ reperta ſunt. Vxor fuit Chirurgi Monſpelienſis, vocati (Auſme) qui poſt mortem, ut cauſam alicujus affectus interni cognoſce-

ret, passus est illam dissecari. Rondeletius Method. Curand. Morb. cap. 65.

OBSERVATIO CLXXXIII.

Gravida partui propinqua post casum fœtum vitalem amplius nō sentiens, ab eo tempore bis concepit, & feliciter enixa est, restitante nihilominus adhuc semper priore fœtu cum ventris tumore, citra ullas ejusdem putrefactionis aut excretionis notas.

IN oppido Sindelfingen, trium circiter horarum itinere hinc dissito, mirabile quid animadverti. Vivit ibi fœmina 30. annorum, vel minor, vel non multo major: ea cum partui propinqua, 6. nimirum vel 7. septimanis ante exspectatam partus horam, fallente glacie, supina dorsum muro illisisset, nihil amplius sensit vitale in fœtu, quē gestabat utero, neque tunc neq; deinceps. Ventris moles eadē, nisi quod aliquandiu post lapsum increvit, ac deinceps iterū decrevit, sed non ex toto. Sed neq; mortuum edidit fœtum; nec menses, vel qualia in puerperio expurgari solent, ex eo tempore vidit. Interim tamē (nam Anno 1590. lapsa est) bis vel ter concepit, toties vitales edidit fœtus, post partū tamē adhuc semper distentio

stentio ventris manet: ita ut in ea sit omnino sententia, habere se adhuc in utero fœtum illum mortuum. Quod quamvis contrarium ex toto sit, fœtum in utero mortuum non putrescere; Fœtu in utero hærente mortuo, alterum concipi, ac tandem in utero foveri, donec justo tempore in lucē edi possit: Quia tamen post lapsum illum adusque primi infantis à lapsu partum nihil ex utero neq; humoris, neque solidæ substantiæ, vel osseæ, vel carneæ excluſum sit, fit propemodum, ut credam, non computruisse quidem, sed in scirrhosam quasi abijsse substantiam infantem illum, & quasi contabuisse. Verum lubens aliorum de hoc casu judicium audiam, tuum præsertim, Vir Clarissime. D.D. Osvvaldus Gabelchoverus de Observat. suis.

OBSERVATIO CLXXXIV.

Historia vituli una cum alterius Sceleto excluſi.

VAcca partus difficultates impedita, cum fœtum conceptum parere minime posset, nihil gravius passa, post tempus aliquod rursum concepit, & exacto tempore, vitulum vivum & Scelcton prioris vituli, edidit. Mirum sane potuisse ejusmodi corruptionem

vaccam perferre, & rursum, ossibus prioris vituli retentis, concipere nihilominus. Hæc ossa vidi apud Generosam Dominam de Rappoltzstein, in cujus oppido hæc acciderunt. Hanc Historiam à Clarissimo Viro D.D.Felice Platero mihi communicatam, subijcere placuit.Bauhinus in Append.ad Rousletum.

OBSERVATIO CLXXXV.

Mulier Sceleton mortui fœtus utero ferens denuo concipit: accedentibus vero magnis doloribus & periculo vitæ; Sceleton per sectionem eximitur, uterus expurgatur & cõsolidatur, relicto altero conceptu: qui postmodum vivus & validus in lucem prodijt in tantum non offensa fertilitate, ut etiã quater ab hac curatione pepererit.

ANno Domini 1540.mense Martio, in Castro Pomponij seu Põponischi vulgo dicti, ditionis Dominorum de Gonzaga, non lõge à Pado flumine sito, erat mulier cui nomẽ Lodovica, vocabatur tamen communiter, eo quod vasti esset corporis, La Cavalla. Hæc cũ antea utero demortuũ fœtum gestasset, jamq; per vulvam corporis molliores partes putrefactæ profluxissent, intro ossiculis corpusculi derelictis, cum recte tamen valeret, iterum concc-

concepit,at cum male admodum se haberet, jamq; in vitæ discrimen manifestissimũ traheretur;Forte advenit chirurgus quidam, ex ijs qui per villas percurrentes peregrinantur,cui nomen Christophorus Bainus, qui mulieris casu audito,req; peroptime ab astantibus explicata:mulierem sanitati restituere tentaturũ,dum modo illã ac mortuã manibus ipsius subijcerent,numosq; decẽ aureos, si sanaret, persolverent.Pactum recipiunt cognati pauperes, opem ferentibus & spondentibus divitioribus illius loci quibusdam. Homo literarum imperitus,audax tamen, deligata muliere,opus aggreditur: dissectisque per longum longitudinalibus abdominis musculis, peritonẽo,utero demum ipso:sceleton mortui pueri extrahit, ablutoque utero vino calente aromatibus quibusdam permixto, sutura vulneris labia conglutinat, candentique ferro partem inconsutam inurit. Mirandum dictu, sanata mulier,stato tempore alterum fœtum peperit,non solum vivum,sed nulla ex parte labefactatum, & postmodum non semel, sed quater concepit, utero gessit,& feliciter enixa est: rem mirabilem narro,cujus tamen testes afferro, D. Ioannem Baptistam Zorzonum: & Alexandrum Begher. D. Fridericum de Felinis: & D. Leonellum

lum Zorzonum: & Antonium Majochum seu Mazzuchinum, alioſq; complures, qui interfuere omni operationi. Marcel. Donat. Hiſt. Med. Mirab. lib 4. cap. 22.

OBSERVATIO CLXXXVI.

Extrahendi fœtus mortui, ferramentis chirurgicis, viva adhuc matre, recentiorum modi varij.

MAturo partu intus emortuo periclitabatur uxor piſtoris mei, quare evocatum me rogat, ut deficienti illi quoquo modo opẽ feram. Ego vero reputans hujuſmodi curationem inter difficillimas adnumerari, & ſummam prudentiam ac moderationem deſiderare (præſertim & quod fœtus transverſus jaceret, ut ne manu quidem intra vulvam injecta, dirigi in caput aut pedes poſſet, & quod imus venter jam frigeſceret) de ſalute ejus dubitare cœpi. Verum hortante me conjuge ac cæteris aſſiſtentibus, ut nullum intentatum relinquerem auxilium, uncum cum vertebris dorſi infantis injiciens, paulatim extrahere nitor. Sed obſtabat oris vulvæ compreſſio, & cervix toto corpore replicata augebat extractionis difficultatem. Quare calido oleo naturalia foveo, quo paulatim hiante vulva fœtum educo. Mulieremque fere mortuam molli cubili recreo, & opportunis deinũ præ-

ſidijs

dijs curatam priſtinæ ſanitati reſtituo. Benivenius cap. 29. de Abdit.

De infelici ac miſerando mortui partus extrahendi modo ac ratione dicturus, à deploratione humanæ calamitatis congrue incepiſſe videbor. Miſeret profecto atque pudet æſtimantem, ut cum Plinio dicam, quam frivola ſit animalium ſuperbiſſimi origo, cum plerunque abortus cauſa fiat odor è lucernarum extinctu: & qui viribus fidit ſuis, qui fortunæ munera amplexatur, & ſe quidem non alumnum tantum ejus, ſed partum exiſtimat, tanti tamen perire poteſt. Is demum profecto vitam æqua lance penſitabit, qui ſemper fragilitatis humanæ memor fuerit. Nam quæ fragilitas, quæ miſeria major, quam à viva matre enectum infantem vi illata è intimis viſceribus fruſtillatim extraxiſſe? Sed hæc eſt muliebris naturæ conditio, ut in dolore pariat, & in partu de vita ſæpe periclitetur: quod ijs maxime evenit, quibus eſt ferramẽtis chirurgica manu educendus fœtus: rem ſane atrocem & ſpectatu gravem. Sed ad id tamen ſæpe vel inviti cogimur, ut ſervetur mater, vi partum educere: quod in ægre parturientibus, vel ob fœtus magnitudinem, vel ob virium matris infirmitatem ſæpe eſt experiri. Quo ſane miſerando affectu pleræque Are-

laten-

latenſes mulieres laborare ſolent, ut præ partus difficultate mortuo intus fœtu, extrahi eum oporteat. Quædam namque prægnantes ſunt (ait Hippocrates) quæ non rite pariunt, ſed intus fœtum perdunt: quem vel conciſum, vel integrum, ſi fieri poſſit, educere oportet. Eductionis porro modum tum ipſemet Hippocrates, tum Paulus Ægineta, tum & Avicenna doctiſſime tradiderunt. Sed antequam ad tantum opus progrediamur, ſpectandum id primum eſt, ſuperſtes ne mulier futura ſit, an minus, ut Paulus ſcitiſſime annotavit: & ſi quidem ſervari mulier poteſt, tunc manum admoliri oportet: ſin contra, attingi non debet. Quæ ſervari non poteſt, his ſignis deprehenditur, diu in partu multumque laboravit, defecta virtute eſt, pulſu parvo, languido, inordinato, inexpugnabili dormiendi neceſſitate conſopitur, dejecta & reſoluta decumbit, vix excitari poteſt: & ſi excitetur clamoribus, vix reſpondet, rurſusque ſoporatur. His ſignis morituræ deprehenduntur, à quibus manum abſtinere oportet, nec eas attingere. Quæ vero ſervari queunt, horum quæ diximus nihil patiuntur, ſed conſtantes & forti animo degunt, bono pulſu præditæ, vivaces & robore plenæ: his admovenda ſalutaris manus eſt in hunc modum.

dum. Resupinam in lecto mulierem collocare oportet declivi positu, cruribus valde elatis atque disjunctis, quæ mulieres fortiter utrinque contineant, aut mulieris pectus vinculis lineis mollibus lectulo firmare oportet, ut ne corp⁹, attrahẽtis chirurgi manũ sequẽs, vim tractionis dissolvat. Hippocrates linteo caput tegere, ne videns mulier quæ fiunt, neve ferramenta & uncinos spectans terreatur, jubet: sed præstat instita oculos claudere, quam caput & os integere, ne in respirando vim patiatur. Tum vero chirurgus denudatis & liberis brachijs, manibusque multo oleo illitis atque perunctis, molliter vulvæ alas diducat, & in uteri ostium leni motu & blando sensim manus inferat, pertentans ac disquirens pueri situm ac formam, atque ubi nam uncum quo fœtus extrahetur, defigi cõveniat. Nam non omnes loci idonei sunt in quibus infixi uncini detrahere fœtum possint: præcipui habentur si in caput infans prolabatur, occiput, oculi, sed minus id tutum est, claviculæ & sub costis regiones tutiores sunt, nẽpe quæ græci hypochondria vocãt quẽadmodũ si in pedes descẽdat, ad ossa super pubem infigere uncinũ oportet, vel in costis nothis, hoc est, intercostalib. musculis: beneq; firma-

firmato uncino sensim trahere non confertim oportet, ne disrumpatur, quod uncino arreptum est. Nostri vero chirurgi Arelatenses, qui in extrahendis fœtibus expertissimi sunt, & longo usu periti, manibus in pudendum mulieris injectis puerum circumvolvunt, & in ostium usque pudendi demittunt, ambabus manibus: nisi vehementer in alto impactus sit infans. quod si sit, tum uncinis detrahunt. Si secundum dorsum aut latera consistat fœtus, ambabus manibus dirigunt, quoad in caput fœtum convertant: quod magna cum dexteritate faciunt: quo perfecto, uncinis ad claviculas affixis vi tota enixi fœtum integrum extrahunt.

Sic hospitæ diversorij divi Sebastiani extractus fuit infans, quem mater sanguicula & bene habita, tum ob locellorum angustiam, tum ob fœtus magnitudinem & capitis molem eniti non potuit, integerque hac ratione à Ioanne Chapasio chirurgo bene docto evulsus fuit, salva & incolumi matre.

Sic honoratæ mulieri & prudentissimæ Ioannæ Camaretæ, Franciſci Rodolphi conjugi eductus pariter fuit.

Sic perinde Claudiæ Alberti textoris uxori.

Item hospitæ diversorij trium columborum.

tum. Et Delphinæ pauperculæ mulieri. Tum vero & multis alijs, quibus in tanto discrimine positis sublevandis non solum interfui, sed & salutaris præfui. Quoniam vero ab eo opere valde dejectæ viribus & prostratæ mulieres remanere solent, solemne mihi est ut potionibus & jusculis optimis, vinoque odorato & potenti vires reficere tentem, tum vero & locos fovere & roborare fotibus congruis & unguentis, jubeoque diutissime in lecto consistere, ne motu partes affectæ oblædantur & doloribus ægræ torqueantur. Quin & in totum à frigore cavere eas omni studio jubeo, quo nihil nocentius in eo casu mulieri puerperæ, à qua exactus sit infans, accidere potest. Itaque post eductum infantem mox calidis pannis lineis fovere locos soleo: & si hæmorrhagia subsequatur (ut fere semper subsequi solet) decocto rosarum, absinthij, foliorum myrti, & artemisiæ (quæ mirifice locis muliebribus confert) incoctis in vino omnibus, fovere locos soleo, additis in decocto caryophyllis, & unguine comitissæ vocato locos illinire. Potionem ex pulvere diamargariti frigidi & diambræ (qui pulvis matricis affectibus magno usui est) ex aqua buglossi & vino albo tenui devorandã propino. Quod si ulcuscula aut rhagadiæ ex vi illata coöriantur, ex

vino decoctionis equiseti & centinodiæ cum pauco melle rosato abluijubeo, mox unguento ex pompholyge illiniri. Mulieri textoris stillicidium urinæ post eductum infantem accidit, ob resolutum vesicæ colli musculum: quam tamen ego longo temporis tractu feliciter persanavi, demissa in oleum calens muliere, in quo folia lauri, betonicæ, salviæ, libanotidis, origani, pulegij, cum floribus chamęmeli, roris marini & stæchados præbullierãt: moxque ab insessu ex oleo lumbricorum, liliaceo & vulpino, in quo catelli pingues ad dissolutionem ossium à carnibus deferbuerant, & expressione facta indebam styracis calamitidis, benioni, oppoponacis, olibani, macis, nucis myristicæ, singulorum drachmam, addita aqua vitæ ter destillata, & anseris adipe atque cera, mirificum paravi unguentum: à quo, cum totos menses duos usa esset, integre levata est, & denuo pluries concepit, & feliciter gestavit atque peperit quos conceperat: & in præsens vegeta & incolumis degit, ad laudẽ Dei glorioſi & excelsi. Valleriola lib. 5. Observat. 2. Vide præterea Pareum lib. 23. cap. 26.

OB-

OBSERVATIO CLXXXVII.

Fœtus mortui, viva matre, sola manuum solertia & industria, sine instrumentis Chirurgicis, eductio.

SI aliquando contingat fœtum emortuum in utero esse, vivente adhuc matre, docebimus qua deinceps ratione sit etiam eximendus, utero minime vitiato, & qui semel postea admittere possit: quod non semel aut iterum, sed multoties nos expertos putes. Quo pacto autem administraverimus, audies. Re jam prope desperata, & omni obstetricum ope prorsus vana atque inani convocati, primum interrogavimus ab ijs qui laboranti præfuerant, signa omnia quæ fœtum emortuum indicarent: nempe immaturum esset pariendi tempus an non: nunquid violentum accidisset matri circa uterum, an vero id factum fuisset alia quavis causa externa aut interna, interimente fœtum. Vbi neutrum horum accidisse cognovimus, non etiam primum partum, nō ætatem imbecillem, non uteri à præcedenti fœtu dilacerationem: tum quidē petimus, utrū excremēta aquosa omnino defluxerint, & quam pridē, cruēta etiā apparuerint,

nec ne: deinde frequentes ne præcesserint, an interpollatæ dolorũ accessiones: an jam præterierint omnino: & quanto antea tempore, an etiam cum extremis doloribus aqua prosilierit. Ea omnia postquam cognovimus, tum ad alia signa divertimus, quæ nobis magis peculiaria essent: quorum omnium certissimum est (ne hic omnia temere enumeremus) fœdus & corruptus vapor, assidentium nares præter solitum, & plus æquo vehementer afficiens: ipsam etiam matrem plurimum torquens, & ex ructu foras exiliens. Itaque jam hit signis diligentissime excussis, ubi cõpertissimum nobis fuit fœtum non amplius vivere: tum cogitamus de positione optima mulieris. eaque ita deliganda & constringenda, ut inter operandum nihil periculi subiret, nobis quoque nihil obstare posset, quo minus fœtum diligenter extraheremus. Adducimus sedentem matrem fere usque ad imam lecti spondam: tibias ejus aliquantulum incurvamus, crura diducimus: fasciam latam, eamque longam & validam, minime duram, à medio comprehendentes, sub planta media pedis parturientis componimus: deinde efficimus ut alia fasciæ pars in dextrum tibiæ latus, alia in sinistrum per pedion ex oppositio inclinet, atque ita tandem vincula sub poplite de-

te devolvimus:illic crucem rursus aliam efficimus,cujus extremitates adhuc sibi invicem supervectæ per cruris medium,rursus tertiam crucem efficerent:tum ipsa extrema simul ad cervicem per pectus ita deducimus,ut leviter crus & tibiam inflexam continerent : à cervice ad aliam corporis partem extrema prædicti vinculi pene deflectentes, atque ad crus alterius lateris exporrigentes: in eo ligamenta ducimus ex opposito in crucem, veluti in altero crure factum fuerat, deinde ad poplitem iterum aliam crucem imponimus, & rursum tertiam circa pedion : quomodo in alio latere jam feceramus : quodque extremum vinculi ad internam tibiam spectabat, id sub planta sic inflectimus ut ad extremum ejusdem tibiæ latus devolutum, cum alio extremo constringeretur, ne vel inter operandum dissolvi posset, vel ipsam mulierem in motibus incompositis aliquo pacto offenderet. Id ubi factum fuit, reclinamus mulierem supinam: statuimus adjutores duos, qui crura diducta & firma continerent: præter alios tamen qui corpus mulieris reclinatum ita cohiberent,ne præ dolore vehementius subsultaret. Ministros autem hujusmodi delegimus, ex ijs quos facile agnoscebamus

bamus infracto & audaci esse animo, quique ab opere haud ita cito cessarent, non etiam lachrymis, aut vocum pietate, aut rei ipsius crudelitate præter æquum moverentur. Linteo calido, in multos sinus conduplicato utramque crurum mulieris regionem operimus, ne spectantibus dolor aut pietas concitaretur ex opere: sub eo etiam linteo, manus usque ad mediam fere ulnam occuluimus, ne res ex se plane impia, astantium affectus plus æquo concitaret, animosque percuteret. Sinistram manum per pudendum intro demittimus, digitis sibi invicem incubantibus, & ad internam manum arctissime compressis. Sentimus per collum uteri fœtum in caput devolutum: vix autem exilire potuisse, propter angustiam, quæ esset in collo matricis imo, juxta pudenda: tum aliam manum secundum palmam sinistræ concavam sensim intro dimittimus: cumque jam se invicem constringerent manus, fœtuique proximæ essent: tum utramque in pugnum claudimus, quo robustior fieret totius brachij vis in diducenda parte, & præmunienda fœtui via. Pugnis factis, totis viribus ad diductionem nitimur, medijs digitorum utriusque manus articulis sibi invicē concurrentibus inter di-

ducen-

ducendum : ut noſtra brachia in ejuſmodi motu plus viderẽtur foras operari, quam intus manus. Vbi ſentimus juſtam viam præparatam, tum nos dextram manum leviter extrahimus, ſiniſtra partem fœtus, quæ magis ſeſe offerrebat (ſiquidem juſta nobis viſa fuit) comprehendentes: erat autem caput. Nam ſi ex pedibus alterum ſenſiſſemus, nunquam is corripiendus erat, ut à pede totum corpus extraheretur : ſi manum, intro etiam erat propellenda, donec caput ſeſe offerret: nunquam enim tuta eſſet fœtus extractio à primis manibus aut pedibus: ſi duplicatus ſeſe obtuliſſet fœtus, hoc eſt, vẽtre, vel natibus, vel humeris ad exitum præparatis: commodius fuiſſet leviter partem prominentem intro repuliſſe, fœtumque ad caput, quantum fieri potuiſſet, devolviſſe, quam ita extraxiſſe : nunquam enim ſine maxima parturientis noxa fieri id poteſt, quanquam aliquando fiat. Sed ad rem. Caput ſubtus corripimus, manu ſemper infra reſidente nunquam autem ſupra: leviter id extrahimus, donec altera manus adjutrix priori data eſſet. Sed & ſiniſtram, quæ intus erat, uſque ad umbilicum fœtus, iterum ſurſum duximus: eũ enim inculpatum inprimis obſervare neceſſum fuit, propter

secundinam : quam intus reliquisse lethale foret. Ipsum itaque inter duos digitos aut continuimus, aut molliter ijs circumvolvimus. Eoque pacto puer extinctus una cum suo chorio, nullo negotio tandem extractus est, tam si visus nobis fuisset fœtus major aut tumidior, quam qui maxima difficultate foras exiret, neque viventem matrem posse permittere: cum præcipua diligentia sit in umbilico adhibenda, tum umbilicum excepisse, ac dejunxisse tutius fuisset, filiumque extra uterum deprehisse, ne secundina intro concluderetur: deinde vero per ventrem & pectus incidendus erat fœtus, viscera ejus eximenda, quo gracilior fieret: postea autem umbilico partes ad extractionem faciliores excipiendæ, atque ita altero genu nostro ad lecti spondam inclinato, diligenter extrahendus, quando id sola manus præstare non potuisset. Fœtu quo vis depulso, nunquam umbilicus est relinquendus, donec integra secundina subsequatur. Talis est extrahendi fœtus demortui ratio, si quando matrem vivam & integrum uterum observare cupias. Carolus Stephanus, lib. 3. cap. 2. de dissect. part. corp. hum.

Anno

Anno 1587. Octobris 26. cum essem in Illustrissimi Principis mei arce Horburg, quæ juxta Colmariam est, vocatus fui à cœna, post horam septimã, ad junioris mei Principis Ludovici, prius nutricẽ, Barbaram nomine, quæ doloribus partus divexabatur. Hæc enim cum partui foret proxima, supputationumque dies præterijssent, 23. hujus mensis per scalas supra dorsum delapsa, ut fere in lipothymiam inciderit: die vigesimaquinta ante prandium, partus dolores persentire cœpit: 26. vero auctis doloribus & ruptis involucris, aquæ effusæ, quo tempore vixisse adhuc fœtum, mulieres adstantes asserebant, quod ex motu apparente collegerint. Dum vero adfui, licet à 7. usque ad 12. noctis adstiterim, nullum motum sentire potui: dolores tamen & conatus crebros non fortes & irritos pertulit. Sacculos ex lino in aqua coctos applicari jussi, & continuo pubi admoveri, idque ad partes emolliendas & tumorem impediendum: ipsa vero aliquando sellæ insidebat, interdum stabat. Obstetrices bonum fœtus situm asserebant, caput & capillos se sentire, sæpius à me interrogatę, asserebant. Ego tandem videns illam frustra eniti & torqueri, jubeo in lectum recumbere, discedo, rediturus cum vocarent. Vocor post quartam, dolores non aderant magni: de do-

lore tantum lumborū conquerebatur, ex dolore delirabat. Obstetrici injungo, ut humectatam manum in decocto lini & inunctā butyro, pudendo inferat, & scrutetur, quo in statu sit fœtus, & an aliquid mutatum: respondet, esse in eodem, quo præcedente fuerat die, statu: ego tandem præparata manu, uti obstetrix, eam admovi, comperio tumorē fere extra collum uteri, qui tangendo restitit, digitos molliter supra tumorem ducē lo, nullos sentio pilos. hinc malum cōijcio situm fœtus, intrudo manum ut perquiram: comperio partē mobilem in tumore, dubius hæreo, quæ sit pars: paulo penitius perquirens, rumpitur ex improviso tunica amnios, & profluit aliquid liquoris: ad tactum apparet manus & vasa umbilicalia: indico obstetricibus eas deceptas eo tumore, & ut iterum admoveant manum: sed nihil trahant educātve, mihi alia ratione procedendum. Quare jubeo ipsam supra marginem lecti sedere, & dein per transversum in dorsum recumbere: pedes supra scamnum lecto admotum, firmaret, qui per duos tenerētur: supra corpus relinquo culcitram, superinduco linteum, ut nullæ partes apparerent, nec etiā quæ ego manibus, vel obstetrix ageremus, quo honestius omnia tractarentur. His ita peractis, profunde in uterum protrusa manu ad mediam fere ulnā, perquisivi pedes al-

ternatim, modo dextra modo sinistra manu utens: satis commode pedem unum reperio, paulatim attraho, alterum perquiro, non possum invenire, tandē fascia ligo pedem in ipso collo uteri: jubeo obstetricem paulatim trahere, dum iterum intrudam manū, & perquiram alterum pedem, ducens manum secundū crus fœtus: pervenio ad podicē fœtus, intruso digito in podicem, traho paulatim, iterū perquiro pedem, sed frustra: tandem, paulo fortius podicem dextra manu traho, & sinistra ligamentum pedi annexum: res nonnihil succedit, postea invenio pedē, quo reperto, victoriā cano, attraho paulatim, eo educto, utrumque pedē obstetrici trado: jubeo ut lente trahat, ego manu dextra uterū dilato, & sursum rugas repello: tandem sequitur abdomen cum dorso, hæret deinde circa humeros, alterū brachium perquiro & educo: jubeo obstetricem continuo modeste trahere, manu impedio ne uterus ad collū pueri claudatur, (quod fieret, nisi manus impediret) manum in os pueri intrudo, & paulatim caput attraho. Extracto toto fœtu, subito ne claudatur uterus, (quod in momento fit, magno cum periculo) intromissa manu ad medium fere cubitum, paulatim secundinā perquiro, ac sine vi (ne invertatur uterus, ut eveniſſe opera malarum Obstetri-

ſtetricum vidi) eam leviter integrã educo, ſanguinem etiam grumoſum, manu ducta per totam uteri capacitatem, extraho: ſubito retraho manũ, & ut comprimat crura jubeo, paulatim ſupra lectum retrahendam curo: pudendis & abdomini cum ſacculis appono panem coctum in vino & aqua, à ſomno impedio, & à vini potu, ac quietem injungo, paulo poſt aliquid juſculi curo exhibendum, interdico ne nimium calefaciant hypocauſtum. Operatio hæc feliciter fuit peracta intra horæ ſemis ſpacium: Deo Opt. Max. ſit laus. Hactenus Hiſtoria, quam mihi Iohan Bauhinus, frater chariſſimus communicavit. Caſpar. Bauhinus.

OBSERVATIO CLXXXVIII.

Extrahendi fœtus vivi ratio, matre mortua.

SI fœtum nondum emortuum ex pulſu & ſubſultationibus conijcies, matre adhuc in extremis laborante: debes (antequam ea ultimum ſpiritum emiſerit) virgula in triangulum inflexa & à ſuperiori dentium ordine ad inferiorem collocata, apertum morientis os continere, ne præcludatur fœtui ſpiritus atq; is ſuffocetur. Æquum etiam fuerit, obſtetricem nunquam ab oſtio vulvæ manum dimoviſſe,

visse, & incurva ac diducta mulieris femora, quanta poterit diligentia continere, donec extremo spiritu exhalato, chirurgica manu fœtus exectus fuerit. Vivum autem eripies, si statim emisso ultimo spiritu, ore etiam demortuæ mulieris aperto, & vulvę ostio aut pudendo minime plæcluso, confestim ad lateris partem, ita in transversum sectionem aggrediare. Sic nos aliquando feliciſſime administravimus haud sine adstantium omnium applausu. Quo pacto autem deinceps in extractione vivi fœtus persecutis simus, mox audies: Lineam cultro rasorio leviter duximus per sinistrum mulieris hypochondrium, circa uteri extuberationem: haud ita profunde tamen, sed tantum usq; ad peritonæum: cavendum enim erat, ne quid intestinorum aut attactú, aut vitiatum esset, si forte una peritonæum incisum fuisset. Rursus ita admovemus novaculam, ut summa tantum cuspide peritonæum incidatur, ad digitos sinistræ manus intromittendos. Eo facto digitos per rimam peritonæi intro demisimus, ijsque incurvatis peritonæum sursum aliquantulum ereximus: altera deinde manu (nempe dextera) novaculam admovimus in eam peritonæi portionẽ, quæ digitis intermedijs continebatur, leviterque cõtecuimus id à peritonæo elatum, quod

inter

inter digitos comprehenſum fuerat, ſecundū vulneris longitudinem. Iam tum libere totam manum intro devolvimus uſq; ad matricem, inteſtina paulatim ſurſum attollentes, ne quādo delaberentur: eademque manu vulneris labrum ſuperius diducentes, quo facilius veniret in conſpectum uteri tumor. Hic non ſegnes fuimus, ſed ſiniſtra manu intus relicta, & ulceris labrum apertum continente, dextram ad conſectionem aptavimus, ad unius tantum digiti ſpiſſitudinem imprimentes novaculam in tumorem uteri, eumque pro vulneris longitudine quanta fieri potuit diligentia conſecantes: haud tamen ita temere ut prima ſectione matrix ad integrum conſecta videretur: incerta eſt enim & varia matricum ſpiſſitudo, quemadmodum Galenus optime cenſuit. Itaque ſenſim iterum atq; irerum demiſſa novacula, leviſſime tandem diſſecuimus uterum, quouſque ad ſecundinam ventum eſſet: eam vero facile cognovimus ex venarum confuſa multitudine, ſanguinē veluti expreſſum eructante: quod agnoſcendi chorij indicium tibi ſit omnium certiſſimum. Tum demum novaculam reliquimus: jam ab obſtetrice certiores facti, defluxiſſe aquoſa excrementa, quibus innatare ſoleret fœtus: muliere nondū extincta. Alioqui niſi id & ſignis & verbis

bis compertum nobis fideliter fuisset, tum excrementa defluxisse, tum matrem jam pridem è dolore laborasse: nondum quidem novaculam reliquissemus, sed etiam secundinam penetrare rutius fuisset, & summa novaculæ cuspide ipsam incidere, ad excrementorũ effusionẽ: retenta enim hujusmodi excrementa, integram adhuc secundinam esse indicant, quod præcipue fieri solet, immaturo adhuc partu. Itaq; post factum in secundina foramen novaculæ cuspide, tum utriusq; manus digiti intromittendi sunt ad eam lacerandam. Nos autem & signis ipsis, & verbis agnoscentes effluxisse excrementa, & secundinam disruptam, tum quidem dextram manum secundum uteri altitudinem in profundum sensim demersimus, ut extensis digitis, integrum fœtum comprehenderemus: sinistra matricis cõsectæ labia sursum attollendo, ne forte impediretur ab intestinis, atq; in sese cõcideret. Vbi fœtum sub manu sensimus, tum ita leviter ipsum convertimus, ut ejus spina toti palmæ nostræ incumberet, atq; extensæ manui & brachiali insideret: nam plurimũ cavendũ esse duximus, ne vel à thorace, vel à ventre, aut pede, aut brachio, aut etiam capite comprehẽderemus: id enim sine periculo vix fieri potuisse credidimus. Sed quando caput infra devolutum

volutum ſenſimus, tum manu ſecundum ſpinam protẽſa, curavimus, extremos digitos ad humeros paululũ incurvare, quo facilior fieret apprehenſio. At ſi ſurſum caput reperiſſemus, tum quidem extremi digiti ſub natibus & oſſe ſacro confirmandi fuiſſent. Itaque manum paulatim ſurſum attulimus, ita ut totum brachium in mulieris ventrem extremum leviter incumberet, eumque modice comprimeret: Eum quando conſpeximus, ſiniſtram manum dextræ adjutricem dedimus: & altera fœtum oſtendente atque erigente, altera ſenſim extrahente, fecimus ut in ventrẽ mulieris ſupinus fœtus depelleretur. Voluimus autem confeſtim experiri viveret nec ne, cum propter imbecillitatem ac laborẽ nullum artuum promoveret, neque ſpiritum. Id vero facile cognovimus, primis digitis fœtus umbilicum prominentẽ juxtra ventrem molliſſime attrectantes: & modice per aliquod ſpatium comprimentes, ſenſimus pulſantem arteriam in umbilico, etſi circa parietalium oſſium fines, in eo quem vocant fonticulum, nihil attolli aut moveri videretur: nec digito ori admoto lingua calorem aliquem præ ſe ferret. Cum primum percepimus arteriæ pulſum, in umbilico confeſtim filo cerato quod nobis erat in promtu, primum ſtricte ligavimus ad

trium

trium digitorum latitudinem ab ipso ventre, dein iterum atq; iterum alijs locis etiam constrinximus, extremos nodos semper strictiores efficientes. Scies quid postea acciderit: vix consummata hora integra, cœpit puer oculos aperire, os diducere, de fonticulo pulsare, artus etiam leviter extendere: denique vocem atque ejulatum emittere. Idem autem persæpe accidisse comperimus in partu difficili. Carol. Stephan. lib.3.cap.1. De dissect.part.corp. human.

OBSERVATIO CLXXXIV.

Exempla exsectorum ex utero matrum mortuarum, qui Veteribus Cæsares & Cæsones dicebantur.

PScipio Africanus prior, defuncta parente, excisus utero in diem venit. Ideoq; etiam primus apud Romanos Cæsaris nomine salutatus est. Simili modo natus est Manlius qui Carthaginem cum exercitu intravit. Solinus cap. Polyhist. & Sillius Italicus lib.13. Plin. lib. 7.cap.9. Forte hic est. M. Manlius Torquatus, qui cum L. Martio Censorino consul fuit.

Gebhardus, Vthonis Comitis de Bregentz F. ex matris utero exectus, Constantiensis Episcopus factus est anno 1001. & monasterium Petershusium, item templum Circiacense (in

emporio nobili Helvetiæ Zurzach dicto) extruxit. Bruſchius.

Anno 959. Burcardus Comes de Lintzgovv Buchorn & Monteforti liberalitate in pauperes præſtans, poſt Cralonis obitū Abbas Sangallenſis deſignatus eſt, confirmatione ab Othone Magno, per baculum & ferulam accepta. Dictus vulgo Ingenitus, eo quod ex mortuæ matris alvo exectus eſſet. Bruſchius.

Vidi anno præterito Villicam quandam, euſarcam & optimi habitus, nono menſe laborantem gravi morbo, ventriculi ſcilicet exulceratione: quæ diebus viginti ſine cibo potuq; permanſit, nam quicquid devorabat ſtatim vomitu eijciebat: affectusque ſævitia tandem mortua, diſſecto utero puerum extraximus vivum, qui Fortunatus ad fontem ſancti Baptiſmatis vocatus, me conſultore, fuit, adhucque vitali fruitur aura. Horatius Augenius lib. 5 epiſt. 2. cap 11.

Cotyledonum ſpecies, non niſi in gravidis, recenter diſſectis uteris oſtenduntur: ut mihi ipſi jam ſexto fœtum vitalem execanti coram contigit his meis oculis intueri.

Cornelius Gemma Cyclognomicæ lib. 2. ca. 6. pag. 74.

OBSER-

OBSERVATIO CXC.

Si duos fœtus gerat mater, quorum alter vivus alter sit demortuus, uterq; autem ad exitum festinet, quid agendum.

INterdum geminos gestat mater in utero, quorum alter extinctus est (atque is semper emergit prior) alter vivus subito consequitur. Hujusmodi quiddam subit hic tibi paucis recensere, quod fortasse mirum videbitur, ut inde scias quo pacto te gerere oporteat in gemini fœtus extractione. Nam factum aliquando fuit, nobis præsentibus, ut ipsa mater cum obstetrice de fœtu vivo, quem se persentire ajebat, vehementer disceptaret: obstetrix autem contra plurimum instaret signis exterioribus fœtum demortuum indicantibus Tandem autem accidit, fœtu jam extracto (qui etiam in utero mortuus judicabatur) & eo pacto quo jam superius dictum est, cum secūdina foras exemto, ut alter fœtus subito sua sponte vivus prosiliret cum altera secundina, etsi nihil prius à nobis simile per signa exteriora persentiretur. Itaque utraque eorum verax facta est: mater enim cum vivum fœtum se sentire assereret, nō putabat duos in utero gessisse: obstetrix autem

tem dum contenderet mortuum esse fœtum, minime existimabat alterum consequi debere. Vide quæso quam varie interdum res accidant. Atque hoc sit tibi maximum argumentum, nõ esse (ut quibusdam placuit) ferro tractandos fœtus in extractione: nihil enim manibus certius, nihil securius ac levius. Redeo ad superiorem sermonem. Solo atq; integro fœtu mortuo libere foras extracto, petitũ est à nobis, num signis aliquibus cõperire posse-mus, quænam fuisset interimendi fœtus causa: an id matris vitio, an aliquo impetu externo accidisse judicaremus. Ibi nos secundinam etiam integram correptam, manibus extendimus, ut eam undecunque circumspiceremus luci expositam. Visum est nobis in parte chorij dextra lividum ac concussum quiddã, quale accidere solet ex inflicto ictu: ut venulæ ejus partis omnino corruptæ & confractæ apparerent: tumorque circa lividam partem promineret. Tum rem omnem ob oculos circumstantium proponimus: id asserentes, fœtum ex inflicto ictu circa uterum matris fuisse extinctum, etsi nihil tale per corpus fœtus appareret: imo conspiceretur probe enutritus, nulloque alimento indiguisse. Gracilem autem fœtum aliquando extraximus, & qui nutrimenti penuria laboraverat in utero: hujus secun-

secundina putrida omnino & corrupta visa est: foris confracta, fœtidissimumq; odorem referens: valetudinarius postea fuit fœtus. Quasdam secundinas vidimus aridas, & sua humiditate ac sanguine destitutas, alias multis partibus confractas, sed id fœtus efficere potuit. Carolus Stephanus lib. 3. cap. 2. De dissect. part. corp. human.

OBSERVATIO CXCI.

Mulierculæ ob partus difficultatem, uteri os exulceratum neglectumq;, adeo coaluit, ut exiguo foramine pervium relinqueretur. Eidem rursus gravidæ, ob locorum angustiam, fœtus denuo suffocatus & per chirurgiã frustillatim extractus est, in collo uteri ulcere excitato, & recto intestino cõmunicato, unde misera fæces per ulcus dejecit: quæ tandem, intestino consolidato, convaluit, atque de cætero excrementa per anum reddidit.

NObilis quędam mulier, cum ante aliquot annos uterum gestasset, ob difficultatem maximam partus, vi ille fuit extractus; unde ex violenta concussione & commotione os uteri fuit exulceratum. Cum vero nollet admittere Chirurgos, ulcus satis negligéter fuit curatum,

ratum, ut non solum hoc coaluerit, sed os ferme uteri universum vix minimo foramine relicto. Facta tamen tandem rursum gravida, cumque tempus pariendi adesset, consuluit Helidæus ut linimenta, & pessi adhiberentur, ad dilatationem, quibus in alijs quoque uti solebat. sed nihil inde utilitatis percœpit. Fœtus autem vi propulsus ex utero, propter angustiã loci ibidem fuit suffocatus. Iussit Helidæus ut sectio fieret, & frustatim fœtus mortuus extraheretur, quod factum fuit. Nescio autem quo pacto vel ex cõtusione in violenta fœtus extractione, vel ex putredine ulcus in collo uteri rursum fuerit exortum, idque recto intestino quoque cõmunicatum, ut illius aliquot frusta extraherentur, ac fæces per ulcus exirent. Infusa aqua hordei in qua Rosæ & semina melonum decocta essent, cui unguentum Ægyptiacum fuit admistum. Et post istam hęc decoctio. ℞ Rosar. myrtillorum, balaustiorũ, malicorij ana, decoquantur in aqua & infundantur pessi unguẽto digestivo illiti. His tandem remedijs intestinum consolidatum fuit, & excrementa per anum rursum exiere: unde chirungi satis valide siccantia admovebant, sicuti est unguentum de Calce, & Diapompholygos. De observat.

Cl. V. Ioach. Camerarij.

OBSER-

OBSERVATIO CXCII.

Cæsareum partum, quo incisa matris alvo, fœtus, salvâ utriusque vita educitur, non omnino novum, sed vetus inventum esse.

FErrant, inquit Ioachimus Fortius, qui putant, Iulium fuisse Cæsarem nuncupatum à cæso matris utero dum nasceretur. Nam quo tempore subjugaret Gallias, matrē nomine Aureliam amisit. Quæ supervivere nequivisset, si cæso ejus utero natus ille fuisset. At in his audiendus non est Ioachimus: nam plures mulieres vixisse annos multos constat, imo vero cōcepisse ac peperisse, cæso illarum utero: quemadmodum historijs aliquot alibi etiam ostendimus. Ant. Mizaldus Memorabil. Cent. 1. Aph. 100.

OBSERVATIO CXCIII.

Historiæ novæ, stupendæ, atque incredibiles prope, & à Iulij Cæsaris tempore, ad nostram usq; ætatem inauditæ, quibus ostenditur fœtus ex utero materno abdomine & utero per latus inciso, citra utriusque vitæ periculum, adeoq; sine conceptionis & fœcunditatis jactura fuisse eductos, qui alias in lucem produci haud potuissent.

NOn ita pridem ex quibuſdam ſenibus fide dignis prope Millyum Vaſtineti cognovi verum eſſe,(de quo etiam apud ipſos dubium non eſt)cujuſdam Gothardi, habitantis Meſnilij,quæ Millyj parochia eſt, conjugem, ante aliquot annos,ſexies,cũ alio modo parere nõ poſſet,ſectione ejuſmodi fœtus ſemper viventes eſſe enixam. Poſtquã vero Nicolaus Guillet tonſor Millyenſis,qui ſectoris munus obierat,mortuus eſſet, cum ſeptimo gravida, nec alia ratione fœtum excludere poſſet, nec eſſet qui hujuſmodi ſectionę cõſueta ipſi ſubvenire noſſet,ipſam mori oportuiſſe;quod ſane argumento eſt,magnã phimoſin vel naturalem anguſtiam fuiſſe,quæ quidẽ recipiendo ſemini,non autẽ fœtui excludendo ſufficeret.

Certo cognovi ex Ambroſ.Nigro Chirurgo Pithvverræ expertiſſimo & Ægidio Bruno ipſos una mulieri paupercule juxta Merinuillã Belſiæ, tres infantes vivos è latere extraxiſſe, quam cum in viſere eſſet animus, ut locũ vulneratũ inſpicerẽ,relatum fuit ipſam paulo ante peſte,quæ tũ vehemẽter ſæviebat, perijſſe.

Eſt mihi ad manus D.Alboſij Medici Senonenſis perdocta epiſtola, in qua fuſe, ſummo tamen cum ordine exponitur,qua ratione Ioannes Maræſius (id eſt,Paludanus) Chirurgus apud Chatras, Biturigum, Ludovici Maræſij Archiepi-

Archiepiscopi Senonensis Salazaris, Chirurgi ordinarij filius, è propriæ conjugis latere inciso, filium Simonem Maræsium nomine extraxerit, qui postmodum etiam Chirurgus, & Reginæ matris cubicularius factus. Nihilosecus tamen mater hujus naturali modo postmodum filiam Renatam nomine est enixa, quæ dein præfecto salinario nupsit. Hic Simon (qui sine matre cognominabatur) ex Rosa Gallardet uxore, binas filias suscepit, alteram Claudiam quæ postea Francisco Artus Yxilodunensi fuit desponsata: alteram vero Franciscam, Olivario Gannier nuptam. Hæ abunde satis attestari poterunt, ea quæ de paterna nativitate dicta fuere, cum hæc partim ex vulgi fama, maxime vero ex frequenti parentis relatu, cognoscere potuerint

Dominus Pelion, celebris Medicus Andagavensis, cum pridem Laurentio Collot Chirurgo Cysthotomo Lutetiano similem casum, qui in Andium ducatu contigerat, narrasset, idem tamen nuper epistola ad ipsum data, (quam mihi tradidit) confirmavit. Opus autem hoc peractum esse à quodam Maturino Debonnaire Chirurgo solum monet, nec sigillatim reliqua pertractat.

Ante exortum bellum civile D. Dionysius Armenautius Medicus Genabi & ego una, vidi-

vidimus in Xenodochio Caſtellionenſi, mulierem febri continua laborantem, quæ in inguine ſiniſtro rupturam habebat, cum cicatrice & factæ futuræ cõſpicuis punctis, quæ poſt apertionẽ ipſius Abdominis remãſerat. Teſtabatur ipſa cum marito, ante aliquot annos, filiũ qui tũm ſeptẽnis erat (quẽ nobis oſtendit) cum aliter excludi nõ potuiſſet, extractũ eſſe. Qud inciſio per ſenẽ tonſorẽ ejus pagi in Burgundia, in talibus (ut ipſi narrabãt) exercitato, peracta fuit: cujus nomen conſignaram, quo cum ex ipſomet, tam per literas, quã per amicos, ejus rei veritatem indagarẽ: tum etiam ut ex eodẽ operationem ipſi familiarẽ addiſcerem. Sed eorum temporum injuria fecit, ut & loci & perſonæ conſignationem amitterẽ, & hac ratione cõtigit, ut id quod expetebã non cognoverim. Verũ ab inciſione facta, licet adhuc ambo juvenes eſſent, utero nõ geſtarat. Et hoc proculdubio ab Armenautio, ipſius familiares, ſæpius narrari audivere, quod quidem cum ipſe, uti & alij quã plures, cũ initio ut crederet adduci non poſſet, pro indubitato poſtmodum habuit, ita ut animũ induxiſſet, ſi forte neceſſitas id requireret, ſectione hac uti.

Cum quatriduum extremis & irritis conatibus partus, divexata eſſet Bernhardina Arnolda, Stephani Maſſicault è Nangevillo pago uxor,

uxor, qui inter Stampas, Puisſethū & Pithvveras ſitus eſt, atq; in extremis cōſtituta, implorato meo per matitū auxilio, cum de ſectione conſiliū audijſſet, vel reclamante marito animo cōfirmato hanc in ſe experiri avide cupijt, idq; ita ſubito poſt intellectū conſilium meū, ut nollet Ambroſij Nigri advētum expectare, quem tanquam in hac arte exercitatū, miſſūrum me eram pollicitus, cum ob graviſſimum morbum, quo tum detinebar, mihi adeſſe nō liceret. Sed opera Ioānis Lucæ juvenis tonſoris uſa, qui tum ut etiā num Bunonij, in parvo pago vicino habitabat, qui dextre inciſionem hāc ſibi licet novā anno 1556. die ipſius Paſchatis in multorū prēſentia peregit, cujus rei aliq, inprimis vero ipſe, teſtimoniū phibere poſſūt. Inciſio (exemplū n. præcepti loco habeatur) à dextra Abdominis parte, tranſverſo digito infra umbilicū, & ultra quatuor digitos, ad latus ipſius incipiebat, inde recta ad pudenda uſq; progrediebatur, abſq; tamē rectorū Abdominis muſculorū læſione: trib. n. digitis ſuperne à recto muſculo diſtabat, inferne vero paulo minus. Muſculorū, uti & Peritonæi facta inciſione, abſq; tamē magna hæmorrhagia uterus conſpectui ſe obtulit, quē etiā ſeparatim incidit, facto ſatis magno vulnere, quo fœtui vivēti uti & ſecūdinæ, facilis per vulnus pateret exitus.

tus. Postmodum labia vulneris non gastrorapphi, sed communi vulnerum sutura quinque punctis consuit, non quidem uterum sed musculos & peritonæum, uti ipsemet observavi, dum ejus solum rei gratia, cum convaluissem, ipsam invisissem. Sed & posthac sæpius in ipsa id commode observavi, dum Herniam percurare conarer, quam deinceps semper habuit, vel ob suturam minus recte adhibitam, vel quod minus diu quam par erat, in puerperio remansisset, quadraginta enim solum diebus lecto se continuerat. Sesquianno autem post, priori marito defuncto, cum Petro Chāclau nupsisset, qui etiamnum superstes, rursus concepit, & feliciter naturali modo, filiam enixa, quæ etiam secundas nuptias contraxit, & Nangeuillæ habitat, quo loci, plures adhuc hodierna die, fide dignos hujus rei testes est reperire.

Nicolaa Beranger, Simonis de la Garde conjunx, quæ Alrij Briæ prope Fontembellaqueum, loco duobus miliaribus ab urbe Nemorio distaute, habitabat, cum menses decē & quidem jampridem fœtum mortuum utero gestaret, orificio uteri se non recludente, tandem Vincentium Valleau Chirurgū Nemorsensem veteri mihi familiaritate junctū, ad se vocavit: qui cum aliud auxilium, quo ipsi

succur-

succurrere posset, non videret, circa Ianuarij finem, anni 1542. incisione lateris, non quidē uti prior dextri, sed sinistri usus, loco tamen paulo altiori quam ipsius Nangeuillanæ erat: dissecto prius abdomine, dein ipso utero, ex quo fœtum mortuum, inflatum & fœtentem una cum secundina putrida extraxit. Hoc facto (cum de salute apud ipsum exigua esset spes) cutem una cum portione exigua Musculorum, relicto tamen utero, quinque punctis consuit, quod adhuc conspicuum, cū sola ipsius cutis cicatrix, super ipsa intestina conspiciatur, hanc enim ut viderem incisionē cum Pavie Chirurgo Nemorsensi (prædicti Valleau famulo) eo abieram: quare locum cicatrice obductum & vidi, & manibus, absque tamen dolore, tractavi: sed eam subligaculo uti oportuit: & licet magna foret hernia, nihilo tamen minus victum, uti licebat, manibus laborando quærebat. Quare studiose hoc observandū erit, quo omnes intelligāt perfectam gastroraphiam eo loci non necessario requiri, ne dum laboramus ex arte perfectam futuram (quamvis non necessariam) efficere, totum opus perdamus. Mense sesquialtero lecto se continuit, dein biennio post filiolā cōmode enixa, & alterum postmodum biennio, filium, cui nomen erat Petro de la Garde, pepe-

peperit, qui nunc faber ferrarius est. Ipsa verò adhuc supervivit in pago Vry dicto obstetricis munere fungens.

Agneta Boyer Ioannis Campain rustici uxor, quæ Villerelli prope Neoburgum Belsiæ commorabatur, postquam integro quatriduo misere, & quidem frustra discruciata esset, tandem ut & prædictis, latus dextrum à Philippo Migneã tonsore Neoburgi habitante, sectione apertum fuit, quod anno 1544. contigit, dein prout licuit, Musculi una cum cute fuere consuti. Vulnus quidẽ hoc in Abdomine brevi temporis spatio fuit consolidatum, sed partes genitales attritæ, Chirurgum ab omnimoda prorsus vulneris curatione ultra mensium septẽ spatium impediere. Filiam tum habuit, quæ ultra mẽses septem sana supervixit, octavo dein mense, dum eodẽ in pago apud nutricem esset, in morbum, qui ipsi fuit exitio, incidit. Paulo post denuo gravida facta fœtum gestabat, ad rupturã (quæ uti & alijs incisis, absq; tamen dolore remanserat) declinantẽ: verum quẽadmodum nec prius, ita neq; tum parere potuit, ob aliquas causas & obstacula (uti conjectari licet) superius enarrata. Quare ultro sectionem, qua prius usa erat, expetijt, quod tamen precibus qualibuscunq; à duobus junioribus Chirurgis, hanc ob causam Neoburgo eo vo-

covocatus (qui post Philippum peste extinctũ eoloci habitabant) impetrare nõ potuit. Quo factum, ut propter horum pusillanimitatem (cum tamen neque virium prostratio, aliudve difficilius symtoma ab incisione facienda, ipios impediret) mater una cum prole misere perierit.

Pari pacto Antonia Andrea, Ludovici Garnier Operarij uxor, Anno 1576. Iulij 22. per Adamum Alberium Pithyverensem Chirurgũ Obenignij habitãtem, Ambedoæ prope Brissonij fanum diœcesis Genabiensis, fuit incisa: quod ab ipsomet Chirurgo fusissime una cum felici successu, mihi fuit expositum, propterea quod sæpius cum ipso, hujus sectionis gratia contulissem. Cui (cum ipsius mihi perspecta esset in operando dexteritas, atque felicitas) suasor eram, ut sectione hac, si alia deessent auxilia, absque metu uteretur, licet forent Medici, & alij, qui contradicerent, modo id fiat cum judicio & explicata rei difficultate, in primis vero divino auxilio implorato. Non enim hæc res inducias dat, nec etiam consilium longe petitum expectare licet, quod fieri solet in pagis, locisque campestribus: præsertim cum ipsorum nullus nec velit, nec audiat, huic consilio assentiri, eo quod horum aliqui huic rei fidem non adhibeant;

hibeant:alij vero calumniam metuentes, nè si forte etiam ob aliam causam, siniſtri quid contingeret,autores mali haberentur. Postmodum rursus gravida reddita, naturali modo fœtum enixa est,sed paulo post ob summã annonæ caritatem,alibi victum ut quæreret, maritum sequi coacta.

Historia habetur alia, quæ non ita pridem cõtigit:anno nimirum 1578. Calend. Februarij Iohanna Michel,Argent oriunda, Georgij Renaldi, habitantis in suburbio Obenigniano,uxor, cum jam ultra mensem decimũ gravida,diu fœtum mortuum utero gestasset, nihilo tamen secus munia obibat domestica, donec lecto se continere coacta: quę cum diu ab obstetricibus frustra esset misere tractata, tandem Adamum Alberium & Guillelmum Collas,insignes Chirurgos ad se vocavit : hi postquam infanti brachium diu ex utero materno propendens, jam emortuum & lividũ abscidissent, nec tamen reliquum corpus extrahere possent,latus dextrum incidere, vulnere orbiculari & angusto satis (quo matri parcerent)facto.Hinc factum,ut dum in fœtu extrahendo laborarent,magnos dolores matri intulerint. Vterus enim ob vulnus angustius,fœtum cum dimittere non posset, eũdem comitabatur,ac si una extrahendus esset.

Verum

Verum dolores hi, post fœtū una cum secundina exemtum, sedati fuere. Et sic paulo post fluxum lochiorum, (quæ non secus fluxere, ac si naturali modo fuisset enixa) convaluit, & septimanis quinq; elapsis, rursus mẽstruas purgationes habuit, statimque post concepit, in fine nimirum mensis Maij, anxia jam (rei anteactæ recentem colens memoriã) quid tempore partus futurum esset. Verum finito gestationis tempore, convenienti modo fœtum exclusit, & licet infans unam solum tibiam extreret, (quod sane periculo non caret) tamen cum ab obstetrice esset denuo indita, feliciter omnia succesisse re. Ab eo tempore cum rursus gravida facta, non tamen secus quam antea felicẽà Deo successum expectabat: quare nunc secundo feliciter peperit, munijsque domesticis ut prius, ita etiamnum cõmode præest. Franciscus Rousletus de Partu Cæsar. Sect. 1. cap. 5. & 6.

Cum circa annum salutis 1500. Elisabetha Alespachin, Iacobi Nufer ὀρχοτόμου, in pago Sigershausen (præfecturæ Gottliebanæ in Turgavia, parochiæ Altishvvilanæ) uxor, primo utero gestaret, & jam doloribus partus per aliquot dies divexaretur, ad se Obstetrices tredecim, & aliquot lithotomos vocavit, à quibus, frustra tamen, opem sperabat, cum

nec fœtus excludi, nec etiam dolores mitigari possent. Quare jam desperata salute, maritus uxori consilium suum communicat: quod si consentiret, velle se quo speraret, annuente Domino felicem successum in ipsa suam experiri industriam. Annuente ergo ipsa ad Archipręsidem Frauvvenfeldensem abijt, rem uti se habebat, exposuit, conatum aperuit, licẽtiamq; sibi dari rogavit. Re intellecta, Archipræses primum quidem difficiliorem se exhibuit: dein vero fiduciæ mariti confidens, annuit. Quare licentia impetrata, domũ redijt, Obstetrices alloquitur, & hortatur, ut quæ cordatiores sint, sibi & uxori in Hypocausto assistant: timidiores vero ex conclavi recedãt: moliturum enim se aliquid, quo, benedicente Domino, salutem Vxoris speraret. Obstetrices ergo, consilio magna cum admiratione intellecto, ex ipsis undecim è conclavi recessere: duę cordatiores cum Lithotomo mulieri parturienti adstitere. Quare Maritus implorato primũ divino auxilio, & janua diligenter clausa, Vxorem mensæ imponit, abdomini vulnus (non secus quam porco) infligit. Verum primo ictu ita feliciter abdomen aperuit, ut subito infans absque ulla læsione extractus fuerit. Cum jam undecim Obstetrices, quæ præ foribus stabant, infantis vagitũ audirent, intrare

(sed

(sed frustra) expetebant: non enim intromissæ fuere, antequã fœtus mundatus, vulnusq; Veterinario more cõsutum foret, quod postmodũ absq; alio superveniẽte symtomate, feliciter coaluit. Eadem enim post hancce τεμοτοκίαν, secundo gemellos enixa est: quorum unus Ioannes Nufer nomine, pagi Sigershausen Præfectus, annum jam agens sexagesimum, anno octuagesimo tertio adhuc in vivis fuit. Post hos gemellos, quatuor alios liberos enixa est. Exsectus vero infans, primum anno salutis septuagesimo septimo, diem suum clausit. Hujus etiam mulieris liberi atque nepotes adhuc vivunt superstites. Casp. Bauhinus in Appendice ad Partum Cæsareum Roussetι.

Vivum valentemque educi fœtum posse, tum omnibus quidem integris ipsius rebus, tum etiam matris: utero nimirũ ad latus umbilici alterutrum dissecto prudenter. Cujus argumenti disceptationem, quando rationibus multis & operibus, etiamque eventis novissime confirmavit Doctor Franciscus Roussetus, vir vitæ & artis clarus, integritate & utilitatis publicæ amantissimus: rati desistendum nobis ab hoc incœpto, censuimus indies rem nostram, hoc est, Hippocrateam, eodem pacto unuscujusque Doctorum opera

scriptoque amplificari oportere. Sed inter alia duo sunt, quæ haud possumus satis demirari. In primis etenim Buneum Tonsorem isthunc juvenem & inexercitatum dissectorem aliquando rogabamus, anno nempe salutis 1571. quum ad medicinam faciendam vocati venissemus in Vinetũ (quæ villa est sui quondam possessore domino clarissima, Regis Cancellario dignissimo, bono viro, pijssimoque Hospitali) quanam id arte præstaret, industriaque. An cutim primum dividere solitus esset: deinde an hos vel illos potius Epigastrij musculos, postremoque Peritonæum, ipsumque tandem Vterum: an quæque hæc separatim scilicet, an vero simul universa. Quæ nobis percontantibus, nec sine studio & admiratione, totus ipse obstupuit, obmutuitque: cumq; urgeretur magis, fassus est is ingenue nostras interrogatiunculas ænigmatum plenas sibi videri. Se securum tunc ab omni metu, ventrem fœtus granditate distentum quã maxime, non secus scalpro solitum dividere, quam abscessuum aliud omne genus. Partes dissectas nonre, nec verbo potuit unquam rogatus discernere, & ne ullam quidem appellare. Alterum nos non dissimiliter conjecit in admirationem, quod postquam vir ejus mulierculæ (utrumque enim perplacuit convenire) excessisset

fisset è vivis, cui nomen fuit Stephanus Massicault, & alteri se Petro Chanclou mulier junxisset, non desierit concipere, nec utero gestare, neque etiam legitimo tempore perfectum parere. Ergo quod tantopere visum insolens fuit summo artis dictatori, in usum tandem trahetur, & consuetudinem: longe melioribus muliercularum rebus ut & permagno posteritatis commodo, hoc est, in securiorem parentum valetudinem, & auctiorem generis humani propagationem. Mauricius Cordæus Comm. 1. ad 1. lib. Hippocratis de Morb. mulieb. text. 11.

Quamvis historia hæc paulo ante à Rousseto proponatur, cum tamen quædam scitu non indigna apud Cordæum habeantur, addere eam placuit.

CASPARO BAVHINO D. MEDICO IOAN. ALBOSIVS *Medicus Gallus* S.

GRatissimæ mihi fuerunt tuæ literæ (Doctor eruditissime) tum quod in ista solitudine (nisi spectatissimus tuus frater Iohannes Bauhinus, hisce tenebris illuxisset) mihi una cum patria nostram artem abdicasse viderer: tum quod isto veluti classico me adhuc no-

ſtro fulmine tempeſtatis Gallicæ attonitum, ad duellum & ſcribendi viciſſitudinem provocares. Quid vero mihi dulcius, quam veteris ſtudij memoriã repetere, mellitiſſimoque tuo colloquio noſtræ miſerrimæ ſortis ἀχράδας temperare, tædia demulcere, & temporis injurias fallere? Agebam igitur animam, ſomno curisque ſepultus, niſi tua Muſa, quæ tot tantosque tibi libros parturit, ab iſto veterno excitaſſet. Quod autem aliorum ſtudia cum tuis conjungis, facis id quidem nõ indecore. Sed ſi noſtrum Lithopædion, quantulumcunque ſit, in eam familiam adſcribi deſideras, propter ſpectaculi novitatem, rogo ut nos admoneas primo quoque nuntio, ut, &c. Sed jam accipe (Doctor lectiſſime) quod excuſo jam illo opuſculo in noſtra vicinia acciderit, cujus hic etiam habemus teſtes locupletiſſimos. Agitur jam triennium, à quo Ioannes Iacotius, Chirurgus paganus, & ex media plebe in ora Altiſiodorenſi ad pagum D. Mauricio dicatum, vulgari nomine Tirovaille degens, me obvium & ad alia noſtra munia properantem invitavit, ut parum à recta via deflectens, in proximũ vicum (dictũ Marry) diverterem, ut miſerrimæ mulierculæ conſulerem, cui nuper fœtum diſſecto abdomine exenteraſſet. Ego vero plebei Chirurgun-

culi

culi (ut hi sæpe in artis operibus experimenta quærunt, quovis dispendio) temeritate perterritus, in rem præsentem venio, accersitis nobiscum nobili viro Domino de Vaulx Præfecto Altisiodorensi (Ballivum vocant) ejusque illustri uxore, nostri amantissimis, cum paupercula prope ad eorum Castellum habitaret. Fœtum tunc deprehendimus in cunis, alacriter se gerentem, sed vagientem, famisque impatientissimum, cum matercula inedia exhausta, dolore, febre, vigiliisque confecta, peneque exanimis, nihil de partu cogitaret. Abdomen interea matris detegere voluimus, in cujus parte dextra vulnus conspeximus, oblongum quidem, sed cujus labia adhuc subtruenta nulla alia γαστροῤῥαφίᾳ coalescerét, quam decem assicularum nexu, quæ punctim cuti post sectionem infixæ, adhuc hærerent. Tum vero & Matri & fœtui ita prospectum, ut uterque sit etiam hodie superstes, Numinis benignitate potius, quam Chirurgi consilio & prudentia.

Paulo post id tempus noster Roussetus à me admonitus, nos cõvenit, ut acceptis à nobis literis Chirurgum salutaret, cum multa in idem opus haberet ex auditu, alia vero pauca. At vero

Segnius irritant animos, demissa per aurẽ,
Quã quæ sunt oculis subjecta fidelibus.---

Sic Iacotius (aberat autem à nobis tantum diei unius itinere) Rousſetum in proximam illam domunculam deducit, ubi vidit fœtum jam grandiorem, matre ſoſpite, quorum uterque in hunc diem vivit, &

——vescitur aura
Purpurea, nec adhuc crudelibus occubat
umbris.

Porro in commendationem hujuſce fortunati eventus potius, quam prudentis cõſilij, ipſe Rousſetus Chirurgum ſecum abducit, cujus opera, ad ſectionem quorundam ἐμπυῶν feliciter uſus eſt, ſed anno ſuperiore ex morbo interijt. Sic Rousſetus deſiderium explevit teſtisque fuit oculatus eorum, quæ antea jam ſcripſerat. Quod ſi hujus hiſtoriæ præcipua capita opuſculo tuo inſerere placuerit, facies id quidem pro tua prudentia, acceptis & datis à nobis in eam fidem mutis vadibus, quos hic habemus fortunarum comites. Mitto quoq; Hexaſtichon, quod exaravimus in Autorii commendationem, quod ſi probaveris, adjungi curabis, &c. Datum Montembel. 20. Decembris 1585.

CASPA-

Casparo Bavhino Iatrophysico Fran. Saguyerivs *Medicus Gallus.*

S.

TVas accepi literas, ſuaviſſimas, & mihi gratiſſimas duplici nomine. Primũ quod per eas certior ſum redditus de tua bona valetudine : deinde quod ſcripto confirmaſti tuam erga me benevolentiam, utcunque prius viva voce declaratam, propter quã multum tibi debeo, nunquam, Deo juvante, animum mutaturus. Cæterum quamtum ad rem, de qua ad me ſcribis, attinet, dicã paucis, &c. Exiſtimabam me reperturũ inter alias hiſtorias Medicinales, quas apud me habeo, eam, quã tibi pollicitus ſum, περὶ ὑστεροτομοτοκίας, ſed falſus ſum : relicta eſt inter alia adverſaria, quæ domi meæ in Gallia omiſſa ſunt. Quam primum autẽ ſeſe offeret occaſio, dabo operam, ut ad me integra deferatur, & tandem ad te. Memini quidem appellationis pagi, & Chirurgi, in quo & per quem advenit ille partus Cæſareus : memini & anni & menſis quo id accidit, ſed nomen patris & matris memoria excidit. Pagus eſt in ducatu Burgundiæ, & vocatur Marſilli, nõ longe à Caſtro, dicto, Mons D. Ioannis. Chirurgus erat patria Beluenſis,

sed domicilio Arnetensis: Arnetum vero urbs est distans ab Heduis decem miliaribus Italicis, nomen illius Antonius Robinus, sua arte maxime dignus. Annus agebatur post millesimum quingentesimum octuagesimum secundum, Aprili mense. Mulier per biduum fuerat graviter excruciata, cum tamen juvenis esset, & rustica, forti animo, incisionem, quæ feliciter successit, passa est: fœtus non diu ab extractione vixit: mater mansit superstes. Non amplius possum ad te de hoc negotio scribere: si aliquando licuerit, parentum nomina mitti. Versionem tuam & menti Autoris, & rei gestę explicationi maxime convenire, si quid valeo judicio, autumo & tueor, atque propter eam multũ tibi debere profiteor linguæ Gallicæ ignaros, quod sit libri Roussleti argumentum, cognitione omnibus dignissimum, sed præcipue Medicis & Chirurgis. Plura cum nõ suppetant, quæ ad te scribam, finem faciam huic Epistolæ. Deum Opt. Max. humiliter & ex animo rogans, ut te diu arti Medicæ propagandæ & enucleandæ servet incolumem. Vale vir clariss. & tuum Saguyerium, qui te colit, diligit & observat, amare perge. Mõsbeligardi nonis Novembr. Anno Domini 1586. Ex Appendice Caspar. Bauhini ad Part. Cæsareum Roussleti.

OBSER-

OBSERVATIO CXCIV.

Ad Chirurgos

Brevis exhortatio de sectione Cæsarea, quomodo, quave ratione administranda sit: ejusdem

FRANCISCI ROVSSETI.

CRedo ego promissis me stetisse, dum abunde satis testatum feci, sectionem hanc tuto fieri posse, ita ut non sit metuendum objici posse, temerarie hanc sectionem adhibitam fuisse, alterius vita in periculum conjecta, quo alterum à morte vindicaremus: licet secus ambo in summo nimis periculo versarentur, cum ipsorum salus in angusto esset posita. Quare hic summam manum imponam, tibi (amice Chirurge) & sectionis hujus administrationem, & etiam præceptorum methodicam conscriptionem committēs, ubi data occasione rē feliciter peregeris, cum utrumque tanto magis tui sit officij, quanto magis industrius es, & scientiam majorem es adeptus: quantam scientiam, plures eorum, qui hanc sectionem, ut potuerunt, administrarunt, nō habuere, quibus tamen feliciter succesſit: quare ei, à quo solo omnis felicitas

citas procedit, sit laus. Sed tamen ut adhuc tibi gratificer, simque auxilio ijs, qui non adeo in arte sunt exercitati, donec (hæc ubi sæpius exercueris) ipsis meliorem instructionẽ proponas, quemadmodum tractatio hæc meretur: quædam universalia quasi in genere deliberativo, nec tamen curiosius proponam, ut facit nimis phantasticus Pictor, qui dum manum à tabula removere nõ potest, existimans magis affabre se picturum id quod satis commode erat delineatum, nil facit aliud, quam totum opus confundere & devastare.

Primo tibi considerandum erit, aliquane sit spes alio faciliori modo fœtum nanciscendi. Dein, sitne mulier robusta, & an signa lethalia adsint: præcipue autem an non nimium ab Obstetricibus, aut ob summos & violentos in partu conatus læsa fuerit: aut quorundam Tonsorum carnificina crudeliter dilacerata, quod frequentius ab ipsis, quam à matronis fieri solet. Si enim eam tum mori cõtingeret, causa mortis sectioni tuæ, non autem ipsorum erratis adscriberetur. Sic, postquam (invocato tamen prius numine Divino) aliquis, qui tibi ad id cõmodus visus fuerit, jussu tuo, mulieri animum addiderit, & ut primo Deo bene confidat, dein etiam de tuo auxilio recte speret, admonuerit: conveniet te instrumẽta

hæc

hæc pauca habere, ad hoc opus peragendum necessaria: ita tamen ut hæc instrumenta ab ipsa non conspiciantur. Novaculam nimirum acutã, novaculam rotundæ aut globosę cuspidis, acũ cuspide triangulari filo instructã: spongiam mollem: pannum lineum mollem, veterem, complicatum, consutum & jam imbutũ decocto calido, de quo in sequenti agetur, vel alio simili decocto, quo dein bene expresso, melius quam spongia uteris, tam ad sanguinẽ imbibendum & exsiccandum, quam ad labia ipsius vulneris fotu adstringẽte, & calore suavi ac blando fovenda.

Præterea etiam linteamina sint in promtu, quæ ipsi mulieri substernantur, & circumponantur, quo sanguis qui promanabit, tegatur, cujus etiam parva quantitas magnã profusionem ostentat, & tam mulieri patienti, quam astantibus terrorem incutit. Adsint etiam fasciæ, linamenta, splenia, stupę bene pexæ, pulvilli, usitatis medicamentis adstringentibus, imbuti: quæ omnia in primo post sectionem apparatu, separatim habere oportet, aut eadem, si tibi ita videatur, cõjunges. Postmodum ubi te monitore, urinam, si fieri poterit, reddiderit, (quo vesica vacua deorsum concidat, & minus impediat, quamvis ea locum

cum sectionis non attingat) situanda est, si vires valeant, supra lecti extimam partē in dorsum inversa & inflexa, ita ut tibiæ aliquantum propendeant, sed firmiter conjunctæ serventur, ipsa vero blande à familiaribus robustis & animosis sustineatur. Aut si vires sint prostratæ semidecumbens continenda (hic enim situs à Syncope præservat, quod in sectione venæ eorum, qui lipothymijs obnoxij sunt observare solemus) ita tamen ut versus pedes aliquantum propendeat, tibiæ vero æqualiter sint extensæ.

Tum unum aut alterum quod voles latus eliges, hoc enim in idem recidit, ut ex supra citatis historijs colligere licuit. Attamen si hepatis aut splenis aliqua durities adsit, consultius videtur fore, si oppositū latus incidatur, idque varijs de causis, de quibus alibi acturi sumus.

Si vero Hernia sit, in latere eo, quod incidere est animus, & quod censeatur intestinum ibi, nimirum inter Peritonæum & Vterū non hærere (difficulter enim ibi esse potest, quia Vterus in muliere valde gravida prius quam intestinum se offert) tum ibi sectio fieri poterit, eo enim citius quam in oppositum latus Vterus decumbit. Hac ratione fiet, ut postmodum ægrota, non ex utroq; latere sit Hernio-

sa.

niosa. Et licet intestinum se ibi offerret (quod tamen fieri non potest) nil idcirco mali esset, modo in altum novacula non adigatur, ne ipsum lædatur. Olim enim in curatione Hernię, magna supra rupturam incisio, absque tamen noxa fiebat, ut Celsus & Ægineta testantur.

Hoc facto, optimo attramento locum incidendū notabis, linea oblonga & recta per abdominis longitudinem ducta, cujus exsiccatio expectanda, ne rursus deleatur, quo recto tramite abdomen secetur. Fiet autem sectio inter umbilicum & ilia, tribus vel quatuor digitis ab inguine pecten versus, & id secundum recti Musculi longitudinem, cavendo tamen ne vel caput, vel cauda ipsius Musculi lædatur. Notandum autē hoc loco, quod si sectio paulo altiori in loco potius, quam nimis inferne fiat, eam meliorem & tutiorē ratione hæmorrhagiæ fore: minus etiam molestam, si Hernia remaneat: adhęc minus etiam doloris causabit. Sed & eodem attramēto, in quatuor aut quinq; æqualiter distantib. locis, quatuor aut quinq; parvas lineas transversales decussatas, super lineam primam per abdominis longitudinem ductam, notare oportebit, & ut exsiccetur, curandum: supra quas puncta futuræ futuræ sibi invicem recte respondentia locanda, quo recta fiat Gastroraphia.

His

His peractis, sectio ipsius Cutis, supra lineam dextre adhibenda, ad pinguedinem usque, sed caute, novaculam adigendo: cujus vulneris longitudo erit, dimidij circiter pedis, plus minusve, prout mulier magno parvove corpore fuerit, postea eodē prioris sectionis tramite, prudenter & quidem secundum longitudinem Musculi ipsius Epigastrij incidendi, & etiam peritonæum. Sed caute, inquam, peritonæem secandum erit: sub eo enim ipsius uteri corpus tum prætumidum se offert, ipsis intestinis, quæ abscondita subjacent, incumbens. Tum implorato divino auxilio, uterus incidendus erit, ita tamen ut alta nō fiat sectio, ne fœtus, si adhuc fruatur vita, lædatur: si enim mortuus sit, tum citius omnia peragi possunt, cavendo solum ne nimium mater lædatur. Incipienda erit sectio in summo ipsius uteri, & deorsum inter latus & anteriorē partem ducenda, quo ijs locis, ubi sunt Epididymi, vasa spermatica, & Testiculi muliebres caveatur.

Quod ut tutius fiat, consultum erit, tum ad manus habere novaculam alterā, dorso crassiore, acie acutissima: ita tamen ut ipsius acuminis principiū globulo plumbeo aut buxeo muniatur (ad instar cultri ejus, quo utuntur ij, qui omasa præparant, & intestina repurgāt) ne acu-

ne acumine infans, dum se in utero movet, alioue pacto, lædatur.

Post fœtus & secundinæ extractionem, linteamine tenui, molli, blando & veteri, octies vel decies breviuscule complicato, & sequenti decocto imbuto (quo loco spongia uti licebit) diligenter & blande is, qui aderit sanguis, abstergendus est: ita tamen ut blando calore foveatur, quo duabus satisfaciamus indicationibus, & quidem contrarijs, idq; eodem tempore, habita ratione brevitatis temporis, quo id fieri debet. Decoctio sit talis:

Recipe herbarum Artemisiæ, Absinthij, Agrimoniæ, Betonicæ, Althææ, Florum Malvę arboreſcentis (quam Rosam transmarinam aliqui vocant) si reperiatur, foliorum aut florum Granatorum, Rosarum sylvestrium odoratarum, Rosarum rubr. exsiccatarum ana M. j. rad Aristolochiæ longæ & rotundæ, Cyperi, Schœnanthi ana circiter unciam semis. Fiat omnium decoctio usque ad tertiæ partis consumtionem, in vini crassi rubri & austeri lib. 6. (sunt duæ pintæ Parisienses) dein coletur: colaturæ addatur Aquæ fabrorũ hemina, id est, quartarij duo (est dimidia cheopina Parisiensis) & rursus una bulliant. In hoc decocto temperati caloris, linteamen complicatum, eo modo, ut dictum fuit, intingatur, & exprimatur:

matur:hoc eadem opera & saniem absterget, & partem læsam fovebit, sanguinis fluxum sistet, partem defatigatam corroborabit, & lochia, quæ fluere debent, promovebit. Sed hoc loco studiose dictum illud, *Festina lente*, observandum.

Hæc ubi ratione Uteri peregeris, & eum blande in locum convenientem, absq; tamen futura, reposueris (Uteri enim in seipsum cõtractio, quã futura melior est) tum statim Gastroraphia adhibenda (id autem festinanter fieri non debet) vulneri ipsius abdominis, ne frigore interiora afficiantur, observantes, & apte vulneris labra committenda secundum lineas decussatas, ut jam dictum fuit. Quę quidem res & secundi alicujus operam requirit, qui intestina, quæ tum juxta vulnus, quod cõsuitur, occurrunt, intro trudat, ne ipsa vel acu lædantur, aut inter puncta futuræ occludãtur, dum locum eum, quem prius Uterus jam retractus obtinuerat, occupant.

Nec etiam nimis cunctãter res agenda, uti prædictum, vel in curiosa gastroraphia administrãda, vel aliquid cum ægrotæ periculo experiundo, ne totum opus corrumpatur: siquidem experientia compertum, quod in ijs, quæ inciſæ omnium optime convaluere, nil aliud quam cutis, & quidem paucis punctis consuta fuit,

fuit, nec tamē propter herniam, quamvis valde magna foret, aliquid moleſtiæ pertulerunt. Nam (ut eſt in proverbio Gallico) melius eſt infantem mucoſum relinquere, quam naſum omnino avellere.

Poſt ſuturam Abdominis, reliqua, quæ in alijs etiam recentibus vulneribus fieri ſolent, erunt adminiſtranda, uſque ad cicatricis generationem: frigus tamen ſumme cavendum: fiet autem id per unguenta, cataplaſmata, emplaſtra, fotus, pulvillos, ſtupas bene pexas, pro ratione temporis, & indicationibus convenientibus.

Ratione autem Vteri, duo potiſſimum conveniunt: Peſſaria nimirum, & injectiones in Vterum. Peſſaria erunt effigiata in formā penicilli, pollicis craſſitie, aut paulo minora, & ſatis longa', quo uſque in concavitatem uteri abſque offenſa indi poſſint. Parabitur autem ex linteo, aut ex candela cerea perforata in modum penicilli fiſtulati (quas Tentas cānuleas vocant) linteo, aut bombace obducto, butyro recenti, pinguedine gallinæ, oleo roſato, vitello ovi inuncto: quod ſæpius extrahēdum, & rurſus intrudendum erit. Proderit tale peſſarium, tum ratione longitudinis, tum etiam ratione perforationis, quo ſaniei pateat tranſitus: dein etiam ut collum & os uteri mu-

n iat, ne ſaniei acrimonia afficiantur: Hippo-
c ratis conſilium imitantes, ſi modo commu-
n em interpretationem ſequi velimus: *Si ute-*
r *us inter coxas jacens ſuppuretur, neceſſariũ*
e *ſt emmotum fieri.* Quod ſi ſæpius id extraha-
nus, non impediet quo minus puri, humori
pituitoſo, aut grumis ipſius ſanguinis detur
exitus, ſed potius ea ſecum ducet.

In eundem uſum Clyſteres uterini conve-
nient, qui ipſum fovebunt, abluent, abſter-
gent, roborabunt, & conſolidabunt: qui pa-
rabuntur ex decocto Artemiſiæ, agrimoniæ,
abſinthij, althææ, plantaginis, roſarum rubra-
rum: floribus aut folijs malvæ arboreſcentis,
nepetæ: radicum ariſtolochiæ, ſalſæ parillæ,
cyperi, ſchœnanti, quæ omnia decoquentur
in aqua chalybeata, addendo parum vini craſſi
auſteri, & optimi hydromelis aliquid. Horum
nihil, aut parum, in ſupra citatis hiſtorijs ob-
ſervatum fuit, quæ nihilominus tamen recte,
& cito curatæ fuere. Quare ſi prædicta omnia
reperire non liceat, non tamen ob abſentiam
(ut eſt in vulgari proverbio) unius Monachi,
Abbatis electio intermittenda.

Victus ratio ſit ex cibis euchymis, & ſit,
quoad vires cõcedent, tenuis. Mulieres enim
modo enixas, & tali pacto exercitatas corro-
borare convenit: at in vulneribus & apoſte-
matibus

matibus interioribus, exquisita victus ratio requiritur: quare medium servare oportet

Quod si alvus non respondeat, Clysteribus ex saccharo rubro, diapruno simplici, butyro recenti, oleo rosato, cum jure gallinę pinguis, absque herbis & sale paratis uti oportet. Reliqua pro judicio Chirurgi & prudentis Medici, qui forte aderit, fient.

Verum quemadmodum Varro doctissimus, ex numero primariorum Romanorum, de Philosophia scribens, de ea non peculiariter tanquá dogma aliquod propositurus scripsit, sed solum ut juventuti ejus gustum aliquẽ proponeret. Sic etiam, candide Lector, me fecisse cogitabis, non quod præcepta necessaria tradiderim, sed solum ut te ejus monerem, cujus partim ex inspecto opere, partim vero ex dato alijs consilio, quibus bene successit, observationem habeo, tibi id, quod hactenus observavi, digito ostẽdens, quo hæc tanquam ex tua officina profecta agnoscens, & etiam serio postmodum ei incumbens id & intueatis, & prosequaris, ne præda, quam tuo labore eris assequutus, priveris. Ad quod præstandum tibi Dominus successum largiatur, quo feliciter ad humani generis utilitatem, ipsiusque gloriam hæc præstare & perficere possis. Cui ut & Spiritui sancto, sit honor & gratia

per IESUM CHRISTUM Filium ſuum, Dominum noſtrum, in ſecula, Amen. Franciſc. Rouſſetus de Partu Cæſareo.

OBSERVATIO CXCV.

Res plane ſtupenda, qua in muliere triginta ſeptem annorum viſus eſt uterus totus lapideus, ponderis ſeptem librarum, hepar unius lobo & tunica cartilaginea conſtans, lien rotundus, veſica lapidea, peritonæum duriſſimum, & quod admirationem omnem ſuperat, vivens mulierecula nullis manifeſtis morbis obnoxia.

SCripſit nuper ad me Medicus celeber, Claudius à ſancto Mauritio, Academiæ Dolanæ Profeſſor, de Vtero lapideo, cujus Obſervationē, ut quam tibi maxime gratam fore judicavi, tranſcribere libuit.

Admirandum, die 25. Ianuarij, hoc præſenti anno, nobis accidit, in ſectione cujuſdam mulieris 37. annorum, cujus Vterum lapideum invenimus, ponderis ſeptem librarum, hepar uno lobo tunica cartilaginoſa, liene ſphærico, veſica lapidea, peritonæo duriſſimo, quod vix cultro dividi poterat. Quæ omnia nos in admirationem traxerunt, quæ via ſpiritus

spiritus deferrétur per universum corpus, & quomodo hæc tam diu vixerit, sine ulla manifesta ægritudine, quod animadverti dum esset in vivis. Uterum curavi dividi, in cujus apertione sperabam fœtum lapideum invenire (quoniam nupta erat viro mediæ ætatis) ut alias contigit cuidam Medico Senonensi, citra Burgundiã, non longe à Lutetia, qui adhuc hodie curiose reservat, ijsque ostendit, qui naturæ stupenda mirantur; mulieris, inquam, fœtum lapideum, figura qua utero gestur, qui spatio tredecim annorum in utero remanserat: spe fraudatus, totum uterum lapideum inveni, quod dignum tuis auribus esse judicavi, ut nihil dignius in præsentiarum haberem. Petrus Quenzius Clariss. Friburgi Helvet. Archiater & Senator suis ad me literis 11. Calend. April. Anno 1595. datis.

OBSERVATIO CXCIV.

Lithopædij historia admirationem omnẽ superans; qua fœtus exacte conformatus, & viginti octo annis in utero gestatus, in marmoream duritiem conversus: atq; à matris obitu per sectionem exemtus, vel hodie quoq;

nullius putredinis aut teredinis notam præbens conſpicitur.

MVlier Senonenſis, nomine Columba Chatry, quæ Ludovico Carita homuncioni (quadrato tamen & bene habito) ex vulgari plebe & ſarctori veſtiario nupſerat, ab annis quadraginta octo, fracta ætate & valetudine, hic occubuit decimoſexto mẽſis Maij, annum ætatis agens ſexageſimum octavum.

Hæc, ante annos viginti octo, quæ nunquam antea uterum geſtarat, licet jampridem nupſiſſet (nihil de ſanitate prius admodũ conqueſta) certiſſima habuit inchoati hominis indicia. Nam qui ſtatis periodis erumpere ſolebant menſes, illi ſtatim ſubſtiterũt. Pica primis menſibus laboravit, tempeſtivum Embryonis motum & frequentem perſenſit, tumore lumborũ & abdominis paulatim ſubcre ſcẽte, mammisq; lacte turgentib. Tandem aũt decurſo pene verę geſtationis curriculo, labores puerperij graves, & abdominis dolores experiri incœpit, urina ad aliquot dies ſuppreſſa (Medicis tunc varia & dubia de illa *κυοφορία* ſcutientib.) quæ poſtea currẽti veluti alveo & magna vi erupit, profuſo illo ichore, non tam ex veſicæ meatu, ut credibile eſt, ſcaturiente, quã ex mulieris loculis, Amnio tunica diſrupta, cum

ta, cum una cum istis serosis recremẽtis (quas mulierculæ aquas vocant) aliquis concreti sanguinis trumbus emerserit. Inde autem & mammæ concidere visæ sunt, motus infantis aut ignavus, aut nullus, labores mulieris tolerabiliores. Quibus omnibus attonitæ fuerũt obstetrices, quæ antea certissimum puerperium expectassent.

A ludibrio autem istius fœturæ, totum triennium lectulo illa decubuit, ad extremam vitæ calcem de valetudine conquesta, de tumore, de duritie, de torminibus alvi, (quam obvijs quibusq; & Chirurgis & Medicis tractandam exhibebat) de inutili & gravi illo põdere, quod pro vario gestãtis motu, modo in hãc, modo in illã partẽ procumbebat. Deniq; de languente & depravata appetẽtia, quã subinde acetarijs & absorpto omphacio sollicitabat, alioqui perpetuo ἄσιτος. Illamque ferunt vicinæ, inter suos sales sæpe dictitasse (ut erat genio satis lepido) se fœtum utero gerere qui tandem parenti foret exitio & internecioni, quanquam cum serio loqueretur maleficium acceptum potius accusaret.

Postquam autem fato esset functa, ejus vir officiosus in uxoris manes (quam tandiu & tantopere excruciatam viderat) accersivit unum atque alterum ex nostris Chirurgis, am-

bo valentes arte & artis usu, quibus (licet de scirrhoso tantum tumore cogitarent) dissecto mulieris abdomine, & rejecto infra peritonæo, uterus sese offert, aspectu quidem rugosus & versicolor, ut crista illa pendula, quæ Gallis Indicis ex summo capite prolabitur, vel potius, ut operimentum illud cutaneum, quod illorum collum ambit. Tactu autē durus, testaceus & crassus instar τῶν ὀστράκοδερμων. Tum novaculam in portentosam illam molē & gypseam injciunt, qua ad aciē cultelli renitente, scalprum altius adigunt. Eorum autē alter infli&to casu in cranium vulnere, & in aliquot costas, tandē humerum dextrū impetit, à quo erumpens ossis caput, certissimā fecit fidem ossium illic latitantium. Ex quo scalpellum alio transferunt, & magna vi, sensim tamē & recta uterū secant, diductisq; durissimis vulneris labris, infantē in orbem implicitū, & ex transverso in utero positum introspiciūt in penitissimo sinu, & a tissimis latebris stabulantē, in suam q; veluti Cystin, quā Allantoidem tunicā fuisse puto, callosissimā reconditum.

Quo spectaculo inexspectato obstupefacti, Medicos convocant, quos in re inaudita consulant, adhibeantq; in testimoniū & judiciū rei hujus, quæ pene fidē ōmnē superet. Interea

tea multis ad novũ prodigiũ accurrẽtibus, & opus Chirurgorũ interturbãtibus, venit ipsis in mentẽ, totam istã molem ex illo veluti antro & manib. & uncis Chirurgicis, qua valerẽt, vi abstrahere, ut arboré ex suo caudice, domumq; cõportare, ut privatim & apud se accuratius corpusculi anatomen sectarentur, & cum peritis de portento novo & inaudito, consilia conferrent.

In præcipiciti autẽ & violẽta illa laniena nõ licuit opº festinantib introspicere, quod substratũ esset infantulo Choriõ, quę uteri acetabula, qualia ũbilici vasa, quis esset Allantoidis cũ utero & cũ fœtu nexº, cum uterus ipse, præcipue ad coxã dextrã, ad nates, & ad partẽ spinæ dorsi cũ cute infantuli omnino coaluisset.

Situs infantis erat pene sphæricus facie ad thoracẽ affixa, sublatis ad nares genibus, unde postea eæ patulæ retusæ & resimæ conspectæ sunt. Ossa capitis tenuia quidẽ, sed firma, & instar cornu nitentia, cute capitis multis in locis pilosa, caput in sinistrũ brachiũ ita procumbebat, ut à protuberante humero auris, & os occipitis impellerentur, quod incavatum ea parte introcessisse cõspicerentur. Cubitus ad summum humerum reflectebatur, porrecta sola manu, quæ in pugnũ adeo firmiter contracta, & summi digiti ita palmæ hærebãt, ut licet apparerẽt seriatim inter se distin-

cti, reipsa tamen in unum idemque vere lapideum corpus concreviſſent. Dextrum autem brachium ad umbilicum manū extendebat, quæ ad carpum inadvertenter abſtracta fuit, & in alvo matris relicta. Femur, genu, tibia ſiniſtra, dextris incumbebant: quibus tamen erant ita implicita, ut talus ſiniſter pediſque planta, in dextrum pedion implantarentur, quibus excavatum cederet, & pene indiſſolubili nexu colligarentur. Vtrumque crus in ventrem & pectus reflectebatur, certiſſimāque fœminei ſexus notulam tegebat, tibia utraque ad nates intorquebatur, pedibus & pedum digitis ita interſe compactis & lapidefactis, ut facto ex oculis & tactu judicio, totum iſtud opus dixiſſes eſſe alicujus Phidiæ, qui vel ex ebore, vel ex marmore maturæ ætatis Embryi abſolutiſſimam Iconem expreſſiſſet, maxime cum in ea duritie corpuſculi moles non concidiſſet, imo cum cute nitida integrā ſuā & σιμμετρίαν & πλυσαρκίαν retinuiſſet.

Partes autem internæ, viſcera nempe omnia, Cor & Cerebrum habebant naturaliter, eo demto, quod ultra modum indurverant, minus tamen quam externæ, ita ut hodie quoque exertum iſtud corpuſculum, neque putredinem minetur, neque teredinem. Ex quo poſtea dentem exemit inopinanter qui-

quidam obvius, qui prodigium contrectabat, ut dentis sedem in ipso alveario adhuc conspicere liceat. Ioan. Albosius.

Iam de istius indurationis naturalibus causis aliquid differamus. Hujus autem prodigiosi abortus, nisi sensus nobis faceret fidem, frustra quæreremus rationum momenta. Sed cum visus & tactus certissimi inter sensus externos judices, rem ipsam bis mille hominũ oculis spectandam exhibeant, manibusque tractandam (ut hodie quoque idem inter nos & spectare & palpare subinde licet) tria vidẽtur supersesse liberalioribus ingenijs discutienda.

Vnum, qui factum sit ut corpusculum istud quod constituta & naturali puerperij periodo, & inter tam graves cruciatus extinctum fuisse constat, tandiu in istis latibulis asservatum, non computruerit aliorum abortuum more, quos vel derepente Matricidas esse videmus, vel paulatim & ex longis intervallis excussos fuisse, à gravibus authoribus accepimus: vel facta sibi per ventrem inferiorem via, membratim excussos, cum hic tres putredinis causæ videantur concurrisse: nempe corpusculi temperies calida & humida qualis est puerorum. Loci natura, cum uterus intertextus sit multis venis & arterijs, & visce-

ribus

ribus (in quibus reſidet naturalis caloris fons) proximus. Cum ille ſit in mulieribus veluti ſentina, in quam totum corpus ſuorũ excrementorum ſarcinam deponat, cum denique ſit pudendis proximus, quæ Galenus ἐμπεδενώδη pronunciat. Tertio impedita perſpiratio, cum in prægnantibus uteri os arctiſſime uſq; ad excuſſionem fœtus coarctetur. Sic enim, ut fert illud inſigne Philoſophorum & Medicorum axioma, calida & humida, calido & udo loco concluſa, & aëre non perflata, citiſſime ſitum contrahunt, & putredinem.

Deinde, naturali in viventibus deperdito calore, extraneum ſuccedere neceſſe eſt, cujus eſt urere, putrefacere, corrumpere, & tandem in cineres reſolvere, præcipue ſi ſubjectum nactus ſit calidum & humidum, quale eſt puerorum corpus, quod cum multo humore ſcateat, vere, ut loquitur Ariſtot. εὐφθαρτον dici poteſt.

Alterum quæſtionis caput poſitum eſt in inveſtiganda illa intemperie, ſive ſimplici ſive compoſita, quæ tantam duritiem peperit, & ab ijſdem fontibus emanat præcedentis dubitationis ſolutio, cum ea durities ſola, vel quæ eam attulit, cauſa (nihil enim eximie ſic-

cum

cum putrescit) corpusculum istud à putredine vindicaverit.

Omne autem durum, inquit Galen. 5. simplic. cap. 3. fit vel plenitudine & renitentia, vel concretione, vel siccitate, hisque vel solis vel interse complicatis. Induruit ne vero iste fœtus repletione, cum nihil in fœtu, neque in ejus involucris turgeret largiori humore, vel naturali vel excrementitio. Imo illa essent omnia exsiccata, & arefacta? Concretionem accusabimus, quam etiam congelationem appellat Galenus, qua metalla plurima in fodinarum penetralibus: saxea, in lapicidinis: Meteora in media aëris regione videmus cõgelari, & concrescere? Sed quid externa exempla hujus congelationis quærimus, cum domesticũ suppetat, & nobis sit præ foribus.

Est enim in nostra vicinia prope oppiduli Veronæi mœnia, fons perennis scaturiginis, aspectu jucundissimus, lympha limpidissima, colore quidem & odore ἄπνους, sed sapore nõ ita commẽdabili, incolis tamen non ingrato: Erumpit autem ex altissimis subterraneis cuniculis, labroque, vel potius cratere excipitur ita affabre in orbem circumducto, ut nescias illamne περιφέρειαν natura dederit, an vero ars Euclidis exquisitissimum istũ circulum elaboraverit. Sic autem ad labri mar-

gines

gines exundat aqua, ut ſtatim & breviſſimo ductu decurrat in rotam, quæ molam frumẽtariam circumagit, indeque cum glarea, quã currente alveo ſecum abradit, guttatim in ſubſtratum lutum & proximam uſnæam decidit, quæ omnia ſua frigiditate ita ſubigit, fermentat & cogit, ut tandem in lapides induret, leves quidem illos, & foraminulentos, & veluti pumiceos, quorumq; unam aliquãdo partem videas jam petrefactam: alteram vero adhuc agnoſcas muſco herbaceo virentem & cœnoſam, quæ tantum lapideſcere incipiat. Coguntur vero illi lapides tanto aggere, ut niſi ex intervallis molitor eos ferreo malleolo conterat & ſubtrahat, impedimento ſint ipſi moletrinæ, quo minus libere circumvolvatur. Iſta obiter dicta ſint, de λιθιάσει quæ eſt aquæ iſtius frigiditate, & fortaſſe nativo ſolo procreari videtur.

Similis autem aut potentioris congelationis quis poteſt eſſe locus in internis receſſibus noſtri corporis, qui multi ſanguinis & venoſi & arterioſi affluxu, vicinorum viſcerum benigno tepore, & ea functione ad quam has partes natura finxit (cum in ipſas ut agrũ fœcundum noſtræ generationis prolifica ſemina committat) minus algere debeant. Sic Hippocrates frigidos, ſiccos, denſoſque uteros, ut

tos, ut effœos pronunciat. Quod vero Galenus de Anatomia vivorum adipẽ, frigiditate spermaticarum partiũ, & à cordis calore magis distantium concrescere scribit: certe ut ex imbecillo frigore uliginosa materia facile cõcrescit, ita quoque leviſſimo calore illa liquatur: hic vero de lapidosa duritie agitur. Restat igitur argumento ab enumeratione partium petito corpusculum occalluisse siccitate, ad quam non parum feciſſe videbuntur dolores assidui, quos gestans sustinuit. Item vigiliæ & inedia, quibus diu multumque vexata est, quę omnia ad causas exsiccantes referunt Medici. Adijcere licebit illum uteri καλαχλυσμὸν, quo pro puerperio multus ichor è mulieris loculis effluxit, sicque & uterus & fœtus, ejusque involucra exaruerint, absorpta omnis putredinis materia, quam in humido & naturali & excrementitio positam esse autumant Physici. Solane vero siccitas tantam duritiem peperit, cum qualitas sit patiens, & ad agendum ignava: Causæ autem ad suos effectus analogæ esse debent & viribus pares? Ex quo fit, ut sit verisimile, siccitatem solam non potuisse eo usque indurare, sed alterutri qualitatum προκλικωτέρων, frigiditati nempe, aut caliditati conjunctam. Frigiditati ne? ut siccitati congelatio accesserit mixtis his duabus in-

interse indurationis causis ? Si enim quæ putrent, seipsis fiunt calidiora & humidiora, cósequi videtur (ut contrariorum contraria sunt consequentia) ea quæ non putrent cum putrescere nata sint, id habere à frigido & sicco. Præterea promtius quæque alterantur à similibus suæ intemperaturæ causis. At hic cutis natura frigida & sicca potissimum saxeam eam duritiem induit (ut in ovo testa ex molli tunica occallescit) ex quo fit, ut sit verisimile istam duritiem à frigido & sicco excitatam. At neque loci, in quo concrevit, temperies, neque ulla humana ratio id patitur, ut dictum est cũ de cõcretione ageretur. Iam videamus, an caliditate siccitati conjuncta istud corpusculum induruerint, cum à tot tantisque laboribus, tandem veluti febre hectica colliquata fuerit illa, & contabuerit ? Cum præterea calidis & siccis medicamentis, tum intro sumtis, tum foris admotis, assidua illa tormina sedare, flatus discutere, & molestissimum illud uteri onus, & quod subinde exitium minari videbatur deturbare conabatur imperitissimũ mulierculorum vulgus? A cõjunctis hisce causis, & salis glebæ, & alumina, & chrysocolla, & calchanti genera indurantur, quæ postea humore liquantur, cum ante calido & sicco obduruerint.

Ter-

Tertium hujusce disputationis caput positum est in harum intemperaturarum sive simplicium sive cõpositarum differentia: nẽpe, sintne illæ externæ tantum & adventitiæ, an vero aliquod ab ipso corpusculo ἐνδιάθετον innatum & latens acceperint initium. Nã licet ea, quæ de causis proposita sunt, habeant quandam speciem adumbratæ veritatis, multum tamen absunt ab ordinatis naturæ legibus. Quid n. illas causas accusamus, cum omnes sint externæ, & huic corpusculo adventitiæ, quæ sine internarum aptitudine nihil videntur posse agere? Non enim omnis causa, quæ corpori advenit, inquit Avicennas Doct. 2. Fen. in ipsũ operatur, sed ad id requiritur & agẽtis fortitudo, & dispositio patiẽtis.

Hic igitur præter communem consuetudinem (cum natura corpus hominis molle & teneram finxerit, ut quod ad functiones animæ magis aptum esset, quam si induruisset) latuisse dicemus aliqua hujusce indurationis seminaria, ut orta respondeant suis principijs & insitam vim quandam peculiarem & abditam, quæ ab externis illis causis excitata, tandẽ in lucem emerserit, ut singulorum quæ fiunt, interna qnædam effectrix causa existit. Physici enim rerum omnium formas, excepta illa principe, quæ divinioris est originis, ex materia educi putant. Item

& Spagyrici, qui eas profitẽtur esse ἀυτοφυεῖς, neque extrinsecus accedere, sed delitescere in ipsis seminibus, quæ (ut sua arcana tegunt quibusdam verborum involucris) suis matricibus consentanea esse oportet.

Quod si demta illa ratiocinatrice, formæ quæ dant esse rei (ut Logici dicũt) educuntur à primarũ qualitatũ tẽperamento, illa etiã erunt ab eadẽ scaturigine, quæ necessario primã illam temperaturã sequuntur, inter quæ, non solũ odores, sapores & colores reponunt Medici, sed etiã mollitiem & duritiẽ. Proinde præter externas caloris, frigoris & siccitatis causas, & adventitias (quamvis varie sentiant & Philosophi & Chymistæ, de lapidũ & fossilium, & efficientibus & materialibus causis) alij succum, alij lixivium, alij sal, alij aquã cõgelativam, non solum ut materiã indurationis, sed etiã ut quodãmodo effectricem, & in ipsis indurantibus insitam, fixamq; delitescere proferunt. Sic Coralliũ, cui propriũ est veluti quarto modo (ut Scholæ loquuntur) aëri expositũ lapidescere, ideoq; λιθόδενδρον Græcis appellari (cum mollis fuerit liquidis prius herba sub undis.) Non quidẽ solũ ab ambiẽte frigore induratur, sed quod absconditã habeat in se suæ duritiei energian, qnæ circumstante aëre affecta, illam produxerit. Præterea ma-

rea matre ab illis causis colliquata, nihil fœtui decessit de pleno corporis habitu, quem alioqui absumi & concidere necesse fuisset, si easdé causas fœtus sustinuisset, humore tũ fluente, tũ implantato, vi caloris extranei absumto.

Molas quidem in suis sinibus sæpe cõcrescere, & in gestantibus consenescere, imo ijs cõmori certum est, ut multa scirrhosa, tophacea, & lapidea in nobis generantur, aluntur, & augentur, cum excrementitia sint corpora, imperfecta, & sola vivant anima vegetabili, ut etiam in externis rebus ligna lapidescere videmus, eorumque cortices : item & plantas nonnullas. Sed quæ perfecta sunt animalia, cũ primordia suæ generationis habeant potentissima, eorum extincto innato calore, humiditatem putrescere oportet (ut interitus proxima est via ad putredinẽ) cõcurrentibus præcipue alijs putrilaginis causis, ut dictũ est ãtea.

Quod autem recensent nonnulli ex aliorum fide, & hominis pedem & caput, imo & totum corpus, visa fuisse indurata, id multum abest ab eo de quo hic agitur, cum de induratione fœtus in spirantis utero differatur : illa vero asservata esse dicant, conditura & concretione cadaverum in sale quodam terræ, ut inquiunt, vegetativo, quo omnia ferunt dealbari, indurescere, & coalescere.

Istam pugnātium argumentorum litē, quæ vires eundo magis ac magis acquireret, dirimat æquus arbiter. Ego vero novorum Academicorum more desinam in ἐποχήν, suspensamque sententiam, ut canant Cygni, sicut est in proverbio, tacentibus graculis, excitenturq; docta ingenia, ad scrutanda summi opificis naturæq; miracula, & ad eruendas eorum causas ex Philosophorum Thesauris in eo præcipue spectaculo, in quo à primo ortu, neq; in similarium partum temperie, neq; in instrumentaliū figura, numero, situ aut cōnexione natura peccaverit. Ideoq; nihil hic sit monstrificū, cum nullā habeat istud corpus deformitatem notabilē, toti suæ speciei extraneā, qua à prima origine sortitū sit. Plinio autē lib. 7. cap. 18. Nat. hist. si mirum fuit, quosdam concretis ossibus extitisse, & sine medullis: quod portentū istud fuerit, fœtum extractū, imputrē, imo in suo veluti ergastulo lapidefactū, tot mensibus & annis à matrice circumgestatū fuisse? Idem Albosius.

De partu anatomico ejus mulieris, quę in Senonū urbe vixit annos octo & sexaginta, & cui extinctę, eruta est puella justę molis quę in uteri sinu octavuū & vigesimū annum impleverat, Gallice scripsi. Eundē partū, qui Latine & copiose loqueretur, ad exteros relegare decreverā, cui Physicas, sed è re natas exercitatio

nes meas adjungere operæpretium videbatur. Inter moras Albosius Hæduus qui excudendã spectaculi effigiẽ curaverat, ejus historiã Latine exprimit. De qua scribenda jã pridẽ amicorũ, & maxime exterorũ, ad quos ut nominis, ita eruditionis suę fama pervenit, literis frequentibus urgebatur. Hic oratione gravi & veridica, flagitantiũ votis respõdet, ut mollis in obsequiũ, faciliſq; rogantibus esset. Historiæ de induratione fœtus in utero Physica & problematica inquisitio accessit. Vtraque mihi tãtopere placuit, ut in ea verrenda Gallice meã operã requirere visa sit: nec ejus authorẽ plenius cõmendabo, ne quia vivit, & ejusdẽ urbis sum⁹ incolæ, in fœdã adulationẽ me demitti, in multorũ opinionẽ irrepat. Et quia in dubia & ancipiti re sic animus cõsistit, neminem mirari oportet, si in apertũ cãpũ descendã, & utraq; lingua mearũ exercitationum breviter ac summatim Epilogũ adjiciam. Ergo rem ipsam aggredior.

Vterus μήτρα Græcis, quẽ Deus ad cõcipiẽdũ fœtũ destinavit, crassus & impactus carneũ quid refert: cæterum nervosus & mẽbranosus est, ut gestationis decursu in amplitudinem posset extendi: ac semẽ, quod hominis abstractum Zeno appellare non dubitavit, in uteri sinum effunditur, idque unicum propagationis perpetuæ subsidium compre-

henſione firma concipitur. Ex quo primum omniũ involucra genituræ procreãtur, mox reliqua membris & articulis diſtincta ſemine genitali opificè, nec non ſpiritu ſanguineque menſtruo adminiſtris inſtruuntur, uſq; dum opus eſſet abſolutum. Cum igitur fœtus hic Senonenſis à conceptionis die, ad prima ſuæ ſpeciei lineaméta novẽ mẽſium proceſſu, juſtam in utero materno corporis organici molẽ addidiſſet, matri, quæ huic grandiori alendo ſupereſſe non poterat initiũ partus induxit. Fit enim cum diruptis, calcitratu & motu valido, pueri mẽbranis, ipſe à vinculis exolutus foras prodit, & ita perfectus eſt, ut per os nutriri poſſit.

Divulſis porro involucris, ichores prodeunt multi, & membranoſum quid cruore tinctũ, referẽte marito: tumq; graves & iniqui dolores, qui confertorum ſpirituũ vi accidũt matrẽ excruciãt. Fruſtra hæc fiunt omnia: hæret infãs utero, quẽ neq; proprij motus, neq; matris impetus, poſſunt excludere: tandẽ alimenti penuria, ob quã ſibi moliebatur viã & exitũ, breviſſimam vitã cum morte cõmutavit. Ex ſignificatione, hujus novi partus, quæ in lucem edita Menſe Majo ſuperiori, potuit intelligi, quod ſcriberem hunc fœtum ante indurationem vixiſſe, ac ſervatum fuiſſe

inſtar

instar molæ. Non deerunt, qui ex eo loco capient opinionē me fœtui animalis vitam abnegare. Imo ratum habeo, intelligentem animam membris affabre concinnatis suæ speciei consentaneam affulsisse. Atqui hoc unum cogitabam, ut indicarē tam fœtus quam molas posse utero ad plures annos affigi: nam molæ vitium, & materiæ absurditatē sequuntur, quarum onus ægre natura sustinet: fœtus vero, sunt opus benignioris naturæ, ad quos concipiendos uterus comparatur. Adde quod irriti conceptus ad putredinem, si vitæ expertes inanimatis, & animati vitalibus conferantur, quam fœtus sunt procliviores: siquidem illi humida & lubrica constant materia, quæ facile putrescit: fœtuū vero compacta, ut plurimum dura & sicca est substantia (ut qui ex nervis, venis, membranis, vinculis & ossibus consistunt) cujus ratio putredini reluctatur. Pars n. sicca ægrius putredinē admittit. Poterat tamen hic fœtus Senonensis ad putredinē progredi. Cur ergo ab extinctione caloris, illam effugit, & occaluit? Refrigeratur uterus præter naturæ suæ modum, fracti caloris imbecillitate per irritos labores partus, per eruptiones aquarum, per effusa quædam cruenta, per concepti frigidi externam injuriam. Frigus enim dehiscente utero & diductis cruri-

bus,in expectatione puerperij, admittitur.Ex victoria frigoris,humores, qui venis medijsq; ſpatijs uterinæ molis,& conceptę puellæ pertinacius impacti erant, concretione coguntur: perinde ac gelatis accidit: ſic enim affecti κατεχόμενοι appellantur, qui eam formam retinent in qua deprehenduntur. Fit autem id malum ab humore frigidiore & cõgelante. Etenim frigore humida concreſcunt, quod Gal.ex ſpontina ſcirrhorũ generatione patefecit. Coeũt autem uſque adeo humores & in concretionem deducuntur, ut cum utero fœtus ſcirrhoſam plane calloſamq; duritiẽ contrahat.Nam & ex frigore duritiem fieri docuit Gal.Humores autẽ, qui demiſſi ſunt, in concretionem, craſſi erant & glutinoſi: alioqui nũquam fœtus uterũsq; in calloſam duritiem eſſent progreſſi.Erant & frigidi:nam ſcirrhus, ut Galeno placuit, omnisq; tumor ſcirrhoſus ex humore craſſo, viſcido ac frigido naſcitur, qui in parte frigida,ſive ſit melancholicus,ſive pituitoſus, ſive ex utrisq; mixtus, facile concreſcit.Frigus enim humores congelat, ut diximus,& maxime frigidos. Itaq; hoc in agendo potentiſſimum ſimulatque fœtum cum utero excepit, in utroq; efficiens indurationis cauſa extitit,quę quidem corpuſculo,& uterinæ moli, ex materiæ & humoris ratione,impendebat.

His

His igitur ad absolutam duritiem pergentibus, sensim humor per halitum resolutus est: non enim crassa, refrigerata, concretaq; restitit, & in callum uteri perinde ac infantuli moles coaluit ante serosi recrementi vaporationem. Nulla vero humiditas, post hanc coitionem per venas, quæ solæ fœtui alimentũ conferebant, in media uteri spatia illapsa est, ac proinde facto seri & cruoris effluvio, quod ad puerperij tempus natura deposuit, in loco frigido sicco & saxeo, proles madere desijt: imo duri occursu induruit. Nã & humor qui circa articulos colligitur, ex ossium natura, testante Hippocrate, duritiem induit. Dicet aliquis ex Physicorum & Medicorum sententia, frigore concreta, calore liquari: cui satisfactum fuerit, si respondeam, alias indurationis causas à frigore indissolubilem uteri & genituræ concretionem reddidisse, idque scirrhosi tumoris modo, qui siccitate & frigore concretus, nunquam emolliri potest. Igitur nihil aderat per ariditatem loci, quod fœtum faceret obnoxium putredini: exhausta erat omnis humiditas innata, nulli adventitię per uteri crassitiẽ & duritiẽ aditus patebat ad induratũ fœtum, quo seipso redderetur humidior. Nã quæ putrẽt, ait Hippocrates, seipsis humidiora

diora fiunt. Porro confirmata indies duritie, proles illa perinde ac scirrhus, utero scirrhoso affixa, potuit integra forma, in mortis maternæ tempus conservari, citra insignem earum partium colliquationem, quæ natura sua laxiores absumi poterant, nisi concretio à frigore irrepsisset. Quod factum fuisse adeo mirum videri non debet, quum neque ossa indurata, neque calli, porive, qui generãtur in nobis, procedente die minuantur. Hæc mea est compendiaria argumenti propositi disceptatio, candide lector, si quid rectius illa noveris, imperti: si non, hac utere mecum. Simon Provancherius.

DE MOLIS IN GENERE.

OBSERVATIO CXCVII.

Effluviorum seu Effluxionum molarumque tam vitalium, quam non vitalium causæ & modi.

EFfluxiones ab utero vitiosæ solius propemateriæ vitium, absurditatemq; cõsequi solét. Sunt harũ genera duo, nam plereq; licet informes, attamen animantur: alię vitam non con-

concipiunt. Inter nō vitales prima ſpecies eſt concreti ſanguinis velut in carneā maſſam: in qua tamen nervoſi ductus ac venarū, arteriarumq; lineamenta appareant: ſæpe vero & ancipullæ tenues, quarum aliæ candidę, & piſciū oculis non abſimiles, aliæ vitellos ovorum aptiſſime præſeferunt, ut ſæpiſſime à nobis eſt obſervatū. Hoc genus non ita abſimile parenchymati fœtus, quod in involventiū membranarum vaſis affigitur, ad elaborationem ſanguinis meliorem, priuſquam per umbilicum in corpus infantis diſtribuatur, Fallopius placentam vocat, pulmonis ſubſtantię figuræque proximā, ut nobis videre hactenus licuit. Eſt alius modus, ubi craſſum duntaxat atq; membraneum corpus excernitur inſtar veſicę denſioris: quod fere ex amplo ventriculo in anguſtum vetticem ſurgit, nō male roſtro ſuillo vel animalis alterius comparādum: hoc enim ſolo agglutinatur cotyledonibus uteri, vivens duntaxat uti fungus aut planta terrarū viſceri radicitus adhæreſcens. Eadem ſpecies non ſemper uniformis exiſtit: ſed ſæpe & polypi more in ramos ac roſtra compluria, vel brachia prorogatur: ſæpe interiore ſinu (ſi adaperias) ſolam invenies cōcreti ſanguinis maſſam: ſæpe & textum nervoſum, implicitum inſtar labyrinthi: ſæpe res maxime peregri-

nas,

nas, cujuſmodi in abſceſſibus ſolent. Nam tales infinitæ ſpecies, etiam pro imaginationis varietate à matribus inducuntur, præſertim accedente ſeminis quantitate, & rerum conſenſibus externarum. Tertium genus effluxionis non vitalis, ad molæ appellationem non immerito relegamus: quãdo formationis exactius quoddam eſt rudimentũ in carnis confuſæ ſpeciem nũc penitus nudam, nunc involucro denſiuſculo circumtectam. tale etenim fere ob maſculi feminis penuriam concipi ſolet, ſi vicem iſtius fœmineũ ſemen aggreditur: poſtquam non inepte & maſculum ſemen atque fœmineum ſcribat Hipp. ab utriſque ſecerni, & ſecundum exuperantiam facultatis agentis atque paſſibilis mares aut fœminas naſci, nulla tantopere in quantitate ſeminis poſita ratione. Molæ interdum ſunt carneæ magis, interdum nerveæ. Figura quoque cunctis non eſt eadem, ſed omnes utero pertinacius hærent: ſæpe & annis pluribus, non ſine geſtãtium ſummo diſcrimine, tumore, morſu, & atrophia. Gemma lib. 1. cap. 6. Coſmocrit. Et paulo poſt.

Iam vero ſi vitalium effluxionum ſpecies animo perluſtraris, totidem prorſus invenies, quibus cum vita motus, ſed incõpoſitus, aſpiratur, propter præſtãtiam ſpiritus in rudi mole de-

le demersi. Tales sæpe cum fœtibus edi solent: tales mirandam erosionis acerbitatē embryoni ac matribus ferunt. Excluſi in lucē inflantur varie, discutiuntur, injectisque per obstetricem molibus, suffocantur. Idem.

Veterum discrepantes sententias de Molarum Generibus, Differentijs, Causis & generationis modis, inter alios Iacchin⁹, Hollerius, Trincavella, Mercurialis, L. Mercatus, Marcellus Donat. Thaddæus Dunus, & Andreas Laurentius explicant.

DE MOLIS IN SPECIE.

OBSERVATIO CXCVIII.

Molæ veræ, quæ vulgo Carneæ appellantur.

DE eo quod mola vocatur, videndum est. accidit hoc vitium mulieribus nonnullis gravidis, quanquam raro. pariunt enim quod molam vocant. Iam accidit enim mulieri cuidam, ut cum concubuisset, & se cōcepisse putasset, primū ventris moles augeretur, & reliqua ex ratione venirent. Sed cum tempus pariendi jam esset, nec pareret, neq; moles minueretur, sed annos tres aut quatuor ita perseveraret, quoad dysenteriæ, id est, difficultati intestinorum implicata, eoq; modo periclitata,

tata, demum peperit carnem, quam molam vocant. Quin & tota vita edurat hoc vitium, ut & conſeneſcat, & commoriatur. Quæ autem prodierit, adeo obdureſcit, ut vix ferro tranſigi poſſit. cauſam hujus dixi in problematibus. Ariſtoteles, de Generat. Animal. lib. 4. cap. 7.

Quidam tradunt in quibuſdam mulieribus caruncúlas ad juglandis nucis magnitudinem per pudendum excretas eſſe, aliquando ſingulis menſibus, aliquando bimeſtres aut trimeſtres. Aëtius Tetrabibl. 4. Sermon. 3. cap. 8.

Vidi in facto bis in una muliere nobili, quę viſa eſt pręgnans vere, & in decimo mẽſe cum gravibus accidentibus partus, imo graviſſimis intenſive & extenſive: quæ eduxit fruſtũ carnis magnum, durum, habens duo additamenta ſeparata in parte tenuiori: Poſtea in alia parte erant rotunda & groſſa, ad longitudinem duorum digitorum, & ultro movebatur, non habens alias diſtinctiones. Et paulo poſt.

Vidi bis vel ter in facto fruſtum aliqualiter figuratũ, quod movebatur: & ita vixit per horas: cum tamen credidiſſet mulier ſe eſſe pręgnantẽ vere: quo emiſſo, ceſſavit prægnatio, cum accidẽtibus ejus. I. Math. de Gradi Comment. ad cap. de Mola lib. 9. ad Almans.

Sicut

Sicut generatur mola in matrice, ita etiam generantur aliæ res præter naturam. Vt teſtor me vidiſſe in quadam muliere Papienſe: quæ ſe prægnantem eſſe putabat. Poſt 12. menſes, emiſit fruſtum unum carnis ſatis magnum, & multa alia parva: & ſimul cum illis peperit animal ad ſimilitudiné tenconis piſcis, &c. (de quo circa finem hujus argumenti plura) Gattinaria Comment. ad caput de Mola ad lib. 9. Raſis ad Almanſorem.

Vidimus Cydone mulierem, quæ octavum ante partum geſtaverat, & cum in ſequenti ſe etiam concepiſſe putaſſet, & jam decimum menſem attingeret, una nocte, ſanguis, congij menſura effluxit. Vidimus mulierem quando eo trepido profluvio omnes territi fuerant. Cujus labra animadvertimus tumentia, ac oculorum genas, faciem cætero palleſcentem, brachia præter conſuetudinem macilenta videbãtur: ventrem deinde detumuiſſe: & in eo pondus moleſtũ ſentire ajebat, in utero molam eſſe omnino adjudicavimus. Obſtetrix clauſam eſſe naturam nunciavit, conjectis invicem tribus peſſis, ex galbano, bdellio, opopanace compoſitis: jam naturalia ora patefacta ſunt, miro naturæ opere: molam ſubinde extraxit obſtetrix, in tria fruſta diſcerptã, quæ ſubinde conſuta, molam integram rotundam

constituere. Superstitione quadam, ad avertendam talem molam, infumari camino jussere. Ea informis erat cute humana obducta, intus materia, sine ossibus, sine corde, sine jecore ac intestinis: sed confusa quædam caro erat mollis, venis cõsperſa pluribus, cucumeris magni rotundi modo ea duritiem nullam adhuc contrahere poterat. Alexand. Benedict. de Curand. Morb. lib. 25. cap. 54.

Peperit mulier geminos, masculum & fœminam, alterum vivum, alterum vero emortuum, inde mulier hæc male habere cœpit, & continuo febriebat, & ingentẽ sanguinis fluorem patiebatur, adeo ut, de eo constringendo, medici valde solliciti essent. Cæterũ, quo magis constringentia darent, admoverentve, eo magis hæc mulier in sanguinis rivulos deveniebat, ut ad obitum prope jam devenerit, & domestici de funere jam curarent. porro, cum in hoc infortunio & agone esset, ecce molam quandam, carneum scilicet frustulum prædurum emisit, & illico libera & sana facta fuit. Conatur autem natura tantum malum in utero contentum, hoc est, molam expellere, unde non cessat expultrix facultas sanguinem transmittere, quoad scopum desideratum attingat, sed i l alijs mulieribus abortientibus, & quæ pepererunt, evenisse, non

raro

raro obſervatum habeo. Amat. Luſitanus Cent. 7. Curat. 54. Curat. Medicin.

OBSERVATIO CXCIX.

Molæ fœtibus ſæpe cum certo interitu alligatæ: matribus quoq; periculoſiſſimæ.

VIdimus nobilem Venetã Dionoram Georgiam, ſeptimo menſe, quo partum geſtaverat, polypum peperiſſe monſtrificum: quem nos diſſecuimus: in medio maſculinus fœtus integer, palmi magnitudine repertus eſt, quem monſtrum illud in ſeſe genitum, inter eas anguſtias accreſcere non patiebatur. Annexus tamen erat umbilicus polypo. Alexander Benedictus lib. 25. cap. 29. de Curand. Morb.

Dulcis Gardiola uxor mea prægnantem ſe eſſe exiſtimans, molam gerit in utero menſes totos duodecim: ſubinde ea in geſtatione gravida fit: cumq; jam fœtus quadrimeſtris eſſet, ingẽtibus doloribus, febri graviſſima, ſymtomatisq; lethalibus correpta, animi deliquio, virium defectu atq; pulſuum, delirio, vigilijs, inedia, parturire cœpit tandem maximis conatibus: pari diſcrimine vitæ, opportunis adhibitis auxilijs, molam una cum fœtu, ſimul illi alligato, ejecit, & priſtinæ incolumita-

ti præter meam & omnium opinionem Dei voluntate & misericordia restituitur. Sed antequam Observationi huic colophonem addam, quid è vulva ejectum sit, miserabili hoc partu, dicendum videtur.

Prodijt caro informis, crassa, dura, semiputris, & multis partibus lacera & divulsa: cui quatuor vinculis fortibus infans masculus alligatus erat, quadrimestris ille quidem, aut eo amplius, suis omnibus membris constans atque integer. Perinde autem molæ fœtus alligari videbatur, atque fructus arboribus. Pediculo namq; medio contineri arboribus fructus experientiæ fide constat: fœtus autem in utero per vasa chorij, seu secundinæ membranæ (quæ quidem vasa ex arterijs & venis uteri existunt) alligãtur: ut est Galeni lib. de fœtuum formatione sententia. Ad uteros namque fœtuum connexus eandem habent proportionem, quam fructus ad plantas. Vt enim ibi capulis quibusdam continetur, sic & fœtus quoque ipsi: ut Galenus de fœtuũ formatiõne lib. 1. de semine ca. 7. & lib. 4. aph. Com. 1. affirmavit. Sed cur non infans hic, qui una cum mola prodijt, utero alligatus non esset, sed molæ, in promtu causa est: quod in superfœtatione, cum conceptus in utero infans est, mola jam uteri sinum occupãte, non patuit fœtui radi-

cationi

cationi locus. Itaq; subſtrata fœtui mola (cum carnea eſſet & ſanguinis plena, & in uteri ſinũ immerſa) fœtui ipſi inſtar uteri, in quo radices ageret fœtus, fuit. Quę res abortui anſam prębuit maximam, quod non pro naturę lege ſuo in nativo ſolo (nępe utero) ſed in alieno (molæ, inquam, carneæ) ſubſediſſet fœtus.

Similem quendam affectum in Maria Trophimi Caroli, Arelatenſis civis, amici & compatris mei, uxore vidi: quæ octavo geſtationis menſe puerum probe jam dearticulatum, & ſuis omnibus partibus conſtantẽ, molæ quinque vinculis alligatum ejecit, magno cum vitæ diſcrimine. Vtramque autem Dei ope, & mea qualicunque opera ſervatam fuiſſe, Et adhuc Dei clementia ſuperſtites eſſe, & plures poſtea fœtus geſtaſſe, & feliciter peperiſſe, teſtari plena fide poſſum. Valleriola lib. 1. Obſervat. 1.

Vidimus mulierem cui carnea moles exivit cum fœtu, veluti ſuperfœtationem quadam. Scholiographi Holl. de morb. Intern ad cap. de mola.

Huic perſimilem (hiſtoriam) & nos ſemel vidimus, in Sigiſmundi currus ductoris uxore anno 1574. menſe Septembri, quæ cum fœtũ maſculum nulla affectũ injuria peperiſſet, adhuc prætumido ventre exiſtente, ita ut obſte-

trix de altero retento fœtu dubitaret, decimo septimo die à partu, carneã molam, pueri decem annorum caput superantẽ magnitudine, excrevit, cui pediculus inerat, quo fœtus legitimi secundis annexum censuimus, & post varios labores, recte auxilijs administratis, convaluit. Marcell. Don. Hist. med. mirab. li. 4. c. 25

OBSERVATIO CC.

Mulier gravida massam molãve informem, ansatam utrinq;, palpitantem, cum monstro Sanguisuga dicto, & fœtu masculino misere à fera excarnificato non sine vitæ discrimine parit.

MVlieres Belgicæ, potissimum quæ oras maritimas accolunt, cum tumultuosæ sint atque inquietæ in peragendo concubitu, alienas insuetasq; formas subinde embryoni inducunt, nec solum molem, hoc est, rudem, informem, atque inelaboratam massam, quæ ferri aciem respuit, proferunt, sed quiddã deformi specie, quod palpitet, ac vitale existat, formamq; inchoati operis obtineat, qualé artifices rudiori penicillo adũbrare solẽt. Nautæ siquidẽ, quibus fere sunt addictæ, ubi ex longa diutinaq; peregrinatione ovantes in portum sunt delati, plenisq, velis ostia subeunt, nullo habita mẽstrui decursus ratione, nec observato in-

tointerlunio, Lunæq; coitu, quo tempore, ob mensium defluxũ, congressus noxius esse solet ac pernicioſus, nequit enim semẽ coalescere, nec debite cum muliebri sanguine uniri. Quo fit ut genitura vel effluat, vel si omnino cohærere contingat, non possit natura confusam maleq; cohærẽtem materiam elaborare. Nec solum virorum incontinentia culpanda est, verum & mulierum, quibus cum jam pridem non sit rei venereæ facta copia, ultro se nonnunquã viris subijciunt, atq; avide semen rapiunt, ut famelici cibum, ut Cerberus offam. Eoq; fit ut uteri facultas aut prorsus à spe generandi excidat, prolisq; successu frustretur, aut si quid efficere tentet, operisque manum admoliatur, monstrosam quandam formam ab hominis specie prorsus alienam embryoni inducat. Nonnunquam post trimestre spatiũ fœda illa colluvies effluit, ac frustulatim, confertimque erumpit indigesta congeries, quasi navem sentina exhauriri contingat. Huic affinis est effluxus quidã, multis torminibus pressurisque mulieribus infestus: nostrates, quod quarta silentiq; luna, cujus vi mẽses defluunt, conceptus inchoari cœperit, Lunarẽ partum, aut populari voce, Manekindt (Monkindt) indigetant. Perficitur autem spurius hic conceptus nonnunquam citra virilem operã ex

imaginaria venere in ijs, quæ admodum pruriunt, impenſeque ſunt ſalaces, ac laſcivæ, ſic ut ex crebro virorum intuitu contactuq; muliebre ſemen cum ſanguine mẽſtruo conglobari contingat ac coaleſcere, ipſamque facultatem uteri, atque inſitum calorem rudimentum aliquod animantis meditari.

Superioribus annis me uſa eſt medico mulier quædam inſularis, quæ cum ex nautici generis homine concepiſſẽt, in tantam tamque inuſitatam molem illi cœpit intumeſcere uterus, ut non videretur ſuffectura geſtando oneri: decurſo exactoque novem menſium ſpatio, quod anni dodrantem cõficit, accita obſtetrice, primum magno conatu ac molimine maſſam quandam informem enixa eſt, quam ſuperfœtatam poſt legitimum conceptum judico, cui utrinque anſæ duæ connexæ erant in brachiorum longitudinẽ ac modum exporrectæ, palpitabat autẽ, illique vitale quiddam ineſſe viſum eſt, ut ſpongiæ & urticæ marinæ, quas noſtri Elſchouvve vocant, quarũ innumeræ æſtate in Oceano fluitant, exemtæque mari diffluunt, ac diutius manibus contrectatæ liqueſcunt inducto pruritu ac mordaci uredine, unde nomen id obtinuerunt. Poſtmodum monſtrum delapſum eſt ex utero, adunco roſtro, longo teretiq; collo, oculis vibrã-

tibus,

tibus,cauda accuminata, eximia pedum agilitate.Id post primum lucis intuitum conclave stridoribus implet, atque ultro citroque discurrens,latebras persequitur:tandem mulieres pulvinis impetunt,ac suffocando perimunt.Hoc mõstri genus, quoniam hirudinis more, sugillando sugendoque fœtui infestũ est,ac sanguinem adimit, sanguisugam nominant,vulgo Suygers. Postremo mulier hæc plus satis delassata, non sine summo vitæ discrimine prolem masculam edidit á monstro ita excarnificatam, ut à sacra lotione quam minimum vitæ superesset, mulier vero ægre refocillata,quas molestias ac torturas perpessa sit,optima fide mihi enarravit: illique præscripsi salubertimam vitæ rationem,tum quæ restaurandis firmandisque viribus sunt accõmoda.Erat enim prorsus elumbis atq; enervata.Hæc & pleraque alia documento cuiq; esse debent,ut in congressu mutuo omnia decenter, debitoq; ordine peragantur,ne quid incommodi aut detrimenti naturæ contingat inferri.Lemnius lib. 1.cap. 8.de occult.nat.miracul.

OBSERVATIO CCI.

Mola quomodo intelligatur esse caro informis, tum variæ molarum species, & ex his una omnium monstrosissima, qua tres molæ, forma mentularum virilium excretæ.

CVm ex Galeno declaratur, molam esse carnem informē, quę in utero gestatur, non intelligatur eam omni forma carere, sed humana tantum. Quoniam ipsius molæ variæ & incertæ sunt formæ & differentiæ. ego enim vidi alias molas obductas & intertextas multis fibrosissimis ligamentis, quæ duræ quidem erant, sed adeo viscidæ & tenaces, ut nec gladio cederēt. Alias vidi molliores, his ligamentis carentes, quæ tamen erant fibrosissimæ, & hæ omnes aliquando orbicularem, aliquando angularem, aliquāndo oblongam, aliquando romboidem & diversam habebant figuram. Alias inspexi, quæ, præter velamenta exteriora, nullis fibris intertexta erant, hæque vere parenchyma dici potuissent, nec ullam propriam receperant figuram. Alias vidi, quæ, quadam rudi similitudine, nonnulla animalia bruta, ad quorum conformitatem formatæ videbantur repræsentabant, quæ tamē tantum vegetativa anima donatæ erant. Alias autem

autem ad similitudinem alicujus humani mẽbri delineatas animadverti, præcipue autem novi, honestam & nobilem mulierem, cum, doloribus instantibus, partus naturalis exspectaretur, tres molas ad similitudinem pudendi virilis formatas peperisse, quarum una erat notabilis magnitudinis, naturalem quantitatem colis humani excedentis : reliquæ duæ erant minores, hæque nullis ad invicem cõmunicabant ligamentis. Vnde poterat, cum habet Galen. molam esse carnem informem, non de omni, sed tantum humana intellexisse forma. Salius in Annotat. ad cap. 112. Pract. Altomaris.

OBSERVATIO CCII.

Virgines etiam molas gestare.

MOlæ nomen ab informi carnis facie. Itaque latini etiam molem ab eadem origine: quoniam græci μύλλω. Observanda autem duo sunt: non solum è coitu provenire, sed etiam virginibus contigisse, quod non affirmat Aristot. sed doctorũ authoritate cõfirmabimus. Alterum est, quasdam molam parere, quam conceperint, quasdam nunquã. Afranius poeta in fabula, quam virginem inscripsit

scripsit, molam, molucrum: (quod vitium etiam virginibus evenire solitum sit,) Festus Pompeius author est, in lib. 11. Quoniã Græci quoq, μύλικρον nominent. Iul. Cæs. Scaliger, Comment. ad Text. 43. lib. 10. Aristot. de Hist. Animal.

Quod nonnullis famelicis, qui nidore culinæ saturantur, atque alimentorum penuria odorib. reficiuntur: Id evenit puellæ nubili, cui dum amasio frui negatum est, illum tacito fovet gremio, illum animo menteque etiam absentem concipit, ita ut ex crebra imaginatione massam quandam informẽ concipiat, conglobatis collectisque in ijs partibus humorib. qui conceptui inserviunt, quæ informis concretio imaginaria Venere perficitur, nullo conceptu, virique opera. Levinus Lemnius lib. 4. cap. 19. de Occultis Nat. Mirac.

OBSERVATIO CCIII.

Mulier annorum 56. & sæpe & sine viri cõcubitu, molas plures cum sanguinis excretione dolorifica parere solita: quæ aëri expositæ in aquam resolvebantur.

NObilis urbis nostræ mulier, indubiæ honestatis Matrona, quinquagesimum sex-

sextum annum nata, carnoso corporis habitu donata, ac plurimo sanguine redundante; cum jam per aliquot annos menstruæ purgationes defeciſſent: annis 1573. & 74. molas plures carnosas edidit, fluētib. veluti in naturali partu menſibus copioſe & maximis cum cruciatibus, interpoſito nonnunquam duorum, aliquando trium, vel unius menſis ſpatio, diligenter percontata, ſe nullum ſeminis profluvium in ſomnis, nec ullam oblectationem perpeſſam affirmavit. Fluebant tamen interim, præſertim cum ſe plus juſto exercebat, menſes albi. Erant autem carneæ molæ, nonnullæ ad pugni craſſitudinem, aliæ minores, duriſſimæ nonnullæ, aliæ vero minus duræ, atque ut plurimum, poſtquam erant excretæ, ſub aëre diutius detentæ, permanentes, in aqueam ſolvebātur ſubſtantiam liquefactæ. Mirum ſane videtur, mulierem hanc molas adeo frequenter generaſſe, abſque viri concubitu: cum id fieri poſſe Gal. neget, atteſtantib. Hipp. & Ariſt. Marcell. Donat. Hiſt. med. mirab. lib. 4. cap. 25. quem conſulere poteris.

OBSER-

OBSERVATIO CCIV.

Molæ plures & disformes uno partu exclusæ.

ALbertus Mag. 18. de Animal hist. 16. narrat, se vidisse duas Molas excretas uno partu. Mercurialis lib. 1. cap. 3. de Morb. Muliebr.

Vidi uxorem Iacobini Dini de pecoris, quæ emisit novem frusta una die, separata & distincta, quorum unumquodque erat figuræ enormis, nec figura erat similis figuræ alterius, & ponderabat unumquodque ab uncijs tribus usque ad octo. Nicol. Sermo. 6. tractat. 3. cap. 20.

OBSERVATIO CCV.

Molas nonnunquam usque ad quartum, quintum, decimum quintum, decimum septimum & vigesimum annum à mulierculis gestari, aliquando etiam toto vitæ suæ tempore circumferri.

MOla quandoque extenditur ad annos quinque, ut vidi in Domina Fantina de Montebellone. Savonarola tract. 6. cap. 21. rubr. 27.

Mola

Mola, de qua scribimus, carnea quædam & informis moles fuit, talem multo tempore, & aliquot etiam annis (plus minus quindecim) in utero olim gestavit honesta quædam vidua. existimabat uterum prolapsum, quod in uteri ostio propẽdere aliquid sentiret. Profluebant statis temporibus menses: & subinde copiosiores quam par erat. Tandem quodam tempore supervenientibus nonnullis partus doloribus, rudem excrevit & informẽ carneam molem, pedem fere longam, latam semipedem, tres quatuorve digitos altã. Dodonæus cap. 49. Observat. Medicinal.

Molam quæ Græcis μύλη dicitur, induratũ esse uteri tumorem, qui modo in ipsius ostiolo, modo in ipso toto consistat, Aetij & Pauli est sententia. Sed Galenus 14. Methodi, Molam in formem esse carnem, ait, & inutilem in utero gestatum conceptum; qualis illa viduæ carnea moles, quam aliquot annis in utero gestaverat. Et talis quidem proprie μύλη ac Mola dicitur. Idem in Scholijs.

Vidimus molam molis annorũ quindecim. Erat autem rotunda pedes tres cum dodrãte. Eam gestabat mulier abdomine utriformi, quale est hydropicorum. Ea mortua & dissecta, prodijt mola vivens & incorrupta

cujus

cujus conceptæ & gestatæ in utero per quindecim annos, hoc argumento adducor; quod mulier esset vitæ integræ, & notæ cumprimis pudicitiæ. Exegerat autem quindecim annos vidua. Nam sine coitu coagmentatio non est molæ, quicquid nugentur sophistę linguarũ & naturę ignari. Hoc fuit judicium Præceptorum Hippocratis, Aristotelis, & Galeni: quorum autoritas una me frangeret, nisi eorum ratio plus valeret, ad comparandam docilitatem & fidem. Sic enim de mola censuerunt; quod mola est rudis indigestaque moles, quam cruditas edit seminis atque corruptio, unde est impedita corporis partiumque discretio & accretio. Nam ea moles in quam assurgit, quęque illi vulgo peperit nomẽ molæ, accretio quædam est Physica, sed informis. Vivit enim & crescit more tuberum, quę ὕδνα Græci vocant: non autem stirpium suis partibus convenienter cujusque natura discretis absolutarum. Duretus comment. ad Coaca pag. 478.

Molam totos septendecim annos utero circum tulit uxor Guilelmi Rogérij vasorum stanneorum figuli, in S. Victoris vico: quam quinquagenariam & mortuam cum dissecuissem, uteri corpus comperi fere solutum, & nequaquam his quibus solet vinculis adstrictum,

ctum, tantum cervice sua vinctum & præterea proximo omento subhærentem, unico testiculo dextro præditum, eoque latiore & laxiore. Cornua nequaquam nisi forte parte illa conspicua erant: vasa sola cervice admittebat, eaque manifesta & tumentia: caput humanum amplum totus æquabat. Hunc à reliquo cadavere revulsum, in ædes meas detuli, ut per otium, quid conclusum toros jam septemdecim annos contineret, oculis, manibus & mente consequerer, advocatis primarijs in arte Medicis, Masilæo, Alexio, Vigoreo, à Sanctoponte, Feureo, Broëto, Violaneo, Grealmo, Ravinio, Marescotio, Miloto, Altino, Riolano, Lussono: Chirurgis vero Bruno, Coniterello, Guillemeau. Talibus igitur & tot viris præsentibus, uterum dissecui, reperique toto corpore suo, propriaque tunica (altera quæ ipsi à peritonæo adest integra & sana) scirrhosum, durumque adeo, ut in ipsum ferri validis viribus adacti acumen vix subire posset: trium digitorum spissitudinem ejus corpus habebat. In media capacitate carnea moles inventa est, manus ambas in pugnum contractas crassitie æquans, mammæ vaccinæ similis, uteri parietibus nisi certis locis adhærens, densa valde & inæquali grumosaque substantia, corporibus multis, qualia in

atheromatibus reperiri solent, cartilaginibus præterea & tanquam ossibus conspersa. Vna omnium sententia fuit ejusmodi molem initio molam fuisse, quæ temporis successu in scirrhosum corpus una cũ uteri propria substantia degenerasset. In media insuper uteri cervice tumorem notavimus crassitie & rotunditate meleagridis ovo similẽ, substantia durum, cartilaginosum, & osseum, totam cervicem occupãs: præsertim vero uteri interius orificium, quod Gallorum vulgus Coronamentum nominat, adeo ut hac nihil in uterũ ingredi aut egredi posset. Pendebat omnis illa moles libras novem & uncias duas: quam ego, quod monstri aliquid habere videatur, propter rei novitatem & raritatem in conclavi meo & armamentario reponendam & asservandam duxi. Pareus lib. 23. cap. 34.

Vidi uxorem Franciſci Gabrielis passam molam plusquam viginti annis. quandoque enim protenditur sic usque ad finem vitæ & non recipit curationem: & quandoque deponit frustum carnis, cui est forma quædam, cujus species non comprehenditur, quia non sunt dearticulatæ figuræ ejus. Nicolus serm. 6. tract. 3. cap. 20.

Quin & tota vita edurat hoc vitium ut & con-

seneſcat & commoriatur. Ariſtot. lib. 4. cap. 7. de Generat. Animal.

Vidimus Genuenſem mulierem ad vitæ uſque exitum geſtare. Alexand. Benedict. lib. 25. cap. 34. de Curand. morbis.

OBSERVATIO CCVI.

Molas nonnullæ ſine magno incommodo aliquandiu utero geſtarunt.

NOnnullas vidi per plures annos molam geſtaſſe, quæ nihil ex ea paſſæ ſunt, præter moleſtiam & incommoditatem ex tumore ingenti cauſatam, nec ex ea perierunt, nec ullo morbo earum ratione laboraverunt: cum tamen & quintum annum eas ſupervixiſſe noverim. Salius cap. 112. Annot. ad lib. Altomaris.

OBSERVATIO CCVII.

Mola nonnunquam fœtibus morbos ingenerare.

MAgna & miranda ſunt noſtrę naturæ arcana: mulier quædam quæ habitat in orientali porta, uxor artificis cannarum, viginti quinque filios enixa eſt: atque ea

fœcunditas primum mira fuit. Ex his duos intra decem menſes, ambos mutos ſurdoſque, qui ambo ſupervixerunt, vivuntque. Primum cum tribus molis, ſecundum cum duabus, nõ ſolum mortuis, ſed putrefactis. Dum eos in utero gereret, non quemadmodum in alijs ſe habuit, ſed in imo ventre põdus quaſi plumbi ſentiebat: veriſimile eſt, adnatas molas, ſua frigiditate (ſunt enim quaſi ſanguis congelatus) cerebrum læſiſſe: inde auditum & vim loquendi hebetatam, maxime cum cõputruerint: læſo autem cerebro fœtum deſcendiſſe aliquantulum, tum ea ratione, tum molarum pondere gravatam fuiſſe admodum. Cardanus de Varietate lib. 8. cap. 44.

OBSERVATIO CCIIX.

Mola, cum excludi non poſſet, putrefacta: eadem contagione uterum affecit, & mulierem perdidit.

MEmini diſſectum à me mulieris cadaver ex eo mortuæ, quod ipſi mola ovo anſerino magnitudine æqualis, quam natura expellere vanis conatibus tentaverat, ſubſtitiſſet & computuiſſet, atque in putredinis contagium totum uterum pertraxiſſet. Pareus operum ſuorum lib. 23. cap. 34.

OB-

OBSERVATIO CCIX.

Mola utero adnata, & membranæ putridæ visæ in fœmina quæ post laboriosum partum cum variis symtomatis febre extincta mortua est.

MVlieri post quindecim annos à connubio parere contigit. Laboravit multum à partu. Secundæ substiterunt: evulsæ frustillatim. Obstetrix asserebat supereſſe aliquid. Febris nata. Hinc nigra lingua, dentium intervalla scrabritie nigricantia, facies νεκρώδης. Septimo die mortua. Secta, inventa caro oblonga adnata utero, & membranarũ pars, quæ compotruerat. Holler. lib. Obſervationũ proprio numero 10.

OBSERVATIO CCX.

Symtomata mulieris cujusdam, molam gestantis, & parientis.

LA Beringnę uxor de Ledian Beuchet, quum existimaret se à quatuor fere mensibus gravidam, omnia signa pręgnantis mulieris pręferebat, vomitu crebro primis mensibus divexata fuerat, appetituque prostrato,

tertio & quarto menſe eodem reſtituto, trigeſimo octobris cœperunt ei effluere quædã pallida, antea conquerebatur de dolore lumborum. Dubium erat an eſſent ſuppreſſa menſtrua, vel molane, an fœtus. Quietem injunxi, nec ulla remedia exhibere volui, venter non tumebat. Die prima Novemb. circa meridiem ſanguis concretus, admodum ruber & copioſus rejectus, tandem, quum videremus eundem copioſius effluere, ac laudabilem eſſe ſanguinem, habita ſola ratione virium, incœpimus exhibere, quæ ſuprimerent ſanguinem, quæ deliquio vehementi correpta, tandem circa veſperam molam rejecit. D.D. Ioannes Bauhinus de Obſervat. prop.

Enarrationem hujus hiſtoriæ, velut obſcutiorem paulo, & quod lectu difficillima foret, ex autoris autographo reſtituere per occaſionem conabor, cujus te admonere viſum eſt.

OBSER-

OBSERVATIO CCXI.

De mola, quæ novies in uxore Thobiæ Knott, civis Suvidnicensis in Silesia, generabatur, & expellebatur quarto mense, præservativa unico remedio.

VXor Thobiæ Knott, quę hodie adhuc vidua vivit honesta, sed valde pauper, cum molã sæpius atq; novem vicibus gigneret, & subinde quarto mense eijceret, post nonam molam excretam ad meum consilium confugit, qui tunc vocatus à nobilibus provincialem Medicum ibi agebam: sed conqueritur, non posse magnos sumtus facere in pharmacopolio. Quid multa, jussi ut sese diligẽter custodiret domi unũ adhuc mensem. ne matricẽ alias debilẽ in purgatione post molã læderet. Illa obtemperat, & reversa post 4. septimanas urinã secũ adfert, quę nõ adeo humoralis erat coloris boni, sed semicocta: Ego cum paucis egenti mederi & deberẽ & perquam vellem: conditum alterans, corroboransque Matricẽ tantũ illi prę scribo, quod ℞. Conser. rosar. antiq. unc. ij. melissæ, acetosellæ unc. j. anthos, diacydonij an. unc. ſ. marg. prę parat. corall. prę parat. an. gr. iij. cinam scrup. j. macis scrup. ſ. ſp. diarrhod. scrup. j. cum Rob. de ribes q. ſ. f. conditum. Hoc usa est 7. diebus cum

hac cautela,ne coiret cũ viro,poſt quovis triduo,etiamſi rem cum conjuge haberet,&nũquam iterum male laboravit,ſed feliciter cõcepit,atq; peperit ſalubres infantes, ad quorum primum in baptiſmo invitatus fui. Non eſt dubium ſanguinem in mola prẹſervanda hoc recte alterari & matricem corrigi,ſed tamen quia non in omnibus ſufficit,minima ex parte meum medicamentum egiſſe, maxima ex parte ipſum DEVM immediate ſuo auxilio adfuiſſe fateor. Multas alias mulierculas prẹſervavi à mola, ſed unamquamq; pro ſua cõplexione & digeſtivis & purgantibus, ſẹpe etiam veneſectione, & corroborantibus matricem, intus quidem ſemper cum hoc condito,paucis mutatis, exterius etiã emplaſtro. Prægnantes molam etiã geſtaſſe ſcio,& Francofordiæ ad Oderam uxorẽ Profeſſoris duas molas uſque ad partum,atque tunc ſimul enixas eſſe. In Saxonia tres molas ſubinde ſeptem diebus poſt nobilis Matrona enixa eſt,triduo valde tormentis & excretione afflicta, poſtea ſine torminibus quieſcens:ſemptima ſemper die nova tormina, & tridui ſpatio nova mola redijt, quæ à me curata, jam utero gerit,& cui jamjam nono menſe partus inſtat. Pro certo etiam mihi narratur à Nobiliſſ. Matrona, quod ſoror ejus molam quarto menſe excre-

excreverit, nihilominus simul prægnans manserit, fœtum salvum retinuerit, & feliciter peperit tempore consueto quinq; mensibus post. De Cl. V. D.D. Iacobi Horstij Observat. libro, per D.D. Laurentium Scholzium ad me missso.

OBSERVATIO CCXII.

Mola ut dejcienda, tum quæ ejus chirurgica ratio.

PRæscribenda, ingerenda, admovendaque omnia sunt, quę menses cient, & secundas, fœtumque mortuum excludunt: cujusmodi sunt trochisci de myrrha, hermodactyli, & similia, fotis semper ante locis rebus relaxantibus & remollientibus. His remedijs, quemadmodum & phlebotomia, dięta tenui, & balneis, tum, & tam diu utendum est, cum, & quamdiu Medico adstanti videbitur. At si ab utero divelli & velut eradicari molam contigerit, neque hanc divulsam natura expellere possit, mulierē eo situ locabit chirurgus, quo collocandum esse diximus in infantis ab utero extractione. Tum diductis mulieris obscœnis partibus, immissoque extractorio organo, cui, à similitudine, pedis griphij nomen impositum est, & cum in uteri capacitatem pervenerit, reserato ac dilatato, molam com-

prehendat. Neque aliter, si præsertim crassior sit, propter rotunditatem comprehendi potest: ansam enim qua prehendatur non habet. Itaque cum sola id tentatur manu, lubricitate sua elabitur, & per uteri capacitatem globi instar diffluit. Facilius vero griphij pedis unguibus comprehendetur, si alvus mulieris hinc inde comprimatur, & tandem in angustũ locum, ubi diffugium non sit, compellatur, sic enim demum comprehensa facile extrahetur. Extracta mola, mulieri eadem, quę & puerperæ, adhibenda est cura. Pareus Operum suorum lib. 25. cap. 35.

DE MOLIS FALSIS.

OBSERVATIO CCXIII.

Mola sanguinea.

VIdimus retentis duntaxat mensibus: ad quintum decimum uterũ gestasse mulierem: quæ medicatis locis concipere speraverat, uno & cõtinuato profluvio exonerata est, unde molam sanguineam vocant. Alexand. Benedictus lib. 25. cap. 34. de Morb. Curand.

Philosophus detentis (inquit) uxoris amici cujusdam mẽsibus, arbitrabar primum ipsam concepisse. Postea aucto amplius tumore, hydropem

dropem ſuſpectum habui, quia totum corpus ac pedes tumeſcere videbam. At ubi tandem id affectionis eſſe deprehendi, quod alij laterem, alij molam vocant, rutam & anethum in vino veteri fulvo odorato coxi, & abjectis herbis, vinum calidum bibendum dedi, & ferme aquæ loco exhibui: ſtatimque mulier, excreta ſanguinis copia, ſalutem adepta eſt. Aëtius Tetrabib. 4. Serm. 4. cap. 80.

OBSERVATIO CCXIV.

Pulmentaria Mola.

VIdi Molã ab humore phlegmatico, groſſo, ad ſimilitudinem pultis factæ per ſuperfluam milij decoctionem in aqua: quæ tamen excrevit, ut poſt mortem patientis facta Anatomia eſſet majoris quantitatis & ponderis, quam reſiduum corporis ipſius. Ioan. Arculanus Com. ad cap. de Mola lib. 9. ad Almás.

OBSERVATIO CCXV.

Empneumatoſis, ſeu Inflatio uteri, quã vulgo flatuoſam vel ventoſam molam vocant.

EGo tempore pueritię meę, dum addiſcerẽ artes liberales Vliſſiponæ, vidi quod quædam Iudæa credidit ſe prægnantem, cui fuerunt præparata omnia, quæ ſunt neceſſaria, &

dum

dum obstetrices matricem tractarent, tanta ventositas sine ullo alio liquore exivit à matrice, quod fuit mirum: & hoc per totam civitatem Vlissiponæ, & per totum studium fuit evulgatum. Valescus de Taranta lib.6.cap.15. Philonij.

Ab hujus generis mola se deceptum fuisse in propria uxore fatetur Ioan. Mattheus de Grado in Com.suis ad caput de mola. Namque dum crederet uxorem in utero habere, post decimum quartum mensem omnia imprægnationis signa & ventris tumor delituere ex usu pil alephanginarum.

Sunt quæ gravidas se existimantes, nono demum aut decimo mense, nihil nisi sonoros flatus excernunt: ex quo,subsidente inde utero, bombum crepitumque peperisse per jocum dicuntur.Pareus operum suorum lib.23. cap.34.

Nobis observatum hujuscemodi inflationem efficaci remedio curatam, prodeuntibus per pudendum muliebre flatibus, veluti per anum excerni solent. Dodonæus cap.49. Observat.Medicinal.

Hoc anno 1575.viderunt multi medici in urbe nostra non sine magna omnium admiratione, Annam de fortis, mulierem hebræam ex castro Briscello,quæ jam transacto 15.mense,in

se,in utero habere videbatur,nam venter maxime intumuerat, ut jam noni mensis imprægnationis tumorem æquaret. dumque venter à nobis comprimeretur, manus retro pellebatur violentia quadam, atque per universum abdomen motus quidam palpitationis conspiciebantur, ac veluti saltus per intervalla involuntarios, satisq; validos: ita ut ab imo ventre usque ad os ventriculi, motus hi excitarentur.quod ipsi à laborioso partu supervenisse ajebant: menses tamen prodibant statis temporibus. Nos,omnibus rite consideratis, in eam venimus sententiam, quod os uteri ex callo,vel carne supercrescente post partus labores penitius cõniviſſet,eo pacto quo caruncula in virgæ meatu post abrasionem excrescere solet: unde multi flatus crassi in utero collecti, exitum minime invenientes, motus illos effecerãt.nec obstabat, quod menses statis tẽporibus fluerent,ex venis enim colli matricis prodire posse,alibi docuimus. Marcell. Donat.Hist.Mirab.Med.lib.4.cap.25.

A sene quodam rustico audivi uxorẽ ipsius, cum toto biennio, vel circiter, uterum tanquam prægnans gestasset: tandem miro quodam sonitu,vel potius tonitru in ventre &pudendis facto,magnam flatuum copiam peperisse. Thaddæus Dunus lib.Miscellaneorũc.8.

Signa

Signa nonnunquam peritiores medicos fallunt, utpote uterus quum intumescit incluso flatu, aut alia excrementorum colluvies (molas dicunt) se colligit ac condit intra matricē, indicia afferre solent, qualia edunt nixurientes, quod Ioanni Matthæo nostræ palestræ (ut sunt nunc sęcula) Antesignano in sua conjuge accidit, & Campanus de Acciella non invenusto carmine lusit.

Venter cum tumuisset Acciellæ
Septem mensibus & novem diebus
Cœpisset q; lien parum dolere;
Acciri jubet illico obstetricem,
Quæri fasciolas, & apparari
Sperato puerum editura partu,
Mox inter medias manus ministræ
Laxo poplite, cruribus levatis
Lucinam geminans, quater pepedit.

Iason libell. de Pariente & partu cap. 2.

OBSERVATIO CCXVI.

Hydrops uteri, qui vulgo Mola Aquea dicitur.

VXor ablutoris pannorum, pro curis filij Seyt, filij Abdalla, habebat signa hydropisis, & impossibile erat scire causas ejus eventus: quia mulier non videbatur, & præcepi quod

quod aliquo tempore uteretur diatrion pipereon, & aliquo diacurcumæ, & quodam die abluebat pannos extra clam cum viro suo, & cum inclinaverunt se, supra vas plenum aqua ad abluendum, defecit pes suus, & cecidit, & emisit per vulvam quantitatem viginti rotularum aquæ croceæ, & alleviata est, & ultimo convaluit, & post longum tempus incœpit inflari, & ego quæsivi de omnibus circumstantijs ejus, & inveni, quod morbus ejus erat in matrice, & ipsa opinabatur quod esset prægnans, & non fuit. Et tu debes ponere intentionem tuam ad sciendum, quod in matrice accidunt morbi similes hydropisi. Rhasis in Continent. 15. cap. 4.

Novi quandam Dominam Generosam, quæ se prægnantem esse credidit. Et ita Medici visitantes eam existimabant & judicabant quod ipsa erat prægnans. Et dum venit pariendi tempus, & jam provisum erat de bona obstetrice, & compatribus, & commatribus, multa aqua prodijt à matrice ipsius, per vulvam defluens, & illico venter penitus detumit. Sic ipsa & medici fuerunt illusi. Iacobus de part. Comm. ad lib. 3. Fen. 21. Tract. 3. cap. 25.

Vulva cũ matrice interdũ taliter disponitur, & sic aperitur, quod ab ea subito ꝓvocatur & exit

exit aqua quamplurima. Vidi quandam quæ aquam tribus annis gesserat in matrice sua, quam subito ejecit, & hinc alleviata, se sanam esse credidit, sed debilis effecta, post tres dies obijt. Idem loco quo supra.

Aquæ in utero collectionem vidimus in vidua quadã, quæ defuncto marito, cum se gravidam relictam existimaret, 9. mensibus adimpletis, supervenientibus partus doloribus, non nisi aquosos humores enixa est, à quibus liberata, lacte ubera repleta haud aliter, quam si fœtum peperisset. Dodonæus lib. Observat. Medicinal. cap. 49.

Vidimus nos uxorem cujusdam sericorum pannorum textoris Felicitam appellatam, quę cum utero se gerere existimaret, intumescente quotidie ventre, prægresso statuto tempore partus, malo corporis habitu, febriculaque lenta correpta extincta est. Cumque ægritudinis tempore dispar sententia inter Medicos prolata esset, quod nullus ipsorũ animadverterat, dissecto ventre uterum aqua plenũ reperere. Marcell. Donat. Hist. Med. Mirab. lib. 4. cap. 25.

Vidi, in Virgine jam adulta, ventris insignẽ tumorem, hydropi Asciti simillimum, in quo aquæ copia auditu & tactu percipiebatur, ut quæ in eam partem, in quam se vertebat, cum

sonitu

sonitu collaberetur. Res deinde ostendit in utero sine noxa hepatis acervatam fuisse. Color, habitus corporis, operationum omnium integritas, venæ laudabili sanguine distentæ, satis probabant, jecur minime affectum esse. Thomas Erastus Part. 4. Disputat. adversus Paracels.

Sæpe accidere, ut signa morborum ita ambigua sint, ut difficile sit finitimos morbos secernere, ex hac historia cernitur. Cum Eichstadiana quædam fœmina, leprosa, tumorem in ventre haberet, qui prægnationem ostendere videretur, ac accederet facies minime decolorata, ac motus interior ventris talis, qualis in vera imprægnatione adesse solet, Embryone in utero sese primo movente, judicatum fuit gravidam esse hanc. Itaque à remedijs abstinuimus. Tandem vero, cum tempus partus præteriret, neque venter detumesceret, adhibita quidem sunt remedia, sed fructu exiguo. Itaque tandem, alijs symtomatibus accedentibus, ea fœmina dié suum obijt. Quam concedente magistratu à Chirurgis secari jussi. Animadverti vero epar & vicina membra integra. Sed uterus aqua plen? vehementer intumuit, quo dissecto, aqua citrina & putrida cipiose effluxit, multorum admiratione, qui de Vteri hydrope nihil se audivis-

se dicerent. D. D. Iacobus Oethæus Lib. Observat. propr.

Signa aquę intercus in uteris ponuntur primo de morb. mulierum: venter sæpius intumescit, & mammæ molles sunt, & lac malum. Et putat se in ventre habere, & os uteri ad tactum gracile & humidum. Et rigor ac febris corripit, & menses pravi, pauci, & ante tempus deficiunt, & in processu temporis dolor augetur ad imum ventrem, lumbos, & ilia. Ita dignovi solus, inter duodecim medicos, uxorem Comitis Annibalis Vicecomitis, laborare uteri hydrope, cum ipsa, tum plerique ex medicis crederent se esse prægnantem. Cardanus, part. 3. numero 113. de caus. sig. ac loc. morb.

OBSERVATIO CCXVII.

Ex hydrope uterino per lunares purgationes magna vis aquæ expurgata subinde.

MVlier quædam hydrope uteri correpta, quoties appetebat menstrua purgatio, omnem aquarum colluviem ex utero per cervicem profundebat pelvesq; sex aut octo implebat aqua citrina ferventissima, dum venter totus subsideret. Mox dein menses insequebantur ex naturæ præscripto. Collecta proxi-

mo

momenſe par colluvies, ſtato dein tempore proſluebat. Hæc tandem perſanata uterum geſtavit, peperitque bene vitalem fœtum. Fernel. lib. 6. cap. 15. Patholog.

OBSERVATIO CXIIX.

Diſſecto mulieris cujuſdã utero, aquæ menſuræ Auguſtanæ ſupra ſexaginta inventæ: & glandulæ dextri teſtis torofæ factæ.

AVguſtę in muliere textrice, in cujus utero ſeroſæ aquæ ſupra ſexaginta Auguſtanas menſuras, quæ ſingulæ tres pendent libras, poſt mortem, una cum multis medicis reperi, nullibi interim circum inteſtina præſente aqua, aut laxo in manibus aut pedibus tumore, aut etiam viſcerum aut alterius cujuſdam organi ſeſe alioquin offerente vitio: præterquã quod magnus ille uterus, cujus fundi os miris modis occalluerat, tota anteriori ſua ſede peritonæo erat connatus, & dextri teſtis glandulæ miris modis nõ ſecus excreverãt, quam ſi novem decemve anſerum, aut ſtruthiocamelorum potius ova uni ineſſent membranæ, ſingula humore ovorum albo non abſimili, aut paulo craſſiore oppleta. Veſalius lib. 5. cap. 9. De corp. hum. fabr.

OBSERVATIO CXIX.

Hiſtoria diſſectionis, ejuſdem mulieris, ex uteri hydrope mortuæ, integra & abſoluta.

HElena Lobin, mulier annorum quinquaginta, Anno M. D. L. temperamento, quantum nobis ex certis ſignis & indicijs judicare licuit, calido & ſicco mediocriter, ſanitatis tempore nec concepit unquam, nec utero geſtavit. Fluxu tamen menſium conſuetis ſuis temporibus non deſtituebatur, ſingulis etenim menſibus profluebant uſq; ad annum ætatis quadrageſimum nonum, nec niſi uno anno, priuſquam moreretur, huic deficiebát. Incurrit primum tumorem ventris hydropi & Aſciti, vel Tympaniti, vel ex utrisque compoſito ſimilem, ex quo per medicamenta diuretica & alia remedia, inter initia ſublevata erat, ut prorſus ſubſideret tumor. Deinde rurſus hydropem uteri incidit, quemadmodum id ex ſectione liquido apparuit. Cum etenim incideretur, reliqua membra intra peritonæũ contenta erant illæſa, uterus ſolus in tantam molem excreviſſe, & dilatatus eſſe videbatur, ut omnem illam aquam, quæ in alijs hydericis inter inteſtina & peritonæum continetur, cavitate ſua includeret, & quod magis erat admiran-

mirandum, uterus, qui alias liber esse solet circa fundum, ut tempore conceptionis extendi & in omnes dimensiones ampliari posset, ita peritonæo coaluit, ut divelli non posset, nisi magna difficultate, segregatæ tamẽ sunt invicem, & tota illa moles seu capacitas uteri, à reliquis mẽbranis & peritonæo separata, è corpore hoc exemta est. Cujus toto ambitu & membrana exterior, magis tamen in siniſtra parte vesiculæ erãt majores quædam, aliæ minores, humore viscido pituitoso & albicante plenæ, qui vitrum liquefactum præseferebat. In membrana utero deserviente nõ procul ab uteri collo erat glandosa quædam substantia insignis duritiei, velut lapis, & magnitudinis ovi anserini, hanc primo intuitu uterum arbitrabamur. Postea singulis diligentius contemplantibus, adnatum aliquid nobis videbatur. Reliqua membra interna satis bene se habebant, nullum intestinum erat lęsum, ventriculus bonus, epar parũ vitiatum erat, splen durus, & quasi arenulis refertus, subniger. Testis siniſter extenuatus erat supra modum, & quasi marasmo consumtus, dexter solito major. Vesica erat amplitudinis qualis in cæteris corporibus esse solet, uterus tamen adeo in immensum excreverat, ut totum abdomen æquaret, & universo peritonæo substratus esse

videretur. Pulmones erant integri, in dextra parte aliquantulum vitiati, in eadem thoracis cavite aqua erat copiosa, quæ potuit causa esse suffocationis, nã licet quatuor annis integris hanc corporis molẽ sustineret, & interea corporis functiones mediocriter obiret, brevi tamẽ spatio temporis excessit è vivis, & per suffocationem aquosæ materiæ nõ paulatinam, resolutionem virium, mortuã puto. Hæc postquam incideretur, effluxerunt aquæ circiter librę septuaginta aut plures, aqua primo effluens pallida erat seu citrina, tenuis, postea sensim crassescere cœpit, ad extremũ veluti amurca profluxit materia crassa, terrestris, subnigra, fœtida. Ista aqua omnis in uteri cavitate continebatur, nõ in alijs membris, sed in sinu ipsius tantum, neq; etiam reliquorum membrorum vitio ortum putamus hunc affectum, veluti ratione jecoris aut lienis male affecti, sed in ipso utero originem traxisse arbitrabamur. Vnde hydrops uteri dicitur, qui omnibus medicis Classicis notus quoq; fuit, ut Hip. Galen. & recentioribus quoque, veluti Aetio, cujus indicia & curationem enumerat lib. 16. cap. 81. Sed quanam potissimum de causa tanta moles aquæ in utero fuerit collecta, judicatu difficile est valde. An quia intemperie quadam uterus laboraverit: an frigida nimium, ut

um, ut alimentum sibi delegatum non conficeret, sed illud crudum & aquosum relinqueret: vel supra modum humida, ratione cujus tanta humiditas colligi potuerit, & indies magis ac magis augeri. Intemperiem uteri vel frigidam, vel humidam supra modum fuisse, id vel in primis arguit, quod neque concepit unquam, nec peperit. Nam, si Hippoc. credimus, mulieres quæ frigidos & densos habent uteros, non concipiunt: quæ etiam præhumidos habent, haud concipiunt: extinguitur enim in ijs genitura. Nec non quæ siccos admodum, & immodice calidos habent, inopia enim alimenti genitale semen corrumpitur: quæ vero in utrisq; oppositionib. mediocriter temperatum habēt uterum, hæ fœcundæ sunt. Frigidam in hac fœmina intemperié non tam putaverim, quā humidam fuisse; neque enim mēstruæ purgationes profluxissent, vel non copiosè, vel enim nullo modo, vel omnino paucæ fiunt hisce mulieribus purgationes. Calidam vero & siccam uteri intemperiem in causa hujus morbi non fuisse, arguit tantæ materiæ humidæ collectio, & totius corporis temperies, ad siccum magis vergens. Reliquum igitur est, uteri intemperiem humidā solā in causa hujus morbi esse potuisse, vel à primordio nativitatis cōgenitā, vel ali-

unde acquisitū. Nisi forte per vasa ad uterum derivata, venas nimirum & arterias, humor ille serosus fuerit in uteri cavitatem transmissus, atq; indies magis exauctus, donec ad tantam pervenerit molem. Prior tamē ratio probabilior videtur, quæ ad uteri humiditatē, vel connatam, vel supervenientem spectare videtur. Sed qualiscunq; tandem causa fuerit; quod ad curationem ipsam attinet, non videretur mihi magis conveniens in hoc affectu remedium, quā punctiones καὶ παρακεντήσεις ὀνομάζομαι, μᾶλλον καὶ τομῶν, ἐν ἔθει τοῖς ἰατροῖς ὄσιν per quas sectiones vel puncturas aqua tuto emittatur; cavendo tamen, ne aqua omnis in universum effluat. Quicunq; enim, Hippocratis testimonio, Empyci, suppurative, aut hydropici, uruntur vel secantur, si pus vel aqua cōfertim effluxerit, omnino moriuntur. Hæc ego Adolph. Occo. R. P. Augustanæ Medicus observavi, cui etiam dissectioni interfui, à Vesalio Med. Imp. Caroli V. administratæ.

OBSERVATIO CCXX.

Historia hydropis uterini cum Mola vera.

FOemina quædā ante quatuor annos à partu fœtus vivi retinuit vētris tumorē ita magnum,

tum,ut putaretur alium adhuc fœtum utero cõtinere,qui tumor,cum&Lochia male prodiret,quotidie ita increvit,ut vẽter in magn distenderetur molem. Ipsa nihilominus vixit sine magnis querelis,& exacto uno vel altero anno,rursus concepit ac peperit. Ab ultimo partu,biennio ante mortem,venter paulatim in tantam amplitudinem excrevit, ut tres ulnas Bavaricas in ambitu excederet. Variæ de morbo hoc Medicorum fuerunt opiniones. Mortua tandem hac misella,quo constaret de affectu certius, præsentibus Clarissimis viris D.D.Ioh.Heinrico Muntzingero, Hieronymo Fabro,& Adamo Fabro, sectio ventris à Chirurgo instituta,fuit explorata, ubi statim sub musculis abdominis occurrit uterus, in tantam molem extensus, ut totum inferiorẽ ventrem solus occuparet, & omnia expleret abdominis spatia, intestinis ad musculos abdominis,versus sinistram corporis regionem protrusis,ibique adnatis vel agglutinatis, omentum n.ut reliquę peritonæi membranæ computruerunt,& reliqua omnia viscera,renes,hepar, splen, ventriculus,ut & intestina ipsa plane demacrata,gracilia,& in angustum redacta locum apparuerunt.

Dissecto utero deinceps integro secundũ suam substantiam, neque ulla affecto putre-

dine, satisque crasso protanta distentione, incredibilis aquæ copia effluxit purpureæ, & quasi cruentatæ, ultra cadum seu urnam Monacensem æstimatæ. Cavitas n. uteri tantæ capacitatis fuit judicata, ut puer 10. annorum facile in ea potuerit delitescere. Quo minus vero ab utero exitum habere talis aqua potuerit, arcte ibi concluſa, in causa fuit mirabilis quidam tumor in interna parte orificij uteri, qua se in cervicem recludit, in orbé adnatus, glandulosus, & rotundus; sed per zonas distinctus, similis plane fructui qui malũ aureum seu Tumathæ Indorum appellatur, qui occlusit ita arcte os uteri, ne qua pateret aquæ effluxus. Apertus novacula ille tumor, evomuit materiam albam, tenacem, & glutinis instar concretam, ex spermate forte eo loci attracto, coagulatoque genitus.

Hydrops igitur hic fuit uterinus, à mola aquosa uteri paulatim factus: arbitror enim à principio, cũ à partu distento esset utero, molam fuisse inibi aquosam propria membrana concluſam, quæ causa fuit, cur rursus concipere & uterum gestare potuerit, reliqua uteri substantia illæsa & ab aquæ consortio immuni existente; progressu vero temporis erosa & putrefacta videtur, rupta propria molæ membrana, ac nimis refrigerata reliqua uteri sub-

substantia, degeneravit affectus in verũ uteri hydropẽ. Ex quo etiã tam diu, & fere citra insigné viriũ jacturã aut querelas vivere potuit, quod putrida hæc aquæ colluvies loco dẽso, qualis est uterus, & mẽbro conservationi individui non ita necessario, coërcita fuerit, unde pauca evaporatio cordi & reliquis visceribus molesta potuit esse. Historiam hanc hydropis uterini fœminæ mortuæ 10. Febr. Anno 86. communicavit nobis Hieron. Faber Sereniss. Bavariæ Ducis Med. Clariss.

OBSERVATIO CCXXI.

Molæ flatuosæ & aqueæ complicatæ animadversæ.

VIdimus mulierem Molam gestare vẽtosam ac aquosam ad quintum decimum mensem, cum omnia ex ratione cõceptus veri veniissent, præter quod in ventre punctiones crebras submordentes patiebatur. Nobilis Matrona Franciscа Calva soluto demum exiguo aquæ, cætera per se subsidere. Alexand. Benedictus, lib. 25. cap. 32. de Curand. Morb.

Flatum plurimum ab utero excussum vidi, multo humore deinde secuto, in quem usum galbanum liquãtum in oleo laurino, & susino, cum cumini pulvere, aut illi,

illitum aut infusum valuit,& medicamentum dianisum,aut diacuminum, aut pliriſarchoticum cum vino ſumtum. Chriſt. à Vega Art. med.lib.3.ſect.10.cap,12.

Hoc ante duos annos accidit nobili & honeſtiſſimæ mulieri concivi noſtræ,in qua,bene alioqui habente, ſed jam 20.annos ſterili, ejuſmodi collectio ſeri, ventre ſenſim plurimum intumeſcente,totos novem menſes fovit inopinati conceptus falſam opinionem: ob cumulatam (videlicet) in locis muliebribus aquam.Enixa enim tandem eſt nihil,præter ſerum copioſum,cum multo flatu. Ioubertus cap.13.De Vrinis.

Quæ ventoſæ & aquoſæ molæ cognominantur , à Græcis & veteribus medicis pro molis non agnoſcuntur. Flatuum in utero collectionem , ἐμπνευματώσιν τῆς μήτρας, inflationem uteri: & poſteriores ventoſitatē matricis nominant. De aquoſi humoris in utero collectione meminit Hipp.in lib.de natura muliebri:tum & Aetius,qui uteri hydropem appellat. Hippocrates aquæ in uteris collectionem gravidis ſupervenire affirmare videtur;Aetius vero tum humoris copiam in uterum confluere,quando menſes ſuppreſſi, & imprægnatio impedita. Vtrumque nobis obſervare contigit : memini enim nonnullis

una

una cum fœtu copiosum aquosum humorem ex utero processisse, fœtu debili non vitali: Sed vidua altera, quæ existimabat gravidam se relictam, solum aquosum in utero gestavit humorem. Dodonæus in Scholijs ad cap. 49. Observat. suarum medicinalium.

OBSERVATIO CCXXII.

Uteri hydropis species rara, veteribus, excepto Aetio, incognita: qua in utero vesicæ fellis similia corpuscula, aqua referta, comperta sunt.

QVum menses longo tempore fuerint suppressi, & imprægnatio impedita, sæpe humoris copia in uterum confluit, & aliquando corpuscula quædam vesicæ fellis similia in ipso generantur, in quibus humor colligitur. Sequitur affectionem hanc tumor circa imum ventrem amplus, laxus, flatuosus, & murmura velut in intestinis, in ambulando gravitas, & spirandi difficultas, alvi recrementa grāveolentia sunt, & menses ac conceptus impediuntur, & quæ prodeunt nullo ordine servato deferuntur. Vbi vero violenter excernuntur, ruptis aliquando parvis illis corpusculis, quæ vesicis similia diximus, viscosa quædam ac aquosa erumpunt. In quibus itaque

que humorem in utero collectū ex proprijs signis cognoveris, decubitu quieto, mox vomitu ac validis elotionibus utendum est. Proinde corticis radicis tithymali, myrtei sicci drach. ij. per se vel cum radicis panaceæ obolo propinabis. Et in uterū infundes quæ muscosos humores attrahunt, qualia sunt, grani cnidij grana decem, cum oleo irino & modico melle. Aut veratri nigri drach. duas cum irino, aut cyprino, aut narcissino oleo, cum modico melle per uteri fusorium clysterem infundito. Verum ante has elotiones, cardamomum cum sale, aceto mulso, thymo, pulegio, calamintha, aut simili quopiam bibendū dabimus, deinde humorum copia per alvum excreta prædictæ elotiones fundantur. Aut pessi ejusdem facultatis subdantur. Et postea sinus pudendi aqua marina proluatur, primū sola, deinde addito aceto, & aliquo ex prædictis in ipsa cocto. Elotione peracta, ac locis probe detersis, pudendo ac femoribus oleum cyprinum illinatur. Actius Tetrabib. 4. serm. 4. cap. 79.

Ad aquæ receptacula, eas videlicet vesicas, quæ in utero generantur, fomentis utemur ex aromatis quæ menses eliciunt, & pessis sanguinem trahentibus. Mitissimum vero omnium ad ejusmodi pelliculas, & aqua re-

fer tas

fertas veſiculas, eſt mercurialis maſculæ, imo vero fœminæ, ſi quis ſuſpicioni locus eſt, ſemen cum modica myrrha, ſale ac melle, exceptum lana, & pluribus diebus ſubditum. Cordæus Commentar. 5. lib. 1. Hippocrat. de morb muliebr.

OBSERVATIO CCXXIII.

Eadem uterini hydropis ſpecies à noſtra ætate Medicis exactius obſervata, & accuratius, etſi nonnihil evarians, deſcripta: cum mẽbranaceis globis bullis, veſicis, aqua aut ſanie refertis.

EXhumorum defluxu & ſeminis in uterum delapſu, veſicæ intra uterum generantur, quæ viſcido humore, aut aqua implentur: atque exiſtimant fœminæ eſſe conceptum, nam venter intumeſcit, & menſes retinentur. Accedit dolor murmurium, vigiliæ, & inſomnia terribilia, quandoque etiam febricula, corporis gravitas, & ſpirandi difficultas. Omnia ſane hæc ſymtomata patiebatur Leonora Sanctaren, quam vidiſtis ſex integris mẽſibus laboraſſe: atq; conſtantiſſime cõtendebat ſe in utero geſtare fœtũ vivũ quẽ moveri dice-

dicebat,at vero remedijs adhibitis,ſexto mẽſe excrevit ab utero varia & admiratione digna,quæ in pelvi magna ſuſcepit obſtetrix ſupra ſeptuaginta veſicas membranoſas ac mẽbranis hærentes,aqua pallida plenas , caſtaneæ quantitatis:ſeptem vero fruſta membranis involuta coloris carnis lienis;quorũ quædam medietatem lienis humani æquabant, quædam paulo minora. Aqua vero multa erupit , & tota moles libras Romanas duodecim appendebat. Chriſt.à Vega lib.3.ſect.10. cap.15.art.medend.

Loyſona,Roveroini civis Arelatenſis filia, viro nupta florenti ætate , & optimo corporis habitu prædita , cum uterum geſtare ſe exiſtimaret ſuppreſſis menſibus,nauſea,vomitu,anorexia,& cæteris accidẽtibus, quæ prægnantibus evenire ſolent, affecta,poſt ſex aut octo geſtationis mẽſes magnis obortis doloribus, ingẽtem peperit membranaceum globum,totum aquoſis bullis,inſtar ovorum piſcium refertum.Erant autem bullæ rotundæ, tumidæ,pellucidæ,diluta ſanie plenæ,fœtidę, atque per omnem membranam , qua integebantur,diſſeminatæ,tanta quidem copia atq; numero , ut comprehendi poſſe nullo pacto viderentur.Diſſectis ſtylo bullis,aquoſa& diluta ſanies fœtens emanabat, ad citrinum colorem

lorem inclinans. Membrana quidem tenuis, sed robusta tamen ac firma erat, tota in se cõglobata, & innumeris bullis referta atque protuberans. Mulier vero gravibus cum symtomatis frustum id membranosum ejecit, nẽpe vomitu, nausea, crebris animi defectionibus, febre, delirio, convulsivisque quibusdam motibus, & uteri strangulatu. Tandem vero congruis remedijs adhibitis, plene, Dei beneficio, convaluit.

Idemque rursum à me visum in filia Constantiæ obstetricis, uxore Georgij pannorum tonsoris, quæ & ipsa parem membranam bullis innumeris confertissimam, post sex gestationis menses (& ipsa quoque decepta) ejecit: magnis etiam ac gravibus symtomatis conflictata, sed & eadem quoque à me nutu Dei curata. Vniversa mulierum Arelatensium turba & virorum quoque ad tale spectaculũ visendum catervatim confluebant, ut rem eventu raram & plane admirabilem spectarent. Valleriola lib. 1. Observat. 10.

Compertum est gravidationem degenerasse in membranaceam substantiam, globosamque, totam aquosis bullis, rotundis, tumidis pellucidis, & innumeris plenam, aliquando cum sanie fœtida & dilura: quam sane figuram jam comperimus in uxore bibliopolæ

cujuſdam : & ſe vidiſſe teſtantur ex neotericis plures. Lud Mercatus de mulier. affect. lib. 3. cap. 8.

Vxor barbitonſoris cujuſdam noſtratis ſtatim poſt congreſſum viri, conceperat, ſed tribus aut quatuor poſt menſib. puerperia paſſa eſt. Nam una cum purgationibus, quas copioſas inſtar puerperę habuit, parturijt membranulam interiori tunicæ ventriculi haud abſimilē, humore aqueo refertam: per octiduum poſt partum ſemper decubuit. Ab eo tempore, quo conceperat, menſes illi ſiſtebātur: neque tamen venter accreſcebat : crus dextrū intumeſcebat. Molam eſſe quis dixiſſet. Hoc illi quinquies accidit. Geſneri Obſertio per D.D. Caſparum VVolphium communicata.

Comitis Monfortij uxor, cum multis annis non conciperet, conſilio meo uſa, poſt varia remedia tentata, cum peſſaria ſupponeret, membranoſum corpus craſſum, amplum, fiſtuloſum, multis appendicibus obnatum, per uterum ejecit, ab eoque tempore mox. concepit, peperitque. D.D. Felix Platerus de Obſervat. proprijs.

Scultheti Badenſis conjunx, ſterilis mulier, peſſarijs quoque, me jubente, immiſſis, ſimile corpus membraneū, ſed in medio orbicu-

biculare & in ambitu in radios crassiores aliquot, stellæ alicujus instar, divisum, quorum singuli in multos ramos disseminabātur. Stellam arborescentem maritimam, qualem Rondeletius depingit, egoque sæpe Monspessuli vidi, ad amussim referens, ex utero sine omni dolore uno impetu dejecit. Idem D. Platerus.

OBSERVATIO CCXXIV.

In substantia uteri mulieris cujusdam per sectionem deprehensa monstrosa plurima, velut humorum colluvies, carnosæ excrescentiæ, membranarum, tendinum, ossiculorum, gummatum, lupiarumque concretiones, quorum pondus librarum quadraginta.

MVlierem ante aliquot annos, una cum alijs medicis & vidi & ægrotam tractavi, quæ post mortem in præsentia testium fide dignorum aperta fuit: in cujus uteri carnosa substantia (non in cavitate, neque superficie gibbositateve externa) collectionem adeo admirabilem, tam humorū, quā carnosarum excrescētiarū, membranarū, tendonum, ossiculorū, itē instar gummatū, lupias, aliaq; corpora diversæ substantiæ, coloris, odoris, alia-

rumque qualitatum habebat, ut pondus omnium esset librarum mercatoriarum quadraginta. Et tamen ab annis tribus, & longiore etiam, tempore quo temporis spatio materia eo loci erat contenta, nullum dolorem, qui alicujus esset momenti, persenserat, licet tandæ sordes tantaque moles in utero continerentur, tamen toto illo tempore, tam naturales & vitales, quam animales functiones perfectas & integras habuit. Francisc. Rousset. de Part. Cæs. sect 5. cap. 4.

OBSERVATIO CCXXV.

Mulier post abortum, & legitimum fœtum per intervalla editos, tertio aliquid rostro & cristæ galli simile enixa est.

SVperioribus diebus mulier ad scalas S. Cyriaci habitans uterum ferebat, & quinto mense puellam abortivit, post secundas non dejecit, non dolebat, non febricitabat, nec anxia erat, sed venter ut primo tumebat, unde alterum fœtum intus latitare dixi, utcunque tamen assistentes mulieres de evocandis secundis maxime sollicitabantur: ei trochiscos ex myrrha cum croco in vino propinando, ac nonnulla ex sabina, rubea tinctorum, pulegio,

pulegio, origano, calamentho, & similibus confecta medicamenta: sequenti tamen nocte alteram peperit puellam: postquam & secundę prodiere, sed tunc ægrius tulit. tandem sequenti die frustum quoddam carnis galli cristæ cum rostro gallinaceo similitudinem habens, ejecit, & immunis evasit. Lusitanus curat. 27. cent. 1.

OBSERVATIO CCXXVI.

Post fœlicem fœtus partum, quædam una cum secundina os quadratum excluſit.

SVperioribus annis, in ditione Fürstenbergensi, mulier quædam vitalem absolutumque fœtũ masculum enixa est. Et una in secũdina os quadratum utrinque eminens & tuberosum, palmaris longitudinis & latitudinis, unciali fere crassitie, exclusum fuit, quod cum ossibus sceleti nullis comparari potuit: alijs magica arte forte id accidisse credentibus. Nihil tamen damni vel vitij ea res vel matri vel proli attulit. Ex Comitissa de Solms.

DE MOLIS EXTRA MATRICEM.

OBSERVATIO CCXXVII.

Molæ extra matricem genitæ: quarum una instar frusti carnis utero adnata: altera humani capitis magnitudine ad vasa seminaria sinistri lateris deprehensa.

D. D. Marquardus recitabat casum de quodam cive Viénensi uxore N.N. quæ habuit molam extra matricem: erat illa albissima & mundissima circa vasa seminaria, vivebatque cum viro annos XVI. quam Medicus, (ut mulier petebat) ante mortem dissecuit, quo alijs mulieribus simili morbo laborantibus rectius consuleretur. Invenit autem duas molas extra matricem: unam in quantitate frusti carnis supra matricem, & ipsi fortissime adhærentem: alteram in latere sinistro, circa vasa seminaria, in quantitate capitis. Nupsit bona puella seni, & quum venerea esset, caste & honeste vixit, quum inte-

interim vir senex debitum præstare non posset. Caveant igitur puellæ venereæ à senibus, & nubant similibus. Ioannes Marquardus Practicæ Theoricæ & Empiricæ capite 5. demola.

OBSERVATIO CCXXIIX.

Vtriculus substantia sebacea, crassitie cultri, aquam colore & consistentia lixivio persimilem continens, inter colon, ex uteri fundo externo mulieri cuidã pronatus, eidem per sexennium ventris tumorem gravidæ instar excitavit, à quo tandẽ suffocata periit.

FOemina Pragæ erat, Anno 1581. nupta virgo ante sexennium ministro aulico, bene æstimato, quæ integrum sexennium ventrem tumidum gessit instar prægnantis, absque alia molestia & impedimento in suis functionibus animalibus & naturalibus, eundo, & laborando, dormiendo, & edendo: non menstruabat unquam, licet commode marito convixerit. Corpore bene habituata & musculosa, sanguinea, facie rubicunda, hilari plerunque animo, statura humiliori, ætate minor XXX. annorum. Ventris

tris moles alias non premebat nisi scalas vel colles altiores conscendendo. Perinde illi erat cerevisiam seu vinum bibere, à neutro magis offendebatur. Consuluerat sæpe medicos præclaros, quosq; sumtis medicinis ipsorum suasu, quæ etiam eduxerunt, cum modo ventre nihilominus, imo magis etiam intumescente. Sic æstatem illam Pragę peregit. Autumno Viennam redijt cum marito, ubi paucis saltem hebdomadibus supervixit, atque obijt prefocata brevi temporis spatio, inde inclusa itineris cōcussione distenta, plus satis, & premente diaphragmate, uti reor. Postero die secta fuit, marito ex viventis desiderio jubente, adsistentibus cognatis & cohabitantibus. Aperto ventre à summo ad imum usque, aqua nulla profluxit, nec flatus animadversus: sed intestina à colo infra tecta & pressa erant, utriculo quodam præternaturali ventris capacitatem explente. Is exortum ab uteri fundo extimo sumserat, peritonęo firmiter adhęrens, ut digitis avellendus fuerit: constabat tunica veluti lardea, aut sebacea, cultri crassitie: apertus effudit aquam lixivij colore & consistentia copiosam, nec quicquam aliud. Principium duxit à basi uteri, ac sursum detendit, peritonęo contiguus & adnatus superficie exteriore, interiore intestinis in-

nis incubuit, nulli cohærens. Vterus ipse exiguus erat & arctus quasi puellæ 10, aut 12, annorum, quo nec sperma nec menstruum unquam conceptum fuerit. Orificium proprium arctissimum & durum. Cervix recte habuit. Hepar cum reliquis visceribus & intestinis optime conformata erant, forma & colore debito. Sic & reliqua externa membra decenter constructa fuerunt, absque ulla labe. Hic hydrops Ascites quidem est, sed utero potius quam ventri attribuendus, eo quod utriculus, seu saccus ille aquam continēs, ab utero pronatus erat: diversus ab illo, quo aquam in ipso utero collectam scribit Augustanus ille. D.D. Ioan. Aicholtzius de observat. propr.

OBSERVATIO CCXXIX.

Muliercula multis annis turgido ventre, cum tabe absumta, & incisa; inventa in abdomine aquæ amphora, cum tumore insigni propria tunica concluso, & varijs appendicibus, partim pinguedine, partim glutino albo, & materia cruenta, fœtida, refertis.

COnjunx Pellionis, per multos annos, extreme turgidum gestans ventrem, cum consumtione totius corporis, fato cedens,

fuit secta: In abdomine ultra amphoram mensuræ nostratis aquam continens: qua exemta, inventus est tumor insignis & latus, cute valida circundatus, & eminentijs plurimis præditus. Hæ sectæ & apertæ, pinguedinis substantiam ementiebantur: dextra pars referta erat humore instar glutinis albi; sinistra vero cruore lento, subnigro, fœtido. Hepar visum exiguum, bene, quo ad colorem, dispositum, alioqui, sicuti & Pulmones, Cor, & Lien. Verum sanguinis laudabilis ne gutta quidē conspecta. De D. D. Georgij Palmæ Observat. per V. Cl. D. D. Ioachimum Camerarium ad me missis.

DE MOLIS VITALIBVS.

OBSERVATIO CCXXX.

Molæ ut plurimum vitales, quas Cælius Aurelianus & Marcellus, Pecus: Barbari feram Beluam, Aquilam, Accipitrem, Bubonem: Recētiores, Musculos, Talpas, Ranas, bufones, Echinos, lepusculos, feles, astacos, tenchas, polypos, erucas, sanguisugas, lacertas, & serpentes nominarunt: Quas mulieres veleum fœtu,

fœtu, vel ſine fœtu peperere. Harum nonnulla levi ſaltem contractionis & explicationis ſenſu præditæ: aliquæ vero ſerpere, reperere, diſcurrere, & volare quoq; animadverſæ ſunt.

INtelligendum quod vermes, reptilia, arpia, & frater Lumbardorum poſſunt generari in matrice, quia in inteſtinis generantur ex ſuperfluitate multum immunda, rariſſime autem in matrice. Sed aliquod enorme, quod poteſt appellari mola ſeu arpia bene poteſt generari ex ſemine mulieris corrupto, & ex carentia ſpermalis viri, & ex calore innaturali, naturali tamen corpori generato, & frequentius, ut dicitur, generatur in mulieribus Lumbardiæ, aut quia magis laborant, quia magis ſunt ſubjectæ, aut propter corruptionem nutrimenti, ſicut in Apulia, quia dicitur communiter, quod Italicæ peſſime vivunt, ſicut ex fructibus & herbis, ſed bene induunt; &c. Gordonius Partic. 7. cap. 18. Lilij.

Notandum quod ea, quę valent ad menſtrua provocanda, educunt & ſecundinã, & fœtum mortuum, & bufonẽ, fratrem Salernitorum. Notandum eſſet quod mulieres Salernitanæ in prin-

in principio conceptionis, & maxime quando debet fœtus vivificari prædictum animal nituntur occidere, bibentes ſuccũ apij & porrorum. Platearius de Ægritudin. Matricis cap. 1.

Propter virilis ſeminis debilitatẽ aut menſtrui rebellitatem, ſeu utriuſque impotentiã, in humana ſpecie monſtroſa generantur ſæpe. Facit enim natura de poſſibilibus ſemper quod melius eſt, nonne etiam conſtellationis ac diſpoſitionis materiæ cum fœtu ſimul fruſtum carnis ſeu aliud quoddam in Apulia generari ab incolis narratum mihi fuit, ut bufo, vel conſimile aliud. nam tunc virile ſemen in puriorem menſtrui partẽ agens in ea formam humanã inducit, & ſui in ſuperfluum materiæ corruptæ actionẽ continuans perfectiori qua poteſt forma eam informat. Et hoc modo ex materia illa ad recipiendum humanã formam indiſpoſita cum fœtu bufo aut conſimile venenoſum quoddam animal generatur: cujus venenoſitate fœtus ipſe in matrice inficitur ſæpe ac moritur. Frequentius tamen cum fœtu ipſo naſcitur ſimul, in cujus exitu ipſum mordet interdum: ex quo venenoſo morſu infelix fœtus moritur ſtatim. Guainerius, de Ægritud. Matricis cap. 52.

Adverte quoddam verum mulieribus noſtris

stris impossibile apparens: sed certe ita est, & quandoque in nostra evenit civitate, & mater nostra vidit: à qua habui, & fuit domina fide digna mulieribus meridionalibus & australis regionis, & mulieribus multi & pravi sanguinis ex malitia regiminis accidit quandoque, ut ultra conceptum verum pariant quoddam frustum carneum secum portans formam animalis, vivens: quod dominæ feram appellant, & causa hujus non fuit virtus spermatis primi ipsius viri: quia ex eo jam conceptus est fœtus, sed error secundi in secundo coitu emissi, cujus error procedit ab influentia constellationis seu virtutis cœlestis, ut 18. Animal. Aristot. Vnde in quibusdam partibus Apuliæ, ut vidit & pater noster, communiter mulieres sic prægnantes pariunt cum fœtu feram: quia bubonem, accipitrem, aquilam, lacertam, & hujusmodi: & asserunt illæ mulieres, quod quando cum illo fœtu oritur bestia seu fera nobilis, ut accipiter & hujusmodi: quod tunc fœtus ille ex nobili viro conceptus fuit. Quia si fera fuerit rustica, ut bubo, lacerta, & hujuscemodi, ex rustico & vili homine factus est, & hæc fera quandoque fœtum perimit. Et dicitur, quod tanta est proprietas, quod si cadens in terram hora partus, mordeat eum, statim moritur fœtus. Hæc sunt vera, licet non appareant, quoniam

niam talia hæc videre non ſumus conſueti, & ſicut in inteſtinis & alij vermes generantur, ita poſſunt & in matrice animalia generari, maxime exiſtente ibi materia apta. Ioan. Mich. Savonarola Tract. 6. Rubr. 27.

Phyſicorum quidam attrahunt ſermonem, quod in quibuſdam regionibus meridionalibus in quibuſdam mulieribus malo utentibus regimine accidit ſuperimprægnatio mendoſa & monſtroſa, generatur enim in eis animal vivens, quod frequentius eſt, ſecundum formam avis, magis bubonis, vel arpiæ, & procedit vita ejus virtute alicujus cõſtellationis faciẽtis hoc ſimul cum errore virtutis informativæ ſpermatis viri poſt veram imprægnationem in matrice recepti. Et dicunt, quod eſt tantæ malitiæ, quod in matrice aliquando in tantum comprimit embryonẽ, quod eſt cauſa mortis ejus & aborſus: & quandoque in partu exit ſimul cum embryone, & mordet eum, unde moritur, & vocant incolæ regionum illarum hoc feram. Et ego audivi à fide dignis, quod Piſis hoc pluries contigit. Nicolus, Serm. 6. Tract. 3. cap. 20.

Contingit in meridionalibus & auſtralibus regionibus in mulieribus multi & pravi ſanguinis ex malitia nutrimenti ſupra conceptum verum quoddam fruſtum carnis à prædicta

dicta materia generari, portans & habens speciem animalis s. bubonis, vel harpiæ, vivens: quod mulieres feram appellant, quæ quandoque cum eo in partu emittitur, &, ut asserunt, tantæ proprietatis existit, & malitiæ, qui si cadens in terram hora partus, mordeat embryonem, statim moritur fœtus. Cujus animalis forma & vita non existit à virtute spermatis viri primi, sed errore ipsius, cum jam animal & hominem informaverit : sed secundi in coitu secundo emissi : cujus error procedit ab influentia constellationis seu virtutis cœlestis : ut Aristot. 18. de animalibus dixit: & quandoque accidit, quod illa caliditas illam materiam non condensat in sanguinem præ multitudine sui, sed illam natura cooperante digerendo dissolvat : convertat in aquositatem vel ventum, quod emissum cum egredietur erit sicut aquositas sanguinis mixta vel ventus ut dixit Averr. Franc Pedemont. summa 4. particul. 4. sect. 1. cap. 15. in Addit. Mesue.

Audivi mirabilia, sed non vidi, de animali generato in matrice cum alis, quod cum exivit matricem, volavit. Matth. de Gradi, Part. 2. cap. 29 ad Almansorem.

Interdum in trumbositate carnosa introducitur forma enormis animalis : quod laici appel-

appellant arpa, quia habet arpas & roſtrum acutum ſicut mus. Et dicitur in Italia frater Lumbardorum: quia in eorum terra multum generantur, cauſa multiplici: quia illæ mulieres abundant in ſpermate proprio, & comedunt fructus & herbas coctas in patella: tales mulieres incurrentes hoc, habent motus inanimatos, doloré ventris propter punctionem illius animalis. Tornamira Comment. ad cap. 89. lib. 9. Almans.

Sicut generatur mola in matrice, ita etiam generantur aliæ res præter naturam. Vt teſtor me vidiſſe in quadam muliere Papienſe, quæ ſe prægnantem eſſe putabat. Poſt 12. menſes emiſit fruſtum unum carnis ſatis magnum, & multa alia parva, & ſimul cum illis peperit animal ad ſimilitudinem tenconis (tincæ) piſcis, & erat coloris viridis obſcuri ſupra tergũ, infra erat rubei coloris, & habebat corium ita durum, quod vix cum gladio ſcindi poterat, habebat enim morum, & plicabat ſe ſicut ericius, (erinaceus). Marcus Gattinaria Comment. ad caput de Mola matricis Almanſoris.

Vitium Apuliam infeſtat ac ora maritima Italiæ circa Piſanum agrum: plures enim molas ſimul parere viſuntur. Nam quibuſdam in locis ſuperfœtat bubonis ſimilitudinẽ & animal

mal dirum pariter cum partu humano edunt: interdum harpiæ forma. Vivere ſubinde eas dicunt, aç per cubiculum volitare: quæ ſæpe in utero partum necavere, aut roſtro infeſto, aut compreſſu. Eam vim aſtro attribuunt incolę philoſophantes: propterea fera illa belua vocitatur. Alexand. Benedict. lib. 25. cap. 36. de Curand. Morb.

Quaſdam, regionibus nonnullis Meridionalibus, animal vivens (quod feram cognominant, frequentiſſimum in Hiſpania vitium) genuiſſe mulieres, compertum habetur. Quod ſi, dum editur, terram parieteſve caſu aliquo inauſpicatum animal id tetigerit, puerperæ mortem, veridico auſpicio, auſpicari, extra omnem fortunæ aleam autumant. Quocirca priuſquã enitatur, loci illius, in quo prægnans parturire debet, parietes ornamentis protegunt, tapeta & id genus reliqua pedibus ſubſternunt. Ludovic. Bonaciolus, cap. 6. lib. 1. Muliebrium.

Mulieres pro pueris edunt beluam non unius formæ. quod frequens eſt Neapoli Italiæ, & in Flandria Belgica: in quarum mulierum locis gignuntur beluæ multiformes, ſæpe ſolæ, alias cum infante, interdum puero à belua vel ſemeſo vel exſucto. Craſſiſſimo videlicet, maximeque putri humore, ejuſmodi

mulieres abundant ex alimentis brassicarum, & cervisiarum potu. nec secus ejusmodi procreantur in illis beluæ, quam lubrici in utero pueri ex crudis fructibus: pravitas enim receptaculi adfert vim facultati specificæ seminis, & cogit vel nõ producere rem suæ speciei, vel aliquid aliud cum ea. Ludovic. Vives lib. 1. de Anima.

Scribunt nonnulli, Mulieres in Regionibus meridionalibus interdũ animalia super concipere mõstrosa, bubonis, vel harpiæ formam imitantia, tantæ pravitatis, ut in utero verum embryonem interimant, quę postea in abortu cum embryone mortuo emittuntur. Dominicus Leo, Art. Med. lib. 6. cap. 12.

Mulieres aliquando una cum fœtu humano pecus etiam concipiunt: sic enim Cœlius Aurelianus & Platearius nominant, & interdum ranas, seu bufones, & lacertos, aut similia eis animalia, cujus quidem monstrosę conceptionis causam alijs inquirendam relinquo. Idem in Helvetia evenisse mulieribus quibusdam audio, sed rarius. Gesnerus Hist. Animal. lib. 2. de rains.

Inter viva animalia è corpore rejecta molam referũt, at falso, informis massa sanguinis veluti adnatum, & falsum quod dicunt, ambulare & volare. Quod si vivum aliquod reijciatur,

tur, ut aliquibus in locis solent facere mulieres, quæ cum bibissent aquam, in qua erat semen Echini, Echinos pepererunt. Quare rogare oportet, quam figuram referant illa animalia. Audivi mulierem aliquid lepori simile reddidisse, sed raro ea accidunt: ob id nō possumus judicare de illis nisi aspectu. Rondeletius de dignosc. morb. lib. cap. 17.

In Villa quadam Thyringiaca ad Vnstrum à muliere bufo natus est caudatus. Lycosthenes lib. Prodigiorum anno 1553.

Dum hanc historiam scriberem, mulier bufonem ad Laodunum dicebatur peperisse: quod mirata obstetrix, & quæ ipsi aderant, rem pro testimonio dixerunt, fuitque bufo aliis dissimilis, quem viderunt multi, delatus in præfecti ædes. Bodinus lib. 2. cap. 8. De Dæmonomania.

Filia Ioannis Gualterutij, recens nupta, cum omnium opinione prægnans diceretur, loco fœtus quatuor animalia ranis simillima peperit, & optime valuit: sed postea circa pectinem dolorem sentiebat, quem paucis adhibitis remedijs curavimus, & pulcherrime vivit.

Similiter mulier Dionysij Pinti, cum puerum optime peperit, inter secūdas animal ranæ simillimū ejecit, & puer paneratice habet.

Mercatoris quoque qui ex Anglia venit uxor abortivit,& ſecundo die poſt abortum ſimile quoque animal peperit,ut multis alijs eveniſſe vidimus,præcipue Anconitanis:debet vero animal hoc inter molæ genera adnumerari: de cujus conceptus cauſa Hippocratē legito lib.1.de Morb.Muliebr. Amat.Luſit.Curat.27.Cent.1.

Vidimus mulierem,quæ,cum novem menſium ſpatio uterum geſtaſſet, omnibus,quę in legitimo partu evenire ſolent, mirifice reſpōdentibus,tandem nihil aliud,pręter animalia, cum multis purgationibus cruentis & corruptis,ranis haud abſimilia,in lucē edidit. Scholiograph.ad cap.61.lib.1.Holl.de Morb.inter.

Coloniæ contigit,ſartoris veſtium uxorem, magnam aſtacorum copiam enixam fuiſſe,loco fœtus humani, quum interea illa omnino ea ſpe duceretur,ſe aliud nihil paritura, quam hominis ſpeciem. Eamque in rem,ejus maritus, cum partitudinis tempus inſtaret, mulieribus & obſtetricantibus præſcripſit, ut Comitem à Solms, Canonicum Cathedralis Eccleſiæ Colonienſis, (quod Comes illo familiariter uteretur) adirent rogarentque, ut ex ſacro fonte levare dignaretur, prolem jamjam edendam in lucem. Ex Comitiſſa à Solms.

Narrat

Narrat Ioubertus lib. errorum popularium duas mulieres Italas, singulas monstrosum partum exclusisse: Quæ vestium interpolatori nupserat, adeo exiguum edidit, ut murem crassiorem, cauda carentem, referret. At quæ Nobilis erat, majorem, felis crassitie: ambo insuper colore atros: ut primum utero prodierunt, in altũ secundum parietem, unguium velut nixu erupisse, & tenacius adhæsisse. Pareus lib. 19. cap. 3.

Iam Majo anni 1562. mulier juvenis N. Coloniæ prope ædem D. Antonio sacram, puellum ad sextum mensem lactans, enixa est animal fibrosum ad erucæ magnę longitudinem, dum reptando sese extenderet ductaretque, unguiculisque prominentibus, dorso glabro, ventre albicante, capite corneo nigroque, oculis gagatæ lapidi similibus, ore hiulco lampetræ modo aërem inspirante. Sub initiũ cervicis tres visebantur aculei, aut verius unci utrinque asperi, quibus, quęcunque vellet, amplectebatur, seseque attollebat. Prodijt vero absque humore, aut humidi alicujus mictura ex locis muliebribus ante septimam matutinam, dum forte calceum prona indueret. Vixit autem hoc animal in tertium diem, lacte nutritum. Mortuum à Chirurgo inciditur, præsente D. Bernardo Cronenburgio Medico

excellentissimo, qui ad hujus miraculi inspectionem vocarat D.Ioannem Echtium & Hubertum Fabrum medicos, mihique postea ob casus raritatē communicavit. VVierus lib.4. cap.16 De Præstig.dæmon.

Nonnullas serpentes, talpas, aves, mures enixas fuisse inter historias relatum, & à complurib⁹ visum habetur, quas haud quaquam tempore fœtui humano constituto, hujusmodi monstra utero gestasse est necesse. Mercurialis Consil.85.edit.Basil.

Gignuntur sæpe in muliebri utero monstra & animalia, serpentes quippe, aut talpæ, quę quia exanguia sunt, parumque habent caloris, sola transpiratione contenta in uteri latebris per multos annos delitescūt, nec sponte unquam foras prodirēt, nisi aut uteri vi aut arte Medica pellerentur. Andreas Laurent. lib.2.quæst.38.

Intestinorum lumbricos, & omnis generis vermes Aqua Spadana necat & expellit, neq; tantum intestinorum vermes deturbat, sed & alia quavis corporis parte delitescentes, uti paucis ab hinc annis in honestissima quadam Matrona observavi. Res dictu mira, Mulier erat annorum, quantum conijcere potui, plus minus quadraginta sex, inciderat ea, ob diuturnam mensium suppressionē, in hydropem ascitem,

aëytem, à quo ut liberaretur, octo jam annis, peritiſſ. Medicorum diligenti cura uſa fuerat, ſed cum optimis quibuſq; remedijs nihil proficeretur, me ſuaſore Aquas inviſit Spadanas, quarum potu per aliquot ſeptimanas continuato, cœperunt fluere menſes; & tandem aqua ſatis copioſe, ac tertio Vermis quidam, ſemicubiti longitudine, quadrupes, cauda oblõga, figura fere lacertę, cineritij coloris extra aquã, in aqua vero ſubrubeus; Poſtremo octo aut novem ſimilis figuræ & coloris vermiculi, ſed exigui prodierunt. In ſumma tantam illa ſaburram ſeroſorum excrementorũ ex diuturna illa menſium ſuppreſſione patorum copiam excrevit, ut ilico vẽter, qui antea in maximam molem ſublatus fuerat, detumeſceret: ægraq; ſtatim melius habere cœpit, & in præſentia ſatis commode habet. Philippus Gętingus Libello de Fontibus acidis cap. 7.

Provocat illa igitur muliebria menſtrua pri-
Suppreſſa, & nimiũ ſiſtit ubi illa fluunt. (dẽ
Ventricolaſq; necat vermes, pellitq; per alvi
Lubrica, dejectis qua via nota cibis.
Quin & paulatim putridis de menſibus ortas
Serpentes uteris proijcit illa ſinu. (mam,
Monſtra lacertarum fœdam referentia for-
Longa (n efas) unum, nõ minus atra pedem.

Dominicus Lampsonius in Carmine ad fontes Spadanos conscripto.

Mulierem serpentem enixam Romæ testis est Appianus. Alexandrinus de bellis civilibus lib.1.

Inter initia Marsici belli, Ancilla serpentem peperit. Plin. lib. 7. cap. 3.

L. Scipione C. Norbano Coss. In Hetruria Clusij, materfamiliæ, vivum serpentem peperit: qui jussu aruspicum in profluentem dejectus: aversa aqua natavit. Iul. Obsequens.

Anno mundi 209. Mulier Viperam pro infante enixa est. Lycosth. lib. de Prodigijs & Ostentis.

Anno 1491. Ianuæ Margarita Laurentij Valistari uxor, serpentē peperit, alas habentem, loco quo manus esse consueverūt. Aug. Iustiniānus Episcopus li. 5. Annalium Ianuensium.

Cracoviæ, mense Septembri, mulier quædam in platea quæ à S. Spiritu nomen habet, infantem exanimem peperit, cujus dorso serpens vivus inhærebat, arrodens, ac depascens cadaver. Lycosthenes lib. Prodigiorum & Ostentorum Anno Domini 1494. pag. 503.

Factum est singulare experimentum ad eductionem vermis vel serpentis à muliere: nam mulier quędā habens serpentē in matrice: posita

ficta muliere ipsa ad radios solis, cum vase pleno lacte, stante ipsa muliere dilatatis cruribus supra vas, in quo radiabat sol, & exivit serpes. Matth. de Gradi Comment. ad cap. 43. lib. 9. Rhasis ad Almans.

Mulier cujusdam baiuli, dicta Anna Trō-perin, in Xenodochio nostro inter pupillos educata, cum jam annorum esset circiter triginta, enixa est puerulum cum duob. serpentibus, anno 1576. circa festum S. Ioannis. Sed paucis de gestatione fœtus, de partu atque educatione, & etiam de serpentibus una enixis: & prius de serpentibus tanquam primo in corpore natis. Narravit mihi, fide data, se anno 1575. circa festū Ioannis, cū esset messis, & summe caleret, bibisse ex scaturigine fontis in sylvula Bruderholtz dicta, qui locus quarta parte miliaris Basilea distat, ubi suspicatur bibisse se sperma serpentum: parvo enim tempore post potum aquæ cœpit venter augeri: tribus dein mensibus post gravida reddita, una cum fœtu aucti etiam serpentes: tantam vero in molem abdomen excrevit, ut fascia uti cogeretur ad gestationem ventris. Dū jejuna esset, sentiebat morsus & punctiones circa regionem ventriculi: cibo vero sumto melius habebat, munia etiam commode obibat; verum solo lactis desiderio tenebatur, &

etiam

etiam utebatur. Cum vero jam tempus adesset partus, tribus diebus ante partum à cibo plane abhorruit, ita ut nec lac, nec minimum alterius alimenti assumeret. Monuit tum ipsa, ut quamprimum foret fœtus exclusus, supponeretur orca lacte repleta, de serpentibus, vel de vermibus enim apud ipsam esse suspicionem: idque partim propter morsus, partim propter mirabilem motum, quem toto anno persenserat. Quare feliciter puerulum enixa, cum quo copiosissimi ichores, quos aquas vocant, effluxere: dein, cum ad secundinæ exclusionem se præpararet, orca tum cum lacte supposita, prodijt serpens: unde mulieres parturienti astantes, perterritæ, arrepto puero secessere: quare & ipsa puerpera timore perculsa, elevato capite, non solum serpentem vidit, sed & alterum prodeuntem non solum persensit, sed etiam observavit. Puer parvulus erat, ita emaciatus, ut vix ossibus hæreret: vivax tamen: foramen habebat in cervice tantæ magnitudinis, ut facile nux indi potuisset, quod sane factum puto tribus ijs diebus, quibus mater lacte abstinuerat, alias corpore toto absque noxa: hic annum unum & septimanas duodecim supervixit, tandem vero anno 77. cum apud nos pestis sæviret, ea hac correptus obijt. Serpentes vero erant longi-

longitudine ulnæ, qui craſſitie pene infantis brachiũ æquabant, maculis variegati: qui ita vivi ab obſtetrice fuere in cœmeterio S. Eliſabethę ſepulti. Iam ad matrẽ redeo, illa dimidio anno à partu corpore incurvato inceſſit, ſe enim erigens dolores immenſos & in abdomine & in dorſo perferebat. Poſtmodum tamen vẽtrem ſemper habuit ſatis magnum, ac ſi utero geſtaret: ſed & ab illo tẽpore quatuor habuit liberos. Ventriculo tamen hactenus imbecilli cum dolore uteri. Seſquiannus eſt, ex quo alio ſymtomate fuit correpta: cum enim per ſeptimanas 26. Mẽſtrua eſſent ſuppreſſa, venter indies augeretur, ſe tamen gravidam non eſſe certo ſciret: conſultis duobus, ut ipſamet mihi narravit, gravidam eſſe pronunciarunt: ipſa ergo cum à tanto tempore viro caruiſſet, & hoc à veritate alienum eſſe noſſet: proprium conſilium ſecuta ſtufam ingreſſa eſt, cucurbitulas ſedecim affigi curat & pedib. & feminibus, alijſque partibus corporis: ſequẽti die binas incidi venas, & copioſe detrahi ſanguinẽ curat: tertia poſtmodũ die Mẽſtrua copioſe cœpere fluere, ſiq; vẽtris tumor concidit. Verũ dum hæc narraret, ſatis magnum habebat adhuc vẽtrem, qui aliquãdo augetur, aliquando concidit. Quam hiſtoriam Anno 85. 14. Auſtuſti rurſus mihi in præſen-

præsentia matronæ nobilis à Westhausen recensuit. Sed & testes esse possunt mulieres, quæ parienti adfuere, inprimis vero obstetrix. Casparus Bauhinus in Appēdice ad Part. Cæsareum Roussetι.

OBSERVATIO CCXXXI.

Mulieres quasdam Elephantos, Leones, Canes, Catos, & Porcellos peperisse.

ARgon, alio nomine MELES transtulit Regni sedem Sardis, & partu prodigioso Leonem è pellice suscepit. Quem cum è Telmissensis oraculi responso arci circumtulisset, inexpugnabilem eam usque ad Cyri tempora feciisse creditus est. Reinerus Reineccius tom. 3. Hist. de Lydor. origine & imperio pag. 81.

In Argoia Helvetiæ provincia, nobilis quædam matrona Leonem crudelissimum animal peperit, quod quidem Ioannes Stumpfius in Helvetiorum Chronicis, Anno, qui à nativitate Christi 1278. esse factum scribit, licet alij historici in aliud tempus reijciant. Lycosthenes prodiq; lib. Anno 1278.

In agro Constantiensi, mulier humano capite Leonem peperit Rudolphus Imperator Comes Habspurgensis per suos milites arces

Clanx

Clanx & VVilberg in Abbacella Tubertal, atque castrum Yberg in Turtal, contra abbatem VVilhelmum Sangallensem occupat. Idē in opere eodem Anno Domini 1290.

Alcippe elephantum, quanquam id inter ostenta est, enixa legitur. Plin. Nat. Hist. lib. 7. cap. 3.

Mulier quædam Brixiæ canem, alia Papię catum peperere, & hoc ipso anno & mense in Brixiana civitate 15. Augusti die, hora vigesima secunda, magnus terræ motus in ipsa urbe fuit, & adeo grandis, ut cives ædium & mœniorū ruinam extimuerint. Lycosth. lib. Prodigior. & Ostent. Anno 1471.

Anno Domini 1571. Antuerpiæ uxor cujusdam, qui chalcographo operam locabat, cōmorantis apud Ioannem Mollinum sculptorem ad insigne pedis aurei, vico Cameristrato, die D. Thomæ sacra, hora decimą matutina monstrum peperit canis prorsum effigie, nisi quod cervice esset breviore, capite vero avis, sed implumi. Vitæ exors fuit id monstrū, quod mater ante tempus peperisset. In ipso partus articulo ipsa magnum clamorem dante, ædium caminus procidit, nemine læso, ne quatuor quidem infantulorum ullo, qui ad focum sedebant. Pareus operum suorum lib. 24. cap. 12.

Augu-

Augustæ Vindelicorum, mulier tria monstra peperit, primo caput humanum, membranis involutum; secundo bipedem serpétem, cui Lucij caput, corpus Ranæ & pedes, cauda Lacertæ: tertio porcum, omnibus partibus integrum. Lycosthenes lib. Prodig. Anno Domini 1531.

DE PVERPERIS.

OBSERVATIO CCXXXII.

De morbis acutis puerperarum.

A partu solēt accidere puerperis plura incommoda, eis tantum peculiaria, sicuti secundę retentio, dolores ad imū ventrem, & circa uterū, mensium diminuta, vel suppressa, vel superflua expurgatio, vel eorundē depravatio, ex lactis generatione febres validæ, & quæ hujusce sunt classis. de quibus hic non agam, cum ab omnibus in proprijs eorum capitibus exquisite pertractata sint. His autem aliquando supervenire solent acuti morbi, & apprehenduntur, vel à pleuritide, vel à peripneumonia, vel ab angina, vel à phrenitide, vel à febre ardēti, vel ab aliquo simili, & gravi morbo. quare perscrutandū erit, cū hoc non ita liqueat, quomodo in his, sicuti & in superioribus, medicus gerere se debeat, & quo ad victum,

victum,& quo ad venæ sectionem, & quo ad pharmacũ. Quod ad victus rationem,sciendũ est,communem esse fere omnium mulierum errorem,existimantiũ à partu statim optimis alimentis reficiendas,&nutriendas esse puerperas, unde ad jura caponum, ad eorundem carnes,ad aromata, ad vina vinosa statim deveniendum opinantur;in qua occasione, nisi prudens assistat mulier, vel diligens advocetur Medicus,qui juxta Hipp.& Galeni sentẽtiam lib.2.Reg. acut. 13. assentium ab evacuatione ad pleniorem victum non properandũ esse,hæc errata animadvertant,subsequi consuevere graviſſimi morbi. Caveant igitur puerperæ à tali genere victus,& utantur ferculis tantum in jure primis diebus, abstinentes à carnibus & vino, & aromatibus,& cæteris, quæ febrem vel inducere, vel augere apta sint.ad quæ omnia devenient subsequenti tẽpore pro ratione & virium & status mulieris. Si autẽ hoc tempore contingat puerperã apprehendi acuto morbo, victus tenuis imperetur,& hoc maxime,si hoc primis dieb.evenerit,quo tẽpore facilius,quã in ꝓcessu puerperij solẽt mulieres tenuẽ victũ tolerare; tũc igitur exhibeatur ptisana,quę si optime parata & cocta fuerit,nullos poterit edere flatꝰ,& hæc diluatur jure pulli tenuioris, quod idem

pro po-

pro potu commendo exhibendum esse. vinũ enim omnino excludendũ est, & potus aquæ etiam optime alteratæ in pluribus mulieribus solet ventriculi, vel uteri dolores, ob flatus inde genitos, inducere, consuevitq; puerperis mirum in modum adversari. si tamẽ habeamus patientem boni habitus, robusti vẽtriculi, & quæ uterinis affectibus molestari non consueverit, in hac poterimus aquæ potum cum Cinamomo, vel aliquo semine odorato alteratæ, admittere, ut interdum ego feci, qui puerperas tales cum potu hujusce aquę in acutis passionibus usq; ad septimam & nonam diem sæpe detinui. Lutea ovorum, &cætera, quæ plenioré reddere victum solẽt, nõ admittãtur nisi vires, quæ semper in quocunq; casu manu tenendæ sunt, hoc idẽ judicẽt, àquib semp judicatio cibi reguletur, qui & quo ad qualitatẽ & quo ad quantitatẽ semper sit talis, ut nunquam hinc morbus ingravescat. Quo ad sectionem venæ considerandum est, an morbus acutus, vel in principio puerperij, vel in medio tempore, vel in ultimis diebus partus puerperam apprehenderit; si enim hoc à principio factum sit, licet in morbis acutis, florente ætate, & constantibus viribus, semper sit secanda vena; tamen cum à partu statim, & per primos illos dies copiose natura-

naturaliter expurgentur mulieres nullà alia tentanda sanguinis evacuatio, quam quæ à natura recte & naturaliter operante dirigitur: quæ tamen si supprimatur, vel imminuatur, tum ad tollendum morbum & affectum præter naturam, tum ad provocandam naturalem evacuationem secentur venæ inferiores, & copiose mittatur sanguis; quoniam copiosa etiam esse debet ex præscripto naturæ mensium tunc temporis purgatio. Si medio tempore acutus superveniat morbus, duo consideranda erunt; primum, an morbus pendeat vel à materia in particulari loco conculcata, vel à materia sparsa; secundum, an mulier convenienti expurgatur mensura, vel non. si à sparsa generetur morbus materia, ut fit in febribus, mulierque non perfecte expurgata sit, statim ad sectionem venarum inferiorum descendere debemus; quoniam hinc materiæ minorationem, & naturalis expurgationis provocationem habebimus. Si autem mulier sufficienter expurgetur, morbusque invalescat, nec evacuatio naturalis morbo satisfaciat, venas inferiores secabis, tantumque detrahes, quod ex conjunctis ambobus proficiatur, quod postulat morbus, ut docuit Gal. lib. 9. Meth cap. 5. si tamen admodũ intẽsa, incendiumq; magnũ aderit, id fiat,

quod nunc in morbo à materia in loco particulari conculcata, & putrescente facto agendum esse declaro. Vbi particularis aderit acutus morbus, ut puta pleuritis, vel angina, vel similis alius affectus, si gravis is sit, valdeque instet, & indicet de sectione venæ, sive expurgetur sufficienter, sive non, statim deveniendum est ad sectionem venarum superiorum è directo loci affecti existentium, & ei proximiorum; quoniam ita à loco affecto evacuãtes morbũ facilius tollemus quam si inferiores secemus, quæ nec proximæ sunt loco affecto, nec ab eo evacuari possunt; immo has secãtes virtutẽ ex evacuatione labefactabimus, & materiã in loco peculiari conculcatã nõ minuemus. hoc pateat exẽplo anginæ, qua instãte secanda est statim humeralis vena, ut à loco affecto, educatur, & revellatur materia. si autẽ inferiores secuerit, vel totum fere sanguinẽ educes ad revellendã & evacuandã materiã suffocantem. vel ex ea sectione adeo tarda succedet utilitas, ut prius mulier ex angina ea extincta fuerit, quam persentiat revulsam fuisse materiã à loco affecto. Hoc tamen cum hac conditione exequatur, quod, antequam minister ad secandam accedat venã, fiant frictiones ad coxas, & crura; quibus factis, fiant ligaturæ dolorosæ in medio coxarum, ita quod

quod detineantur quoad vena secta fuerit. à misso sanguine paulo post solvantur, & tunc cucurbitulæ ijsdem ad coxas in parte interiori applicentur, vel saltem frictiones illæ repetantur. hinc habebimus materiei peccantis minorationem, loci affecti alleviationem, & purgationum naturalium conservationem. Hoc idem censeo faciendum esse in febribus ardentibus, & vehementioribus. quoniam licet materia sit sparsa, tamen incendium tantum est circa cor, & viscera, ut ex eorum longinque venæ sectione non ita mitigari & extingui flamma possit, sicuti ex proxima, & majori, qualis est basilica. Quem curandi modum, non solum prædictis rationibus persuasus, servandum esse censeo, sed etiam affirmo me hoc felici experientia confirmasse, quod idem non solum in puerperis, sed etiam in cęteris mulieribus morbo acuto detentis, dum menstrua purgatione naturaliter evacuantur, servavi, hoc unum tantum animadvertens, ut dum in principio copiose purgantur, rem naturæ dimittam: post principium autem statim supradictis conditionibus observatis, ad superiorum venarum sectionem devenio, indeque utilitatem ægrotantium salutari evętu consequor. Si autem in ultimis diebus puerperæ morbo acuto laboraverint,

ijsdem conditionibus habitis & observatis, idem agatur, quod docui agendum esse in medio tempore, hoc animadvertens, quod semper, quo magis distamus à die partus, eo tutius possumus ad venarum superiorum sectionem ascendere:, quo autem magis illi appropinquamus, etiã in medio tempore, hoc idem majori cum præmeditatione agendum erit, nisique instet morbus, urgeatque ejus acuties, sique naturalis expurgatio copiosa fuerit, ab eis abstinere poterimus. si autem nõ copiose expurgentur, venas inferiores ad supplemẽtum debitæ quantitatis secabimus. si tamen oppositum contigerit, servatur id, quod urgente & instante acuto morbo agendum esse declaravi, venæque superiores in talibus casibus, nulla cum hæsitatione tuto & cum ratione secentur.

De pharmaco hæc pauca notanda sunt. Dum expurgabitur mulier, purgationesque naturales fuerint, nullo pacto admittatur pharmacum; per hoc enim materia à proprio divertereturopere. Si tamen purgationes non naturales fuerint, fluxioque albida, vel alterius non naturalis coloris prodierit, cocta existente materia, ultimo puerperij tẽpore, tuto administrari poterit. quod nunquam in primis diebus à partu exhibendum censeo:

censeo: quoniã ex naturæ præscripto moles sanguinea, quæ à conceptu detenta & non purgata fuit, educenda est. quod sola sanguinis evacuatione, non pharmaco, peragendum venit. Vbi autem non expurgetur mulier, remediaque ad hoc opportuna incassum tentata sint, materiaque morbi sit cocta, trãsactis primis diebus à partu, leviori pharmaco educi poterit. vehementiora enim in his casibus vereri oportet, solaque assumenda sunt ea, quæ inter benedicta recensentur. quæ eadem tutius, & absque ullo discrimine in ultimis diebus, cum non expurgabitur mulier, administrari poterunt. hæc de tribus his auxilijs vel in utero gerentibus, vel in puerperio existentibus, dum acuto morbo detinentur, administrandis sufficiant. Petrus Salius de affectib. particularib. cap. 23.

OBSERVATIO CCXXXIII.

Febris lactis puerperarum.

FEbrem lactis mulierculæ vocant eam febrem, quæ utplurimum difficilem partum subsequi solet, & eam humorum agitationem, & commotionem, quæ fieri assolet, cum natura humores aliunde ad ube-

ra transponit, ut ibi genito lacte excluſum infantem nutriat atque ſuſtentet, eamque febrem obſervarunt, ut plurimum, ad nonum diem extendi. Solenander Conſilio 16.

OBSERVATIO CCXXXIV.

Vterum à partu mulieri cuidam, admiſſo per errorem flatu, adeo refrigeratum, ut in magnum tumorem abierit: qui idoneis medicamentis diſparuit.

QVod ſi recens enixę uterus refrigeretur, aut in eum aliquis flatus appellat & intromittatur, hujus vi ſæpenumero diſtēditur etiam tantopere, ut in majorem longe molem ipſe tunc aſſurgat, quam poſtremis etiam graviditatis diebus. Quod conſobrinæ cuidam ante annos viginti vidimus contigiſſe. Quum hæc enim horis tantummodo duabus à partu rixas apud ſe audiret, quas verbo & clamore non poſſet componere, confeſtim ſurrexit è lecto, & aliquantiſper ad cænaculi gradus conſiſtens & clamitans, quiddam frigoris in ſinum pudoris ſubire perſenſit & exhortuit. Hinc uterus quidem cœpit tumere, & ita diſtendi quidem, ut quæque obſtetricum & matronarum affirmarent ventrem ſupe-

superiore multo grandiorem evasisse. Illi medicinam fecerunt Ioannes Gorræus, & Nicolaus Magnus, Viri docti & percelebres, fotu hysterico, & admota pelle recens mactatæ ovis, unaque vino meraciori. Qua in re Hipp. consilium sunt secuti. Cordæus Comment. 3. ad lib. 1. de Mulieb. Hipp.

OBSERVATIO CCXXXV.

Puerpera atque primipara mulier juvencula, ob frigus imprudenter admissum altero à partu die in gravem pleuritidem incidit, ut præ spirandi difficultate præfocari sibi videretur. Misso sanguine contra suorum omnium vota, à nobis tamen Medicis persuasa, aliisque opportunis auxiliis adhibitis, nutu DEI *præpotentis curatur magna omnium admiratione.*

HElena Senequeria, Iacobi Gõdardi Pharmacopœi Arelatẽsis uxor honestissima, ætate florẽs, primipara, dũ post filiæ partũ sibi parum cavet, frigore imprudẽter admisso, altero à partu die pleuritide acutissima corripitur, cũ intensissima febre, tussi valida, & spirãdi difficultate tãta, ut p̃focari sibi videretur. neq; n. nisi summa cũ angustia spiritũ trahere poterat, lateris dolore premente adeo, ut in præfocationis periculum ægram induxerit.

Misso sanguine contra suorum omnium vota (quod enim puerpera esset, & adhuc à partu fatigata, & sat sanguinis per purgationes muliebres exijsset, horrendam ducebant à medicis de mittendo sanguine mentionem fieri) alijsque opportunis auxilijs adhibitis, integre & magna omnium admiratione curatur, quum moritura in horas ob spiritus interclusionem speraretur. Valeriola lib. 5. Observat. 10.

OBSERVATIO CCXXXVI.

Puerpera pleuritica alia liberatur.

ANthonia de hault, uxor lectissima civis prudentis & optimi Nicolai à Marguenat, hora matutina sexta à partu difficili statim pleuritide correpta accersit me, quam ubi deprehendi pleuritide graviter conflictari, etiamsi purgatione convenienti recens puerperis consueta vacuaretur, advocatione facta medicorum consilio sangui detractus est è basilica lateris dolentis, interim ne ista puerperiorum purgatio tarderetur, admotis sacculis muliebribus ex artemisia, nepita, & flore chamæmeli, illam fovimus. hora secunda cibata est, hora quinta cũ pleuritidis symtomata vehementius ingravescerent,

ſcetēt, hora ſexta venæ ſectio repetita eſt: hora octava cibata eſt: ſub decimam noctis recrudeſcunt acrius omnia. accerſitus hora prima, ſanguis rurſus mittitur, ad vaſculum unū tantum, ut prius, hora tertia cibatur, qua quievit, hora ſeptima, Deo duce, ex pleuritide plane convaluit, & eo morbo evaſit. Iacob. Douynetus in Apolog. de Podagra.

OBSERVATIO CCXXXVII.

Mulier gravida poſt partum mortua, utero, hepate, atq; pulmonibus vitiatis à ſectione deprehenſis.

MVlier honeſta, mollis & rara, annorum 30. febre, deſtillatione veteri in pulmones laborabat, fœtum geſtans octimeſtrem. Imperatæ ſunt aliquot purgationes. Phlebotomia iterata. Ratio vitę ex expreſſis carnium ſuccis, jure crur. ariet. colatit. deſtillatis. Contra exulceratum guttur ſic pugnatum eſt. ℞. hord. mund bene medulloſi unc. iij. decoquātur in aquæ libr. 3. colatura traijciatur per manicā Hippocratis, ſacch. candi, vel roſacei quarta parte & modico cinnamomo. Extrahatur ſuccus ex amygdal. dulcib. velut lac, ſine igne, & affuſa aqua illa hordei modica, deinde edulcetur cum ſaccharo cando, roſaceo. Teneat

alternatim ore ſaccharum candum, roſaceum. In difficultate anhelitus cucurbitula alternatim ſcapulæ affixa. In difficultate partus decoctum veteris galli cum modico caſſiæ ligneæ & croci, & tantillo vini odoriferi. Vnctio pubis & ſub umbilico cum ol. lilior. mucag. ſem. alth. ana uncia j. ſemis, medullæ cervi uncia j. Appenſus Iaſpis, Ætites, radix ariſtolochię, cyclam. & ſimilia, coxæ. Vel admota trita radix cyclamini & ſimilium pudendi orificio. ℞. rad. gram. & petroſ. ana unciam ſ., arthemiſ. nepit. ana pug. ſ. feminis aniſ. & fœnicul. ana drach. ſemis, f. decoctio ad unc. iij. Transfundatur colatura per manicã Hipp. cum cinam. elect. ſcrup. uno, caſſ. ligneæ ſcrup. duob. ſacch. unc. una, detur in labore partus. Item ℞. arthemiſ. nepith. ana p. ij. f. decoct. in una aquæ parte & tribus vini pro fotu. Obſtetrix intingat digitos in oleo nardino, vel coſtino, & molliter contingat ſinum pudoris. Si vomitus moveatur, juvetur oxymelite, & alijs præſidijs. Peperit die 7. levata febris, & omnia imperata, quæ inſtaurant: conſumtum è crure verveeino, capo, & thorace vitulino, dum omnia prope ad tres lances conſumta ſint, collatitia, expreſſa, vinum album tenue. Amygdalata ad leniendum, hord. decoctum ut prius, & lac expreſſum ex amygdalis. Contra tormina decoctum

ſemi-

seminis fœnugr. bene loti in aqua calida, colatum per manicam Hipp. cum sacchar. & modic. cinam. syrup. capill. ven. cum succo amygdal. Inunctio ex oleis, & litus, ut prius. Sacculi è milio. Prohibitus somnus in horam unam, aut duas, propter multas vacuationes. Stomachus illitus mastichino. Contra animi deliquia mica panis intincta vino. Mortua est decima hora à partu. Apertæ uterus grumis plenus inventus est, totus venter flatibus tumēs, ren dexter purulentus, hepar quantitate peccans, lobo uno nothis costis hærens, colore totum vitiatum, aridum ac veluti frixum, alijs partibus quasi putredine mucosum. similiter & pulmones, in quorum summo ad arteriam vomica pure plena erupit. Holl. lib. Observat. suarum num. 8.

OBSERVATIO CCXXXVIII.

De muliere, quæ, cum pariebat, insana & melancholica fiebat.

CArcinatoris uxor venusta, qui ad forū agit, quū optime semper valeat, post partū illico melancholia morbo afficitur, & per mēsem insana permanet. Sed postea paucis adhibitis præsidijs ad consuetam sanitatē revertitur. Cujus affectionis causa humor melācholicus

cus commotus parturitionis tempore esse videtur. Amat. Lusit. Cent. 2. Curat. 52.

OBSERVATIO CCXXXIX.

Ab inflammatione mammillæ puerpera melancholia correpta, restituta.

PVerpera quædam inflammatione mammillæ laborans, nescio quid instinctu aliorum adhibuit, & postea in Melancholiam incidit, ut fingeret se esse mortuam. Nihilominus aliquando cibum sumsit, & infantem etiam uberibus admovit. Admonita autem ut hoc vel illud faceret, semper respondit, se libenter facturam, modo non esset mortua. Sed paucis medicamentis adhibitis ad sanã mentem redijt. D. D. Ioan Francus Hildesius suis mihi per CL. V. Laurent. Scholzium communicatis observat.

OBSERVATIO CCXL.

A partu muliercula nonnunquam Melancholia, & tandem confirmata Mania correpta est.

VXor D. Hieronymi Schnitteri, quarto anno, à celebratis nuptijs, peperit filiam, & quarto die à partu cœpit conqueri de vigilijs & Melancholicis insomnijs, paulo post facta est maniaca, ita ut vinculis oportuerit cohiberi,

beri, sed tamen postea curata est. Sequenti anno gessit uterum, nec quicquam post partum sensit, sicut & tertio anno, quo etiam feliciter peperit. Quarto denique anno cum rursus pareret, à primo partu, denuo incidit in eadē symtomata, & facta est plane Maniaca. Cl. Medici D.D. Ioannis Hessi Norici. Observat. per Cl. V.D.D. Ioach. Camerarium, una cum suis ad me transmissa.

OBSERVATIO CCXLI.

Puerperas nonnunquam phreniticas fieri; & si neglectim habeantur, sibi ipsis vim inferre.

NOvi mulierem pulcherrimam Delfensem, prolificam, quæ in unoquoque puerperio phrenitide, & postea furore afficeretur, adeo in insaniam adacta, ut nuda aliquando per 24. horas continuo in lecto staret; & cum neglectim haberetur, sola è lecto surrexit, & per tabulam felis instar in cistam superiorem ascendit; & cum ibi sese abscondisset, & astantes cubiculum intrantes, eam non invenientes, mœrore afficerentur, tandem exclamavit mulier se se in cistam abscōdisse, ita, ut non nisi magno periculo cum scala descendere potuerit, quo miraculi instar ascenderat. Sed huic aliquando vulnus ex casu inflictum

erat

erat supra capitis verticem: unde cerebro debilitato, puerpera semper delirabat. Pet. Forestus Scholio Observ. 7. lib. 10.

In Hagha Comitis, Matrona quędam puerpera phrenetica, cum ab obstetrice, tum alijs minus custodiretur, & sola esset, è lecto surrexit, & per fenestram saltans, misere obijt. Quibus exemplis docemur, ut phrenitici nunquā soli absq; diligenti custodia manere debeant. Idem Observat. 1. ejusdem libri.

OBSERVATIO CCXLII.

Puerpera quadam, ex sinistro inguine afflictim dolens, à puerperio dolore indies aucto, locus affectus post maturantium usum ferro apertus, educta puris laudabilis copia ægra convaluit.

VXor cujusdam civis puerpera non procul ab inguine sinistro sensit dolores, sed absque tumore & rubore loci affecti. Elapso puerperij tempore magis magisque de doloribus eo in loco conquesta est. Cumque tactu facile dolor exasperaretur, delitescere ibi materiā suspicatus sum, quæ si per interiores partes sibi viam quereret, id nō sine vitæ periculo fore, prædixi. Adhibitis igitur maturantibus, locum postea ubi major erat dolor, ferro aperire jussi, quod à Chirurgo factum est, sed primo

primo nihil nisi aliquot sanguinis guttæ efflu-xerunt; itaq; turundam indidit, atque emplastrum imposuit. Vesperi autem emplastro remoto, & turunda extracta, magna bene cocti puris copia erupit, cumque per dies aliquot ex eo loco exijsset, tandem ulcus consolidavimus.

Eadem ratione alia quædam mulier in vicina urbe, hujusmodi affectione laborans curata est.

Sed Medicus quidam excellens, eodem in loco durum tumorem cum obscuro dolore sentiens, sibique persuadens, pituitam intestinis tenaciter adhærentem, hujus mali causam esse, ideoque à prædicta cura abhorrens, extinctus est. Nā pus ex ulcere interno corrosis intestinis per sedem exijt, & accedente etiam febrili calore, morbus iste Virum optimum è vita sustulit. De D.D Ioan. Franci Hildesij Medici Cameniceni Observationib. lectissimis.

DE MENSIBUS.

OBSERVATIO CCXLIII.

Puella recens nata, menstruis obnoxia, mamillis pendulis, & pilis alarum atque pubis ornata.

Meis

MEis temporibus præsentata fuit puella, quæ nata fuit dependentibus uberibus; & cum pilis inguinis & ascellarum: & fatebatur mater ejus etiam, quod patiebatur resolutionem menstruorum: quod absq; dubio accidit propter fortitudinem caloris formantis & maturantis. Albert. Magnus Com. ad lib. 1. Physicor. Aristot.

OBSERVATIO CCXLIV.

Quinquennes puellæ menstruis affectæ, idq; sine valetudinis incommodo.

PVellam novi Venetijs annum quintum agentem, singulis mensibus modice tamen expurgatam. D.D. Hercules Saxonia suis ad me Patavio liberalissime missis Observationibus.

Vlricus Negelin, qui victor est, & civis Friburgi Brisgoici, filiolam suscepit ex Maria uxore, Annam nomine, quæ statim atque quintum ætatis annum exegit, menstruo fluxu laborare cœpit, quo jam inde ab eo tempore semper statis diebus laboravit. Agit autem nunc ætatis undecimum annum. D.D. Iacob. Suterus de Obs. prop.

OBSER-

OBSERVATIO CCXLV.

Fluori muliebri & mensibus rubris obnoxiæ puellæ octo annorum.

FLuor muliebris non tantum ætate maturas, verum etiam virgines, quas pallor decolorat, invadit, quo & puellam octavo ætatis anno obsessam vidi, ac diu postea graviterque afflictam. Fernelius lib. 6. cap 16. Patholog.

Puellæ cuidam octavo anno menses rubri supervenerunt, cum cessasset sanguis è naribus fluere, quod ei antea sæpius contigerat. D.D. Gasp. VVolph. ex Cl. V. Gesneri schedis.

OBSERVATIO CCXLVI.

Per quas venas menstrua purgentur.

PEr eas venas quæ à cavæ divisione exoriuntur, quæque in uteri cervicem ad ipsius latera inseruntur, menstrua expurgantur: quēadmodum sæpenumero vidi hisce oculis in aliquibus mulieribus, quæ violenta morte periere dum adhuc illis menses fluerent: neq; in his modo, sed etiam in alijs quibusdā quibus instabant, & mox fluxuri erant, idque præsertim Pisis accidit, dum mulierem ejusmodi in publico theatro secarem: aderat discipulorū ac Doctorum multus numerus: mulieri, cujus anatomen profitebar, Sanctæ nomē erat, quæ cum ante mensem geminos peperisset, eosq;

miseros vix in lucem proditos luce privasset, ac suffocasset, eam justi judices suffocandam jusserunt: nam ut inquit Poëta ille.

Non est lex justior ulla,
Quam necis artifices arte perire sua.

In hac igitur muliere, Sancta nomine, revera autem dæmoniaca potius & venefica, hujusmodi venæ, quæ in alijs non admodum magnæ esse solent, insignes erant & nigerrimæ, & propterea satis perspicuæ. Quamobrem licuit spectatoribus per Sanctæ cadaver in animum inducere, per quas venas fluunt menstrua, eas non transire per uterum. Sed si quis ita obstinate oppositum sentit, ut neque si oculis cernat quod dixi illi suaderi veritas possit, ego nihil moror, ipse viderit. Columbus Anatom. lib. 6.

Ex ramo ilio venæ cavæ duæ sunt propagines, quarum una Sylvio epigastria dicta, sursum ascendit per musculos rectos, ac mammariæ occurrit. Paulo supra altera propago cervici vulvæ & ori inseritur, sicuti & sedi hæmorrhois, unde fit consensus uteri cum mammis ob viciniam, sursum ac deorsum fluente sanguine ex utero in mammas, & contra. Ab hac propagine posteriore interdum fluit crassior sanguis non aliter quam per hæmorrhoi-

das.

das. Ajunt virgines & gravidas hac via aliquãdo purgari. Quod certe in gravidis magis necessarium videtur, post aliquod tempus, ob arctam illam colli uteri adstrictionem, quasi nodulis quibusdam accurate & artificiose à natura instructam, ut ne vi quidem specillum emitti possit, & ob acetabula, è quibus sanguis destinatur alendo fœtui. In virginibus non tanta adstrictio. Quæ igitur fluxio fit ex ijs venis, eam ad menstruam purgationem vulgo referunt, cum tamen & partis, & vasorum, & sanguinis fluentis natura diligẽter perspecta, hæmorrhoidum potius species quædam appellari debere videatur. Non enim nisi solo situ differunt, nisi dicas in gravidis veram esse purgationem menstruam regurgitante illuc sanguine, qui in capacitatem uteri per venas è seminarijs vasis expurgari debebat. Sed cum hoc non sit omnino secundum naturam, & ex ijs quæ raro contingunt, id etiam cæteris, quæ uterum non gerunt, haudquaquã conveniat, nec ita certis & menstruis intervallis fiat, minus id videtur consentaneum rationi.

Scholiograph. ad cap. 58. lib. 1. de Morb. Intern. Hollerij.

OBSERVATIO CCXLVII.

Mulieres quasdam triennium, quinquennium, & septennium nonnunquam menstruis carere solitas, tandem concepisse.

MVlieres nonnullę triennium, quinquennium, septenniumq; menstruis carent, deinde concipiunt, ante vero quam concipiant (si non sæpe) saltem semel in menstruis sunt, ut obesæ cuidam Romanæ nunc accidit. Alexand. Petronius Trajanus lib.1.cap.9. de Morb. Gall.

OBSERVATIO CCXLVIII.

Quinquennium menstruis destituta, unde sterilitatem sibi contraxerat mulier: restituta.

EGo lignum Indicum coxi, & adjunxi dictamnum. Vnde mulieri, quæ jam per annos quinque nihil purgabatur, & sterilis erat, & purgationem evocavi, & partum. Alijs portionem Porretanæ aquæ: omnia methodo inventa remedia, experientia comprobata.

Leonard. Iacchinus Comm. ad cap.66.lib.9.Rasis.

OBSER-

OBSERVATIO CCXLIX.

Lactantibus nonnullis menses sine valetudinis incommodo fluere, & quænam hujus ratio.

PLurimis nutricibus etiam ordinatas purgationes fluxisse vidimus, & multis utero gerentibus: ambabus tamen multi sanguinis, & natura, & ex victu pleniore. Sylvius de Mensib. Mulier.

Sub rectis musculis abdominis in interna superficie Aquensis anatomicus Anno 85. mostrabat propagationem duarum venarum satis insignium, quarum una sursum, altera deorsum vergebat: illius quæ sursum ortū monstrabat ex trunco venæ magnæ, alterius vero (deorsum vergentis) ex ipso pectore, quam ad uteri regionem cum ascendente jungi ostendebat: hasq; duas illas venas esse dicebat, quarum beneficio maximus sit consensus venis uteri cum venis mamillarum, adeo ut minime sit mirandum, menses fluere etiam lacte in mammis existente: Nam cum hæc inferior vena ortum habeat à magnæ trunco, à quo multæ venæ & deorsum ad uterum & sursum ad mammillas tendant, beneficio hujus concursus fieri posse, ut sanguis alterius partis regurgitare ad alteram partem queat. Hinc fi-

eri ut mulier, quæ non sit gravida, sæpe se gravidam existimet, errore oborto ex eo, quod sanguis qui singulis mensibus effluere debebat, aut qui alias copiosior ad mammas fluat, per istam venam sursum regurgitet, & in lac mutetur in mamillis, dum non totus in nutritionem earum absumitur. D.D. Martinus Holtzapfelius de Observationibus suis Patavij annotatis.

DE MENSIVM SVPPRESSIONE.

OBSERVATIO CCL.

Frigidissima ex nive hausta, mulieres quædam mensium suppressione correptæ: quibus venæ sectione succursum.

QVum nostra hac tẽpestate mulieres quædam Romanæ frigidissimam ex nive potarent, ob idque aut nullo pacto purgarentur, aut diminute, eas tamen medici sectione venę adeo incolumes servaverunt, ut nec sanguiné spuerent, nec pleuritide, peripneumonia, aut angina unquã corriperentur. Galenus lib. de venæ sect. adversus Erasistratum.

OBSERVATIO CCLI.

Historia mulierculæ haud ignobilis, cui men-

strua

strua suppressa, & vena sectione restituta fuerant.

EGo cuidam mulierculæ, jam octo menses purgationis menstruæ suppressione laboranti, extenuatissima cum esset, haud exiguo detracto sanguine brevissimo tempore, proprium habitum restitui, sicut & alias non paucas eodem modo ad sanitatẽ reduxi. Sed quod illi mulieri accidit (neque enim erat ignobilis) fuit valde celebre. ipsi quidem rescissa vena, & medicis ex eo remedio futuram utilitatem firmiter polliceri verentibus. quinetiam nõnulli mihi adversari audebant non solum propter mulieris máciem, sed etiam propter inappetentiam ex venę sectione secuturam esse noxá affirmantes. profecto hæc melius est longiori sermone persequi, quam, utrius Prodici Hippocrates mentionem fecerit, diligenter invenire conari. Verum recẽtiores medici ad magis sophisticam doctrinæ speciem deflexerũt, ægrotis evenientia diligenter observare, & ipsorũ affectus, causasque, ex quibus curationis inventio acquiritur, indagare negligentes quę & ipsa per experiẽtiam dijudicatur. In muliere sane, quam memoravi, primo die sanguinis sesquilibrã detraxi, rursum postero die libram unam, tertio vero non multo plus semilibra, erant enim unciæ octo. Idem Com. 3. ad lib. 6. Hipp. de Morb. vulgarib.

OBSERVATIO CCLII.

Ob menſium ſuppreſſionem male curatam à medico, mulier paralyſim incurrit.

MEdicus quidam Venetus mulieri cuidã, quæ ex ſuppreſſis menſibus laborabat, non evacuata prius pituita venas obſtruente, apozema quoddam dedit, quo aſſumto paulo poſt illa in paralyſim incidit. D.D.Laurentius Scholzius de Obſervationibus ſuis liberaliſſime mecum communicatis.

OBSERVATIO CCLIII.

Vrinæ, defectu menſium laborantium, quales.

VRinæ menſium ſuppreſſione laborãtium nigricantes ſunt, cum rubra quadam ſanie, perinde ac ſi aquæ, ex qua nuper mactatæ carnes ablutę fuerũt, fuliginem quis miſcuiſſet: quemadmodum in Illũſtriſſima Domina Maria Sanſeverina Comitiſſa Nolæ ſæpius talem urinam inſpexi: quibuſdam etiam urina aut difficulter redditur, aut omnino ſupprimitur. Altomaris cap. 107. de medendis humani corporis malis.

OBSER-

OBSERVATIO CCLIV.

Mulierecula devoratis magna copia prunis, menſium ſuppreſſionem, & ventris tumorem gravidæ inſtar incurrit: quæ tandem exacto anno purgantis medicamenti vi incredibili oſſiculorũ prunorũ per alvũ dejectione liberata eſt: tumore ſubſidente, & menſibus legitimum ſuum typum denuo ſervantibus.

ACceſſit me ante ſeſquiannum mulier quæpiam, ſuo comitata marito, è pago Berwaldt, cujus venter adeo intumuerat, ac ſi geſtaret ſobolẽ, aut aliquam molam diutius retentam: fluxum etiam menſtruorum per anni ſpatium non viderat. Ego conſideratis omnibus accidentibus, illam prægnãtem eſſe non reperi, neque molam geſtare utero: verum potius craſſum, & compactum ſanguinem menſtruoſum eſſe in cauſa putavi. Adhibui ergo digeſtivum, & pilulas purgantes tam inteſtina quam uterum. Hinc illa beneficio alvi tantam copiam nucleorũ de prunis domeſticis, quæ antè annũ una cum nucleis comederat, egeſſit, ut omnibus, qui audiverunt hoc, impoſſibile viſum fuerit, quod tamdiu vivere potuiſſet. Semotis itaque nucleis, fluxus men-

xus méſtruorum redijt, ac uteri tumor remiſit, tandemque bene valuit, cum antea ſemper cum morbo conflictaretur. De Obſervat. CL.V.M.Ioan.Fabri mihi communicatis.

OBSERVATIO CCLV.

De ſtillicidio menſtrui, veteribus, præter unum Aetium, incognito; noſtris vero non infrequenti.

MEminit Aetius cujuſdam affectus, quem ſtillicidium appellat, nomine à ſymtomate deſumto. Nam ſicuti urinæ ſtillicidium, quem affectum ſtranguriam græci vocant, appellamus, quando urina non confertim ſed guttatim, & cum dolore & labore emittitur, cum plerunque ex acri humore ſtimulante expultricem facultatem ortum habeat: ita etiam aliquando in mulieribus contingit, ut menſes perperam hac eadem ratione vacuentur; nempe quia non libere, & expedite effluant, ſed paulatim, & quaſi guttatim, cum multa mulieris moleſtia; quia longiori tempore eam occupat hæc purgatio, & cum multo (ut idem ait Aetius) dolore. nam (ait ille) ſymtomata, quæ utero accidunt, illis fere ex proportione reſpondent, quæ veſi-

cam

eam solent molestare. ut enim aliquando omnino supprimitur urina, aliquando guttatim excernitur, & aliquando cum multo dolore, & difficultate: ita & menses interdum omnino intercipiuntur, interdum paulatim, nonnunquam difficilis, & cum dolore fit eorum excretio. Hujus tamen rei, quod meminerim, non legi ab aliquo antiquo medico factam mentionem, præterquam ab Aetio: neque tamen absque ratione ab eo factam existimo: nam ita fieri, sicut ipse dixit, observando percipere possumus. Refert autem ipse causas quoque cur fiat menstrui stillicidium, quæ tamen possunt in tria illa communia capita referri: nempe in facultatis, in sanguinis, in instrumentorum rationem: in facultatis quidem rationem, quia illa in expellendo sit facta imbecillior, ut nequeat nisi paulatim materiam menstruam movere: in sanguinem, quia ille crassior sit factus; & hoc, quia, aut nimis pituitosus sit, aut quia fæculentus: item etiam quia copiosior, ut sua multitudine ita exitum impediat obstruendo, ut non possit nisi paulatim exire. Mihi vero unam rationem prætermisisse videtur Aetius: ea vero est acrimonia: nam sicut similia sunt symtomata, ita videtur, quod aliqua saltem ex parte sit rationi cōsonum, ut similes

causas

causas habeant : & sicut acrimonia in urinis causa est, ut stillatim urina excernatur, nempe cum ex stimulo nequeat natura tantisper differre excretionem, donec multa colligatur urina, ita etiam ex acrimonia menstrui sanguinis fieri potest, ut paulatim, sicut ad uterũ defertur, ita ab eo expellatur. Non est autem cur de causis, vel signis differentiarum istius affectus multa loquamur, cum satis possunt hæc ex illis, quę hactenus fuere exposita, facile percipi: quædam tamen de ratione symtomatum, quæ mulieres in illis solent opprimere, dicemus. Ait ergo idem Aetius, qui dolores vehementes solẽt excitari: varia autẽ causa est doloris pro varia etiam ratione affectus. Nam quando ratione acrimoniæ fit hoc stillicidium, in promtu est ratio cur doleant: acrimonia enim doloris causa est. In alijs vero differentijs causa est doloris distentio venarũ & partium uteri ob repletionem à multa materia, quæ ad uterum ab universo corpore detrusa inde non potest expelli: cui & id accedit, quod ex loci caliditate possunt multi excitari flatus, præsertim si sanguis fuerit pituitosus, aut melancholicus, à quibus magis distensus uterus majoribus doloribus fit obnoxius. At vero cum in hoc stillicidio uteri plerunque mensium, si non omnino, magna saltem ex

tem ex parte sit suppressio : ideo & reliqua symtomata, quę illis solent accidere, quibus aut menses supprimuntur, aut saltem modice fluunt, in hoc quoque affectu solent mulieres interdum cruciare. Sed & sicut similis est ratio, qua hic affectus fit: ita etiam similis curandi ratio. nam ab eisdem omnino causis fit, à quibus & suppressio menstruorum, & eodē etiam modo subinde est instituenda curatio: quare neque iterum ea repetemus. Trincavella de Rat. Curand. partic. hum. corp. affect. lib. II. cap. 7.

OBSERVATIO CCLVI.

Morbus virgineus: Febris alba vulgo dicta.

COnquereris mihi, ut tuo fido Achati, filiam tuam Annam primogenitam & jam nubilem, à multis procis, virtutum integritate ac stemmatis claritate, opumque facultatibus avito tuorum majorum generi non imparibus, in conjugem desiderari, quos tu, ob filiæ imbecillitatem, abdicare cogaris. Nec id adeo tibi esse molestum, quam quod hactenus nullus Medicorum internam morbi causam & essentiam explicare, simulque curam præscribere potuerit. Nam unus esse cardialgiā ait, alius cordis palmū, hic vero dyspnœā, ille

ſile matricis ſuffocationem: nec defuiſſe, qui ex vitio epatis eſſe ventriculi faſtidium ſuſpicarentur. quorum diſcors de filiæ tuæ morbo judicium effeciſſe ais, ut totus animi pendeas, nec quid facto opus ſit diſcernere poſſis. Ob id à me de morbo filiæ judicium, ac de nuptijs conſilium fidele, pro veteri amicitia efflagitas: ſimulque quibus morbi ſymtomatis affligitur, recte primum declaras: cujus nempe faciei indoles, cum anno preterito roſeo genarum labiorumque rubore floruiſſet, ea modo velut exanguia palleſcere triſte, cor ad quemvis corporis motum contremiſcere, arteriasque temporum ſenſibiliter pulſare, & in choreis aſcenſuve ſcalarum dyſpnœa corripi, ſtomachum cibum, ac præcipue carnem faſtidire: & crura præcipue juxta talos, ad noctem œdemate tumeſcere. Ex his ſane accidentibus & ſignis morbi pathognomicis, quæ morbi cauſam & ſubſtantiam produnt, ejuſque curam deſignant, miror veſtrates Medicos morbi cauſas & naturam non agnoviſſe. Quod vero nomē illius non dixerint, id, cum ad morbi curam nihil conferat, nihil quoque refert. Multæ ſunt in morborum catalogo ægritudines, nomine & non cura carentes. Nec hic morbus propriam habet nomenclaturam, quam cum ſit virginibus peculiaris,

virgi-

virgineus quoque indigitari poterit: quem Brabantinorum matronæ febrem albam, ob faciei pallorem, & amatoriam appellare solent: cum paleat omnis amans, & color hic sit aptus amanti. quamvis febris admodum raro coincidat. Sed hic morbus virgines frequenter infestat, cum viro jam maturæ, ex ephebis excesserint. Nam id temporis, natura duce, sanguis menstruus ad matricis loculos & venas ab epate defluit: qui cum ob illarum angusta oscula, quæ nondum patuerunt, viscosis quoque & crudis humoribus obstructa, & denique ob sanguinis grossitiem erumpere non possit: tum rursum per venæ cavæ majorisque arteriæ propagines, ad cor, epar, diaphragma, & præcordiorum venas regurgitat: capiti quoque bona pars impartitur, & circa viscera accidentia gravia parit, dyspnœam, tremulum cordis palmum, epatis inflationem, stomachi fastidium, cardialgiam: nec raro cum amentia epilepsiam & delirium. Quod Hippocrates in libello de Virginum morbis, his testatur verbis: Virgines, inquit, quibus nuptiarũ tempus advenit, maturæq; jã viro sunt, spectrorũ imaginarijs terroribus affligũtur, præsertim cum menses descẽdũt. nam ante hoc nõ admodũ male afficiũtur.

postea

Postea vero sanguis in matricis locellos, tanquam effluxurus destillat & descendit, cum autem oscula exitus obstructa fuerint, sanguisque ob cibaria & corporis incrementum auctus, illic collectus subsistit plurimus, nec ubi effluat, exitus venarum pateant, præcopia cor, septum transversum, præcordiaque petit. quibus repletis, cor sibi non constat, & torpet, ex torpore vero desipit & delirat. Nil certe mirum, cum epar à fæculento mesium sanguine non expurgetur, & eò præcordiorum venæ infarctæ fuerint, hypochondriorum viscera intumescere, & his diaphragma (ut in hydrope) coarctari, quod difficilem parit anhelitum, teste Gal. in fine tertij de Dyspnœa libri, ubi universaliter inquit: Si internus tumor aut dolor circa hypochondria constiterit, tum parva & crebra fit spiratio. Deinde cum cor, stomachus & epar, utriusq; venæ chylis & arteriæ ramis, velut communi vinculo cõnectantur, his sane sanguine grosso, flatuosoque spiritu & vapore refertis & obstructis, ut hos cor extrudat & deoppilet, ne suffocetur, frequenti arteriarum & systoles motu eluctatur, & palmo contremiscit: quo defatigato, quid obstat ἀσφιξίας, ἢ πνευμάτων ἀπολήψεις, καὶ ἀπνοίας, id est, pulsus & spirituum ac anhelitus interceptiones cõcidere?

cidere? quibus æger obmuteſcat,& ut deploratus jaceat. Vnde me hercule Gal.in Acutorum diæta ſcite ait, δύναται δὲ καὶ πλῆθος τε καὶ πάχος αἵματος, οὐ μόνον τὰς ἀρτηρίας πνευματῶσαι ποτὲ, καὶ διέξοδον ἐκκλεῖσαι, ἀλλὰ καὶ αὐτὰς ἰδίως ὀνομαζομένας φλέβας. id eſt, Poteſt autem & multitudo & denſitas ſanguinis non modo arterias inflare, & exitum obſtruere, ſed & ipſas proprie nominatas venas. Poſtremo an filia tua hac affecta ægritudine, nubere debeat,& quæ ſit hujus curatio, en fidum ex Hippocratis divite medicinarũ penu conſilium communicabo, qui in libello de Morbis virginum ait: Hujus morbi liberatio eſt venæ ſectio, ſi nihil obſtiterit. Ego vero, inquit, præcipio, virgines hoc modo afflictas, ut quamprimum viris cohabitent, & copulentur: ſi conceperint, convaleſcent: ſi vero in pubertate hoc morbo non corripientur, tum paulo poſt eas invadet, niſi viro nupſerint. At vero ex maritatis, ſteriles magis id patiuntur. Hoc ſaluberrimo divini Hippocratis conſilio, ſi medicamenta menſes provocantia, & obſtructionum aperitiva, ſanguinis groſſi ſubtiliativa adjunxeris, nihil his præſentius reperire & excogitare poteris: quibus ego in hujus virginei morbi cura nunquã falſus, aut

spe fui frustratus. Quare bono sis animo, filiam tuam elocato: nuptijs quoque ego libés intereo. Vale. Langius Epist. 21. Tom. 1.

DE MENSIBUS SUPPRESSIS ET ALIENIS LOCIS FLUENTIB.

OBSERVATIO CCLVII.

Menses restitantes ex oculis & auribus evacuati.

NOs religiosam vidimus, & nũc curamus, quæ menses non habet, cum in ea ætate sit, in qua habere deberet: at singulis mensibus sanguinis copia ex oculis & auribus exit. Brasavolus Comm. ad Aph. 25. lib. 4. Hipp.

Providæ ac sese exonerantis naturæ exemplum, in virgine quadã, me observare memini. Carnosa hæc erat, calidoque temperamento prædita, sanguineque redundans. Cum autem ætas adesset, ad menstruas purgationes idonea, utpote 16. annorum, neq; menses succederent, natura per oculos superfluentem sanguinem expellere conata fuit: sanguineis guttis lachrimarum instar frequenter ex oculis profluentibus: bene fecit huic è vena talo proxima detractio, quam menstrua purgatio,

non

non ita dudum, subsecuta est. Dodonæus cap. 15. Observat. Medicinal.

Mensibus non procedentibus, corpora fœminarum morbosa fiunt, inquit Hippocrates lib. de Genitura: quod quidem intelligendum venit, nisi aliunde sanguis irrumpat. Nam ut idem Hippocrates aphoris. 33. Sect. 5. Menstruis deficientibus, sanguis ex naribus fluens, bonum. Huic autem virgini non ex naribus sed ex vicinis oculis profluxit. Idem in Scholijs.

Cognovimus cui unoquoque mense, sanguis, licet modicus, per majorem oculi sinistri angulum, fluebat. Lud. Mercatus lib. 1. cap. 7. de Mulier. affect.

In vicino oppido, quod Melanthoni nostro, Chalcis Saxonica, nuncupatū est, puellæ cuipiam nubili, mensibus cunctantibus, lacrimæ cruentæ, extillarunt. Salamon Albertus in Oratione de Sudore cruento.

OBSERVATIO CCLVIII.

Menses remorati per nares & os expulsi.

VXor hominis Germani qui ad tabernam habitat, utero gerebat, septimo mēse magno capitis dolore cruciabatur, pro quo levādo cucurbitulas scapulis cū scarificatione af-

figi fecimus. Sed vesperi puerum peperit, & febris ardens illam invasit. Nihil purgabatur, multum sitiebat, anxie agebat, res in dubio erat. Sequenti vero die cum saphena pedis vena secta esset, & sanguis exiret, interpositis paucis horis per os & nares sanguis menstruus illi copiosissime effluxit. Post cujus fluorem' capitis dolor remitti cœpit, & symtomata omnia minui. Sequenti vero die cucurbitulis fœminibus admotis, & syr. de bysantijs sine aceto ebibito, ac alijs retractionibus adhibitis, sanguis diverti ac retrahi cœpit, ac sic rectam viam sequutus fuit. Cum vero menses fluerent, se sanam dixit, & basilice perseveravit. Lusit. Cent. 2. Curat. 17.

Quandam curavimus & sanitati restituimus, cui singulis mẽsibus sanguis ex ore prodibat. Plures vero novimus & nunc cognoscimus, quibus singulis mensibus sanguis per nares scaturit. Brassavolus Comment. ad aphor. 25. lib. 4. Hippoc. Item ad aphor. 32. lib. 5. Hippoc.

Plerisque menstrualis materia in utero suppressa vomitu excluditur, urinis, hæmorrhoidibus: alijs in varices abit. Vxori meæ dum virgo esset derivabatur & purgabatur per nares menstrualis materia. Pareus lib. 23. cap. 52.

Hæmor-

Hæmorrhagia narium singulis mensibus recurrit in quadã honesta Matrona, quæ jam per viginti annos, mensibus carens, hoc genere vacuationis purgatur, non tamen absque magna molestia, & sæpe suffocationis periculo non levi, quod sanguinolenta materia, vel in naribus cõcreta, vel ad trachearm arteriam deorsum lata, omnem fere spirandi facultatem tollat. D.D. Iacobus Oethæus lib. Observat. prop.

Repentinus sanguinis exitus, ex ore plerunque fœminis, quibus menstrua non respondent, evenire solet: idque singulis mensibus evenit. ijsdemque menstruæ purgationis circuitibus apparet: nec non ijsdem statis cessationis diebus supprimitur. ac nisi mulieri laboranti succurratur, per multos circuitus sanguinis emissio revertetur. Aretæus Lib. 2. cap. 2.

Cum tuæ historiæ, de clauso ano, & rejectis per alias vias recrementis, mihi historiam cujusdam puellæ Stutgardianæ (cui ex obstructis uteri vasis menstruæ purgationes statis temporibus, per os regurgitassent,) ejus te simul admonẽdum duxi, ut & illius etiam Stutgardianę, cui eędem purgationes, per insuetas alioquin naturæ vias, ac vix credendas, succederent. D.D. Ioan. Culmãnus de Observ. prop.

OBSERVATIO CCLIX.

Menses dentis evulsione per vulnusculum, seu præsepiolum, expulsi.

NOs, quod supra communem hominum fidē est, Furnis municipio Flandriæ mulierem novimus, cui forte fortuna, cum elisus esset dens molaris, soliti alioqui menses supprimerentur, natura noxium illum fæculentumq; sanguinem propellente, singulis mensibus ex elisi dentis vulnusculo, sanguineus quidam gurges, purgationi proportione correspondens, effluueret. Bald. Ronsseus lib. de hominis primord. & hist. ericis affect.

OBSERVATIO CCLX.

Menses per sputum excreati.

EX Insula Chio ancilla, ut tradit Erasistratus, cui diu fluxus mēsium substiterat, statis mensium periodis, sanguinem abunde expuebat. Quod & Nurunbergæ, virgini de stemmate patritio, accidit. Langius Epist. 10. Tom. 2.

Per sputum cruentū, idque cupiosum, præsertim fœminas, vidi sine noxa vacuari, ac earum quædam, loco menstruæ purgationis, ita vacuabantur, menstruis temporibus.

D.D. Oethæus lib. Obs. prop.

OBSER-

OBSERVATIO CCLXI.

Menses vomitione projecti.

QVibusdam mulieribus accidit emissio menstrui cum vomitu per os suum. Rabi Moyses, Partic. 24. Aphorismorum suorum.

Vrgebatur mulier acerbissimo capitis dolore, propterea quod menstrua non provenirēt: verum his demum vomitione propulsis, ilico sublatus est dolor. Sed cum id iterū iterumq; aclæpius factitasset, abhorrēs tandem mulier abhujusmodi vitio, auxilium nostrū exposcit: qu sola sanguinis missione, ex venula, quę sub tal est, & menstrua ipsa ex naturali loco rite profluere coëgimus, & quod sequens est, mulierem ipsam pristinæ sanitati restituimus. Benivenius cap. 41. de Abditis.

Mulieri sanguinem vomenti, erumpentibus mētruis, solutio. Vnde mulier Florētina, cum intolerabili capitis dolore, ex retētione mensium, affligeretur, his vomitu ejectis, convaluit: & ne morbus iterū incrudesceret, saphenæ sectione sibi cavit. Hujus evētus hęc est certa ratio: per quas venas & meatus epar chylum sugit & attrahit, per easdem sponte, aut virtute pharmaci, humores ad ventriculum quoque regurgitant. quando vero sanguis in matricis locellos effluxurus descendit, & ve-

narum oſcula obſtructa fuerint, tum ſanguis ibi collectus, per venas matricis ad epar, cor, & venæ chylis ramos regurgitat, & in ventriculum per venas, quæ ejus orificiũ & fundum ambiunt, deſtillat, & vomitu expurgatur. Ob id Hippocrates in prænotionibus ait: Qui ſanguinẽ ſpuunt, dextrum dolentes hypochondrium, de epate ſpuunt, & ſterilibus ad conceptionem prodeſt. Atque in Aphoriſmis: Quicunque, ait, ſanguinem evomunt ſine febre, ſalutare: cum febre vero, malum, curæ vero eos refrigerantibus & ſtipticis oportet. Ioan. Langius Epiſt. 40. lib. 1,

Venæ Vteri, cum venis Meſenterij *ἀναστομώσει* manifeſta committuntur, per quas in inteſtina tranſpõitur ſanguis menſtruus, & ex his in ventriculum. Et hos eſſe ductus, per quos, magnos & patentes ſatis, ſanguis ab utero in inteſtina & ventriculum refunditur, teſtatur copia ſanguinis, quæ à mulieribus, in tali affectu, vomitu redditur. Longior fane & minus evidens eſt illorum via: qui voluntvenas matricis humorem in hepar, cor, & venæ cavæ ramos mittere, & inde in ventriculum, per venas, quæ ejus orificium, ac fundum ambiunt, ac hinc deinde vomitu expurgari. Qua in ſententia vir quidam ſummus fuit. Hieron. Reiſnerus ad cap. 31. lod. VVillichij de Vrnis.

Illa

Illa Religiosa, de qua superius mentionem feceram, singulis mensibus imminente purgationum tempore, sanguinem evomit. Nunc semel menses provocati sunt, tamen sanguinem evomuit, sed in minori copia, quia etiam menstruorũ copia parva fuit, etenim sanguinis pars ad uterum descendit, & pars ad ventriculum. Brassavolus Comm. ad aph. 31. lib. 5.

Cum Patavij medicinæ operam darem, audivi ex hospitis mei uxore, quod in juventute sua quandoque mensium suppressione laborare solita fuisset: & hanc semper præcedere sitim ingentem, & præcordiorum (ut ipsa vocabat circa cor) gravitatẽ, ac quandam quasi suffocationem. Accidit autem, cum aliquando febricitaret, sitiretque vehementer præter solitum, quumque medico referret, quod sitis semper mensium fluxum præcedere soleret, atque etiam tum mensium tempus instaret: Medicus interdixit omnem tum vini tum aquæ usum; vini quidem propter febrem, aquę vero propter matricem, credens, eam hæc dicere ut potum concederet. Accidit itaq; cum præter naturæ consuetudinẽ abstineret à potu, crescereturque dolor circa præcordia & angustia, in nocte cœperit bis aut ter sanguinem vomere. Vnde in instanti medicus vocatus, statim jussit, interea dum se indueret, fieri ex

quocunque obvio prodio clysterem; deinde etiam ex saphena sanguinis evacuationem, idque nulla interposita mora. Interea dum vena secatur, sensit manifeste gravitatē præcordiorum remittere, ac quasi deorsum trahi: & restituta est. Quinetiam, antequam secta vena esset, levamen aliquod sensit ex frictione facta à ventriculo inferius. Id Patavij observavi & adnotavi. D.D. Casp. VVolphius.

Historiā & Curat. vomitus sanguinis menstrui, vide in Martini Ruolandi Curat. Empiric. Cent. 3. Curat. 4.

OBSERVATIO CCLXII.

In impeditis mensibus non naturaliter aliquando lunares purgationes mulierum per colli uteri venas profluere.

SAnguinē, per cervicis uteri venas, quibusvis tandem mulieribus, emanare interdum posse, collectu promtissimum est, vel ex sanguinis è naribus, & ano, & faucibus, & ventriculi etiam subinde defluxu: quodque uterum quibusdam mulieribus & virginibus, annis aliquot mira fuscæ, crassæque aquæ copia turgidum fuisse, jam sectione non semel deprehendimus: quibus alioquin mēstruus sanguis sæpius, etsi nō ordinatis omnino vicibus, cersisq; intervallis, ejusdemque perpetuo quantitatis

tiratis profluxit, nõ aliunde sane, quam ex venis uteri cervicem implicantibus. Vesalius lib. 5. cap. 15. de corp. hum. fabrica.

OBSERVATIO CCLXIII.

Menses per sanguinis periodicam emictionem expurgati.

RElegiosam virginem curavi, quæ singulis mensibus sanguinis mictum habebat, & illi menses defecerant. expurgabatur autem per urinã, quia solum, dum mingebat, exibat sanguis, aliter vero non exibat: quæ & nunc vivit & integra sanitate fruitur. Brasavola Com. ad Aph. 75. lib. 4. Hipp. Hanc historiam ex eodẽ autore Scholiograph. ad cap. 52. lib. 1. Holl. de Morb. Intern. repetunt.

OBSERVATIO CCLXIV.

Menstruum sanguinem nonnullis ex hæmorrhoidibus profluere.

RElegiosam quandam curavi, quæ singulis mensib. per naresevacuabatur, sed id ęgre ferebat, cum tamen minus molestaretur, quã alia quædam, cui ex hæmorrhoidibus sanguis menstruus fluebat. Brasavolus Com. ad aphoris. 33. lib. 5. Hippoc.

OBSER-

OBSERVATIO CCLXV.

Menses detentos, aliquando per sedem excludi.

SI non conversum fuerit os uterorũ ad pudendum, circa lateris mollitudinem suppuratur, & hac parte transitus fit mensibus: sed eadem periculosa sunt, quæ prius sunt relata. Sed & ad vomitũ convertitur, & quibusdam in sedem, velut in virginum morbis à me dictum est, & signa & dolores eosdem ostendit, quos isthic retulimus. Ad hanc viam minus faciunt menses mulieribus, quam virginibus. Hipp. lib. 1. de Morb. Muliebr.

Vbi menses defecere non solam per nares vacuationem bonam esse (dixit Hippoc. Aph. 33. lib. 5.) sed eam simpliciter commendavit, non quod ea sola sit addito. Quod si quispiam vacuationem eam, quæ per sedem fit, ita affectis mulieribus utilem esse dixerit, id minime pugnat cum aphorismo. Siquidem Hippoc. aliquando uno quopiam velut exempli gratia, proposito, de alijs similibus omnibus pronunciare videtur. Galenus Comm. 5. ad Aph. 33. Hippoc.

Quæ è ventriculo ad hepar venæ chylum evehunt, eędem sępe mutatis velis sanguinem reducunt eodem; quanquam id symtomatice faciant,

faciant,& præter naturæ legem. Quæ isthæc brevior longe expeditiorque est via ad sedem, quam per hæmorrhoidas. Quo sanguis (quanquam hęc non valde alto intervallo distent ab hypogastrica pudendaq;) remeare nequit nisi ante relatus per hepar ad truncum venæ portæ regressus, inde tandē exportetur foras per sedem. Quod non usque adeo dictum videatur convenienter. Evacuationis δι' ἕδρας meminit quoque Gal. in suppressione menstruorum lib. 5. Aph. Quanquam eveniat etiam nōnunquam ut abscessu rupto ex suppressione illorum, divertat sanguis periodice ad eam partem, sicuti visum fuit nobis nō ita pridem. Hinc vero misella interijt. Cordæus Comm. 1. ad lib. 1. de Muliebr. Hipp.

OBSERVATIO CCLXVI.

Sanguis menstruus per mammas emissus.

MVlier nobilis, cum puerum lactaret, & ut fieri solet, mēses longo tempore suppressos haberet, ecce per mammas sanguis illi efflui cœpit copiosissimus, à quo præter fluxionis tædium nullum capitis dolorem aut noxam percipiebat. Facta tandem ex saphena pedis vena sanguinis copiosa extractione ex mammis sanguis illico retractus fuit, & mulier,

lier ab hac fœda affectione libera, quæ medicorum judicio in insaniam ventura esset, juxta Hipp. dictum lib. 5. aph. 40. quod habet: Quibuscunq; mulieribus ad mammas sanguis colligitur, furorem significat. Tametsi vero Galenus hoc nunquam vidisse testatur, nos tamen cum Hippocrate, sanguinem per mamillarum papillas effluere in duabus nobilibus, altera Lusitana, altera vero Itala, hucusq; servatum habemus, quarum nulla in insaniam aut furorem devenit, sed potius sanguine ex saphena misso illico sanitati restitutæ fuerūt. Cæterum Antonius Musa Brasavola refert à se mulierē visam, cui sanguis per ubera fluebat, quia gemellos nutreibat: qui cum vehemēter exugerent, sanguinem in lac converti non sinebant. Et ita huic contingebat, ut ijs qui nimio utuntur coitu, quibus sanguis exit, qui in semen converti non potuit, ut citato habetur aphorismo. Lusit. Cent. 2. Curat. 21.

Vxori Petri Fabri Castrodunensis, mēsium materia se per mammas singulis mēsibus tanta copia exonerat, ut ei ebibendæ & exhauriendæ vix tria aut quatuor mantilia sufficiant. Pareus lib. 23. cap. 52.

Quid quæso majorē faciat fidem cōmunionis inter uterum & mammas per vasa, quā qui periodice cuidam lectissimæ mulieri aliquando san-

do sanguis è mamma excurrebat, quum ipsa desijsset aliquādo prius pro more (credimus) menstrualis esse per loca scilicet ad id destinata & conferentia? Quod autem hic vōlumus, est hujusmodi, & jam nunc referentia ea ipsa verba Doctoris Fabri, qui ex Ruellio nepos dictus à nobis fuit, & veritatis esse amātissimus; nec fraudē sane faciemus ullā posteritati. Visa est (ait) & altera mulier 1569. (plures n. descriptas ab eo historias eadē demissa ad nos cōtinebat schedula) Castelloduni ad superiorē partē inhabitans, cui menstrua per mammæ sinistrę papillā mensibus singulis tanta copia profluebant, ut quatuor aut quinque lintea quæ vocat vulgus mantilia, imbubinaret inquinaretve sordidissime. Cordæus Comment. 6. lib. 1. de Muliebr. Morb. Hipp.

Audivi mulieres quasdam, suppressis menstruis, sanguinem statis periodis, certisq; circuitibus per mammarum papillas profudisse. Andreas Laurentius Anat. lib. 1. quæst. 10.

OBSERVATIO CCLXVII.

Menses menstruo tempore cuidam per umbilicum, una cum vermibus evacuari soliti.

In

IN quodam Comitatino, plures vermes ex umbilico egressi sunt. & vixit in urbe Tridentina, quo tempore ibi Concilium celebrabatur. Aderat mulier quædã, quę pręterquam quod singulo mense illi menses ex umbilico erumpebant, inde quoque vivi lumbrici erumpebant. Nicolus Serm. 2. cap. 8.

OBSERVATIO CCLXVIII.

Menses aliquando per minimum manus digitum: & per annularem sinistræ manus profundi.

QVod magnam infert admirationem, id sane est, quod nos jam ter vidimus: videlicet, per minimum manns digitum, & per annularem sinistræ manus, singulis mensibus sanguinem profundi, non copiosum, in religiosa quadam fœmina, cui natura menstruã purgationem denegaverat. Lud. Mercatus lib. 1. cap. 7. de Mulier. affect.

OBSERVATIO CCLXIX.

Menses ex maligno pedis ulcere evacuati, abscisso eodem, legitimum cursum consecuti sunt.

PVella cacoæton experta est ulcus, prætérito anno, in pede sinistro, per quod statis tem-

temporibus menſes effluxere, is quaſi emortuus meo ſuaſu abſciſſus eſt, me præſente, ſuper genua, tandem convaluit, & menſes recte eruperunt, poſt amputationem. D. D. Eſaias Meichſnetus de Obſervat. propr.

OBSERVATIO CCLXX.

Sanguis menſtruus per vulnus effluere viſus.

VIdi cuidam vulneratæ ſanguinem menſtruum, non per conſueta loca, ſed per vulneris ſinum effluxiſſe. Theophraſt. Paracelſ. Part. 1. Tract. 1. cap. 11. Chirurg. magnæ.

DE IMMODICE FLVENTIBVS MENSIBVS.

OBSERVATIO CCLXXI.

Menſium hæmorrhagia, nihil proficientibus alijs medicamentis, ſola venæ ſectione cohibita.

MVltas vidimus, quæ detracto ſanguine multo è vena convaluerunt, cum nullis alijs remedijs reprimi poſſet fluxus ſanguinis. Holl. Comment. ad aph. 50. lib. 5.

OBSERVATIO CCLXXII.

Septem mensium fluore curata quadam remedio singulari.

SVffitus ranarum combustarum egregie retinet hunc defluxum sanguinis, ut ego expertus sum in excellētissima domina mea duce Cardonæ & Sugurbi anno 1544. hoc fluore affecta septem ferme mensibus, quæ divino favore ad pristinam restituta est valetudinem. Suffitum ungulæ mulæ sistere mirifice hunc sanguinem expertus sum: quamvis ab eo fiat per mensem sterilis fœmina, ut quibusdam placet. Hoc medicamentum multas nobiles Catalanas laborantes hoc affectu satis antiquo curavit: ℞. corticum duorum ovorum recentium adustorum, thuris, mastichis, an. unciam semis, margaritarum electarum, corallij rubri præparati, karabæ, ana drach. duas, lapidis hæmatitæ, & smaragdi præparati ana scrup. semis, farinæ hordei sine furfure. p ij. albumina quatuor ovorum, &, si opus fuerit, adde parum aquæ calibeatæ, & fiant duo pants seu placentæ, & coquantur in furno ut possint in pulverem redigi: dosis hujus pulveris est à drachma semis usque ad drachmam unam cum jure pedum arietinorum summo mane.

thane. Ioan. Mich. Paschalius de Morb. Curand. cap. 55.

OBSERVATIO CCLXXIII.

Admiranda & vix à quoquam animadversa mensium & hæmorrhoidum continuata reciprocatio, mulieris cujusdam: à quibus malis remedio non minus raro quam certo vindicata est.

FRat hic (Torgæ) uxor Capitanei electoris Brandenburgici, quæ per quadrantem ani quotidie infestabatur fluxu sang. qui omnino non potuit ullis remedijs sisti. Fluxus autem ejusmodi erat. A novilunio ad plenilunium habuit quotidie fluxum menstruorum. A plenilunio ad novilunium quotidie copiose fluebant hæmorrhoides, quos fluxus cũ ad me venit, unico remedio cõpescui: post purgat. convenientem etiã jussi ut membro imponeretur spõgia aceto ros. implete. Ex literis D. Kentmanni ad Gesn. D. D. V Volph.

OBSERVATIO CCLXXIV.

Spontanea Saphenæ hæmorrhagia appresso silice cohibita.

ANte ædes Cl. V. Iac. Iokisci Præceptoris mei, mulieri cuidã Saphena in sinistro pe

de ſua ſponte rumpebatur, plurimumque ſanguinis profundebat. Hæmorrhagia iſthæc ſubito eruto recens è terra ſilice & admoto vulneri compreſſa eſt. A D. Valentino Hennero.

OBSERVATIO CCLXXV.

Menſtruorum profluvio mortua.

SAnguis omni ſtudio refrigerandus & incraſſandus eſt, uti quiete animi, & corporis. Scimus enim Vicecomitem ipſam Caſtriboni perijſſe mẽſtruorum immodico fluore, cujus cauſa fuit magnus motus: confecit enim iter trium leucarum, ut vocant, ad viſendam imaginem Mariæ de Serranca. Et alijs etiam omnibus internis, & externis ſtipticis, & refrigerantibus eſt incraſſandus, &c. Ioan. Mich. Paſchalius cap. 55. de Curand. Morb.

OBSERVATIO CCLXXVI.

Iuſta Menſtruorum menſura.

IVſtam & naturalem eſſe menſuram menſtruorum duas heminas Atticas, aut circiter, non olei, ut putavit Fuchſius, ſed vini, aut aquæ, ut redeant ad tres ſemiſextarios Pariſienſes: natura interim ætate & ſimilibus perpenſis. Hollerius Comment. ad Aph. 57. lib. 5. Hippoc.

Iuſta

Iusta menstruorum mensura est duarum heminarum Atticarum, hoc est, à cheopina usque ad tres semisextariolos Parisienses. Si quid excedat, si quid deficiat, vitiosum est. Idē Comment. ad aph. 36. lib. 5. Hipp.

OBSERVATIO CCLXXVII.

Mulieri cuidam intra triduū viginti quinq; libræ sanguinis per uterum excretæ, salva vita.

MVlierem vidi evasisse, posteaquam ab ea egressæ xxv. libræ sanguinis per matricem in tribus diebus. Ioan. Arculanus Comment. ad cap. 43. lib. 9. Rasis ad Almansarem.

DE FLVORE MVLIEBRI.

OBSERVATIO CCLXXVIII.

Fluor uterinus ut à Gonorrhœa virulenta internoscatur.

SVnt mulieres, quæ cum gonorrhœa virulēta laborent, honesto nomine culpam prætexentes, fluore muliebri seu uterino se laborare mentiuntur: quod in utroque affectu ingens profundatur eluvies. Sed ex purulentia facile affine id malum distinguet Chirurgus,

ac nisi salivatione, sudoribusque citatis, sanari id nō posse sibi persuadebit. Pareus li. 23. c. 60.

OBSERVATIO CCLXXIX.

A desperato uteri profluvio, mulier medici opera liberata: eundem quadringentis aureis donavit.

HOrum ego testē te habeo, mi Posthume, quo tempore primum Romā venimus, quæ, puto universa intellexisti ab ijs, qui à nobis sanitati restituti fuerunt: inter quæ & hoc fuit revera admirabile factum: ob quod non solum mira loquentem, sicuti prius me plures medici, sed mira facientem appellarunt. Boethi uxor cum in muliebrem fluxum, quem vocant, incidisset, celebres medicos verita, inter quos & ego tum ab omnibus habebar, obstetricibus cōsuetis, optimis sane omnium, quæcunque in urbe forent, primum utebar. Vir ejus, ut ipsam nihil inde levari vidit, præcipuos quosque medicos convocat, & eos, quid opus sit factu, considerare jubet: postquam in eam sententiam ab omnibus itum est, ut ea remedia adhiberentur, quæ ab Hippoc. & alijs post Hipp. optimis quibusque descripta fuissent, voluit Boethus, semper interessem mulieribus, quoties aliquid ægrotanti ministrarent uxori, probaremq; singulas medicamētorum mate-

materias, quarum intentio ſummatim erat, non uterum modo, ſed univerſum corpus etiam ſiccare: unguenta inſuper admoverem, quæ muliebres locos ſupprimerent. morem Boetho gerebam. Sed, ita faciendo, cum deterius reddi morbus indies videretur, jure meeũ & reliqui dubitare cœperunt: & quamvis omnes requireremus ad alium ſanãdi modum tranſire, melius tamen quicquam, aut ratione inventum, aut experientia repertum non occurrebat, quam id, quod optimi quique medici paulo ante conſenſerant. Interea vero tumor in ventre, qualis in prægnantibus ſuboriri conſuevit, apparuit: quamobrem ex miniſtrantibus mulieribus nonnullæ revera prægnantem eſſe ægrotantem credidere: non tamen medicorum aliquis id verum eſſe arbitratus eſt: nam muliebris fluxus indicia, quæ ſingulis diebus excernebantur, earum opinioni refragabantur. Cum igitur ægrota mulier ab ancilla, quam fidam habebat, & alia ſibi fieri permitteret, quæ in prægnantibus fieri ſolent, & ſingulis diebus lavaretur, contigit, ut, in prima Thermarum cella vehementiſſimis dolorib. correpta, quales parientibus advenire ſolent, humoris aquei uſque adeo multum excerneret, ut animo defectam è thermis ipſam extulerit. In-

clamantibus ergo & vociferantibus ancillis, verum neq; pedes, neq; manus, neq; os ventriculi, quod usitato nomine stomachus appellatur, fricantibus, ipse, qui casu ante fores balnei constiteram, audito clamore, introme protipui: conspiciensq; frigentẽ, manu nardino unguento admota, stomachum laborantis ex eo confricui, ancillasq; jussi nõ frustra clamare, sed unam pedes calefacere, aliã manus fovere, reliquas odorandum aliquid naribus supponere: tunc itaque celeriter ipsam recuperavimus. Subsidente vero ob inanitionem ventre, summopere lætata est obstetrix, non tam quia, ut opinabatur, prægnans nõ fuisset, quã ut summisso ventre, medicis, qui sibi non crediderant, aperte cõtradiceret: eo quod vere intumuisse ventrẽ percepisset. Dubitartib. itaq; singulis, quid factu opus esset, (nã nec ad priorẽ intentionem mulierẽ sanare satisfidebãt, nec ad aliud curationis genus transire audebãt) noctu mihi de ea re cogitanti talequiddam novũ occurrit. Nam, quando, ut dixi, mulier animo defecit, nihilq; adjumenti ancillis afferentibus, sed tantũmodo clamantibus, ipse abrepto nardi unguento præcordia confricui, recordatus sum me tantã mollitudinẽ illic reperisse, ut cum animadvertissem postea me violentius à principio præcordia fricasse, timens,

timens, ne carnem lividam redderem, à violenta confrictione destiterim: partes enim omnes circa præcordia, si quis exacte comparare velit, lacti, quod coagulatur, nondum tamen in caseum obduruit, similes fuerant. Prorsus itaque mihi visum est insistendum nimiæ humiditati exsiccandę morbi, qui aquosus esset: excogitandumq; talem sanandi modum, quo non solum humiditatem siccaremus, verum etiam ita calfaceremus, ut æstatis præsertim tempore ægrotantis corpus non liquesceret, quod frigidæ & humidæ temperaturæ supra modum erat: hujus tamen contrarium tunc faciebamus, cum ipsam in harena maris calida decumbere præciperemus. In aliud quoque erroris genus, qui plerisque in morb. occurrit, tum nos etiam incidere collegi: labuntur enim sæpe medici, dum id quidem, quod redundat, evacuant: ne autem illi simile aliud gignatur, non prohibent. Atq; ideo mecum decrevi, ut universa victus ratio ad duo inclinaret, potus paucitatem, & totius corporis frictionem, quam non expice & resina subsequeretur in unctio, sed ex melle solo, multum quidem cocto, tantum tamen refrigerato, ut hac in re fontanæ aquæ similis æstivo tempore foret. Ac quemadmodum per cutem humorem redundantem evocare

melius esse cognovi, sic medicaminibus urinam cientibus eundem per vesicam educerem deliberavi, dandamque operam censui, ut per alvum etiam detraheretur. His animo præsumtis, septem ferme diebus qui subitam illam evacuationem subsecuti fuerant, Boëthum, qui nos & separatim singulos, & simul omnes aliquem sanandi modum prospicere hortabatur, seorsum ab amicis & domesticis in aliam cellam abductum, ita sum allocutus: Me, quem probe nosti usque in hodiernum diem, ne in una quidem re ad medicinam spectante deliquisse, tecum ipse considera, an totos hos decem dies circa uxorem tuam operam, quam velim, præstare sinas, ac, si melius interim se habere videbitur, totidem rursus diebus aliquid denuo circa eandem agere jubebis: sin nihil tibi profeciisse visus fuero, tum denique ab ea prorsus & ipse recedam. Hoc mihi cũ promte Boëthus concessisset, medicamento aqueũ humorem per alvum educẽte primo usus sum: post aquam, in qua asarum & apium ferbuerat, bibendam exhibui. Cum itaque duobus primis dieb. his remedijs adhibitis, uterus minus fluere cœpisset, tertio die rursus haud multum medicaminis illius exhibui, qui per alvum trahebat ea, quæ in uterum repebant, cum non solum per urinam

sed per

sed per alvum etiam humorem derivare vellem. Ab eo die postea quotidie & melle ipsam perunxi, & corpus confricui, mollissimo primum, tum asperrimo sindone: montanarum insuper avium carnes, & pisces saxatiles comedendos obtuli. Cum igitur diebus quindecim hisce remedijs usus essem, nullū prorsus morbi vestigium apparuit. quod cum animadvertisset Boëthus, quia plus etiam quam promiserā me præstasse vidit, ut prorsus uxorem suam liberaré, postulavit: præceptaq; exhiberem rogavit, quibus in posterū amplius eo morbo non ægrotaret. Cum itaque mense transacto & bene colorata mulier adeo foret, ut ad naturalem habitum nihil penitus desiderari posset, nec amplius fluxus indiciū aliquod supereſſet, quadringentos aureos ad me Boëthus misit, & nobilium medicorum invidiam auxit: nam me apud eos laudibus summis extollebat, affectabatque sicut & severus, mentionem de me facere apud imperatorem Marcum Aurelium Antonium, qui Romæ tunc erat, nam Lucius jam ad Parthicum bellum à Vologeso illatum urbe exierat. Galenus de Præcognit. ab Posthumum cap. 8.

DE

DE SVFFOCATIONE AB VTERO.

OBSERVATIO CCLXXX.

Ex retento semine uteri suffocatio & convulsio oborta.

QVoddam accidens apparuit in muliere, ex longo jam tempore vidua: quæ præter cætera mala, nervorum quoque distentione vexabatur, ac, dicente obstetrice, uterum esse retractum, remedijs, ad hujusmodi affectus consuetis uti decrevit: quibus adhibitis, partim ob ipsorum calorē, partim etiā quod inter curandum manibus tractarentur partes muliebres, oborta titillatione, cum labore & voluptate, veluti per coitum usu venire solet, excrevit crassum plurimumque semen, atque ita à molestia sua liberata est mulier. Proinde manifesta conjectura assecutus sum, vitiato semini majorem quam menstruis esse vim ad noxā universo corpori inferēdam. Itaque licet hæc quidem aliquando profluant è viduis, suppressum nihilominus semen molestiam noxamque ipsis inferre potest. Galenus lib. 6. de locis affectis.

In muliere, quæ uteralibus mrobis vexabatur, in

tur, in vulvam prius, deinde ex ea foras & copiosissimum & crassissimum semen effluere visum est: quod, quia diu vidua permenserat, tam multum, atque hujusmodi collectum fuisse manifestum est. Sed nunc ipsam lumborum, manuum & pedum distentiones quędam invaserant, ut convulsa esse videretur, quo tempore excretum est semen: dicebatq; se voluptate etiam simili affectam, qualis in coitu contingere consuevit. atque hoc semen quidem & crassum, & copiosum propterea fuit, quod multo jam tempore non fuerat evacuatum. Galenus lib. 2. cap. 1. de semine.

Vidi aliquando in urbe Papia, ubi arti operam dabam, viduam, quæ tamen juvenis amplius non erat, tam diris vexatam convulsionibus, ut immundo spiritu correpta videretur, epilepticis alioquin simillima facta.

Alia matrona rustica, cum à retento semine miris modis divexaretur, adijt me, & ea narravit, quæ pudor scribere non simit. Quiescere non possunt, nec edere, nec dormire, animus mirum in modum illis perturbatur, & tandem ad suffocationem deveniunt, aut vitam cum morte commutant. Thaddæus Dunus libro Miscellan. de re Med. cap. 9.

OBSER-

OBSERVATIO CCLXXXI.

Uteri suffocatio ex hæmorrhagia saphiæ per imprudentiam & fortuito commissa.

QVem ipsi accepimus oculis animoq; sensum, hunc si apud vos tanto audacius exponimus, quanto propius & verius adsententiã accedit veteris magistri Hipp. In veteri vico tẽpli domiciliũ habebat magnus, qui fuit regis aliquando prætor. Cui tũ in œconomiã subserviebat vir sane bonus, Thomas Duchemin ἔυσαρκος, & ejus uxor. Hæc vero quum aliquando vesperi exuisset sese ineundi gratia somni, illi (ut ajunt) forte fortuna exciderat è vaginula cultellus acutior in succinctum, aut potius implicitum illius amiculum. Nocte exacta nudum cultellum una cum vestimẽtis nihil cogitans mulier recepit die sequẽti. Deinde etiam mane egreditur, ac sese in emporiũ confert pro more suo. Vnde quum redit, & ad patentes fores accedens, diffidensque ne maturius illæ sibi præcludantur, dum vetat id, & eminus clamitat, ecce in foveolam imprudẽs impingit paviměti, & haud auspicato quidem delabitur in manus suas. Atque eo quoq; casu in sapheiam ipsius cultelli acies adacta est, qui extremis oris vestimenti defluẽtis circum pedem

dem clam continebatur. E cujus vulnere per hæmorrhagiam tanta consequuta est inanitio vasorum,& vacuitas,maxime vero uteri,ut in discrimine summo vitæ ab uteri suffocatione versari, imo & pene animam agere omnibus videretur. Veruntamen illi expedita per nos curatio opportune fuit atq; perfecta: pleniore cibo nimirum,quiete, somno, atque ijsce quæ suo loco uterũ quidem continerent: grati præterea odoris rerum suffitu,fotu, enemate hysterico, cucurbitis ad crura interna admotis &ventrẽ imum. Quid vero hæc ad rem, nisi quod uterus effectus levior, quia inanis, conscendit ad hepar, qui per oppressionem periculum creabat tunc quoq; suffocationis. Cordæus Com.2. ad lib.1.de Morb. Muliebr. Hipp.

OBSERVATIO CCLXXXII.

Ex Zelotypia suffocatio ab utero,velut ab alijs animi passionibus.

PRovenit quoque animi affectu: idq; ego sæpe vidi, cum aliqua mulier ex zelotypia viri irascetur,& animus valde afficeretur, tũc sequuta illa suffocatio. Et ego novi quasdam mulieres, quæ ita irascebantur & afficiebãtur zelotypia, ut statim caderent in hunc morbũ, & perpessæ sunt sæviſſima accidentia. Ioan. Bapt.Montanus in Consil.de Suffoc. ab Vter.

OBSER-

Muliebrium teſtium ſinus, & in illis contẽtu humor obſervatus, qui in ſanis craſſiuſculum lactis ſerum exprimit: in ægrotis vero croceus, fœtidus, venenoſusque evadit: ex quo virgines núbiles, amantes, pallentes, menſtruis purgationibus deſtitutæ, & attenuato corporis habitu præditæ, lethales plerunque uteri ſuffocationes incurrunt.

HAbent mulierum teſtes intus, præter vaſa, ſinus quoſdam tenui aqueoque humore plenos, qui prius non læſo teſte, ſed vi compreſſo, ac inflatæ veſicæ modo crepante in miram altitudinem inter diſſecandum, nõ ſecus quam ex ſcaturigine quadam exilire ſolet. Vt vero is humor velut craſſiuſculũ lactis ſerum in ſanis mulieribus albus eſt, ita quoque illum mire luteum, croceumque & paulo craſſiorem deprehendi, in duabus non vulgariter nobilibus puellis, quæ ante mortẽ uteri ſtrangulatu vexabantur, quibuſque alterius teſtis ſinuum unus duntaxat, inſtar majusculæ pilæ protuberabat, croceo humore illo infartus, & conterminas ſedes non ſecus tingens, quam in hominibus colon inteſtinũ, qua ſub jecore fertur, à bilis veſicula luteum reddi cernimus. Vtque hujus humoris liquo-

riſve

risve rarus occurrit color, ita quoque graviſſime olebat; venenoſumque quid & tetrum præ ſe ferebat: illorum cerebri ſymtomatum indubie author, quæ in uteri ſtrangulatu indies oboriuntur. Una virgo annos nondum nata quatuordecim, ex pulmonum, ut videbatur inflammatione, & frequenti in eo morbo uteri ſtrangulatu perijt, qui non ita pridē moleſtus eſſe cœperat. Altera annos jam attingens duos de viginti, poſteaquam uno aut altero anno inſigniter palluerat, illiſque ſymtomatibus ſubinde oppreſſa fuerat, quibus puellas modo fere teneri conſtat, quæ perdite amantes, menſtruas purgationes diu ſuppreſſas habent: aut quibus albus ille & crudus humor longo intervallo profluit ſuffocatione ita interijt, ut cum porrecti veneni parentibus incideret ſuſpitio, ea mihi mediciſque aliquot ad expetitam ſectionem obtigerit: quam præter ingentem pulmonum albedinem mollitiemque, ac totius corporis exanguem habitum nihil vitioſum, vel circa uterum ipſum, deprehendi, præter luteum illud miris modis olens alterius teſtis tuberculum. Veſalius lib. 5. cap. 15. de corp. hum. fabrica. Poſterioris puellæ multis alijs morboſis cauſationibus defunctæ meminit idē author in Epiſtola de radice Chinæ pag. 73. edit. Venetæ.

OBSERVATIO CCLXXXIV.

Causa hysterica accessionis vapor est ex utero, non tam per venas & arterias, quam per ductus cæcos & latentes sublatus, veneficus & malignus: neq; à menstruo, vel semine tantum, sed & alijs venenatis & corruptis causis suscitatur.

VArij sunt ordines, variæque hysthericarum accessionum formæ, quæ circuitu ut epilepsia repetunt, alijs quidem crebrius, alijs rarius, dum discussa sit earũ causa. Sub accessionis finem humor quidam ex muliebribus locis excurrit, intestina obmurmurát, deinde oculi attolluntur, malæ rubescunt, intellectus, sensus ac motus restituitur, & corpus firmari incipit. Sæpe tamen deprehensum est frigus tum temporis è capite per cervicem in scapulam & brachium illabi, quod stuporẽ, difficilemq; motum redderet, exhiberetq; speciem quandam paralysis, sed quæ nõ multo post discuteretur. Causa quidem accessionis hysterçe est vapor ex utero, nõ solum per venas aut arterias, sed & per spiracula cæca & latentia sublatus, arq; is certe venenatus, tamq; malignus ac pernicioſus, ut partiũ, quas attigerit, facultates offendat, earũq; functiones intercipiat. Si vaporis naturam spectemus, plurimorũ veneno-

nenorum conditione frigidus & melancholicus est. Hujus focus est uterus, in quo vel mẽstruus sanguis, vel concluſum ſemen, vel alius quivis humor in hanc venenatam malignitatem corrũpitur. Vt igitur ſæpe animadverſum eſt comitialem morbum ab utero vel in prẽgnante ſuſcitari, in quo venenatus humor tetrũ vaporem in cerebrũ expiraret, ipſumq; morbum cum partu finiri: ita & de hyſtericis ſymtomatib. credendũ. Hæc autem vix putẽ duntaxat vel à mẽſtruo vel à ſemine ſuſcitari, cum &eas, quę bene purgantur, & uterũ geſtant, & viri conſuetudine fruuntur, plerumq; fatigẽt: cumq; ſupra quingentos eodem cœnobio degere videamus, quæ diu conſuetum veneris uſum intermiſerunt, nullo hyſterico ſymtomate. Quivis aũt humor in utero hoc modo corruptus, ejus generis vaporẽ ex loci natura venenatum expirat, & unde vita, illinc & ſumma veneni pernicies exoritur. Hinc fit, ut tametſi viris diu hæmorrhoides ſuppreſſæ ſint, aut veneris uſus ſit intermiſſus, nulla tamen hyſtericis ſimilia ſymtomata contingãt. Hæc quoties gravia incidunt, noſcũtur quidem facile, levia difficile, quod melancholicis aut cardiacis nõ admodum ſint diſſimilia. Debent aũt omnium affectarum partium obſervatione, omniumq; ſignorum cõſenſione diſcerni. Fern. lib. 6. c. 16.

OBSERVATIO CCLXXXV.

Vteri ſuffocationis ſymtomata varia & rara ex ſympathia partium, cum quibus conſentit, nata.

QVia uterus maximum cum corde per arterias habet conſenſum, cum cerebro vero per ſpinæ membranas & nervos, horũ membrorum actiones varie læduntur, admirandaque ſubſequuntur ſymtomata, præſertim ſublato tetro vapore ſurſum ex cauſa cõjuncta ipſius affectus. Cum acceſſio imminet torpor mentis, pigritia, crurum imbecillitas, pallor quidam faciei. Hinc ſopor gravis, mentis deſipientia, ſenſuum interceptio ἀφωνία, crurum contractio & ſimilia. Quibuſdam riſus, alijs lachrymæ, alijs utrumque, ut D. de Rochepot: quæ cum varicoſa eſſet, eo affectu corripiebatur, cum delirio, riſu, lachrymis, contractione oculorum. Alteri riſus, deinde perturbatio mentis: hinc lachrymæ, à quibus etiam monitæ non ceſſant. Sed nihil admirabilius, quam quod duabus filiabus Præſidis Rhotomagenſis contingere ſolebat in motu ſurſum uteri, quo intervallis laborabant. Riſu enim longo ad horam, & horas duas imminente paroxyſmo capiebãtur, quẽ neque metu injecto, neque hortatu, neque alijs artibus poterant compeſcere. Parentibus in-

bus interrogitæ & objurgatæ respondebant se non posse continere rium. Alijs prius lachrymæ, deinde risus movetur in eodem affectu. Sunt quę magnam ducunt respirationē, in quibus necesse est nullā fieri cōpressionem stomachi & cordis, sed materiā alioferri. Inclinante accessione humiditas quædam è locis muliebribus prodit, ventris strepitus, laxatio uteri. Circuitu quodam redit morbus, hyeme præsertim & autumno. Causæ sunt refrigeratio uteri, spermatis corruptela, humor quidā crassus, & veluti seminalis in utero corruptus, grumus, menses suppressi, lævigatus & nimium vacuatus uterus. Sic enim ad loca humida sese convertit, & è capite ac reliquo corpore immodico labore siccatus trahit. Id quoque gravidis fieri potest inopia alimenti sicciore facto utero, & concalfacto labore. Eodem modo è defluxione pituitæ à capite in præcordia & impedita respiratione, utero ad humiditatem concurrente. In remedijs hæ omnes causæ distinguendæ. Alij ajunt vacuato utero, ut per immodicam mensium fluxionem, aëre uterum repleri & ita inflari connivente collo. Gratis etiam odoribus ad nares quibusdam ascendit. Scholiograph. ad cap. 59. lib. 1. Hollerij de morb. intern.

OBSERVATIO CCLXXXVI.

Ex ſuffocatione uterina voces horrendæ in paroxyſmis.

IN ſuffocationibus uterinis quam multa obveniunt, quæ ſæpe inexercitato medico ſuſpicionem numinis prębuerunt? quando à venenato ſpiritu inflatæ arteriæ, diductæque in amplitudinem, ſecundum longitudinem contrahuntur, unde neceſſe ſit aliquando mulierem ſtrangulari: undè & voces mirandas eximis viſceribus exaudiri, nunc velut ranarum coaxatus, nunc ſerpentium ſibilos, crocitus corvorum, gallorum cucurritus, latratus canum, &c. quæ tamen pro viarum & erumpentis ſpiritus proportione caſus effingit. Corn. Gemma lib. 1. cap. 7. Coſmocrit.

OBSERVATIO CCLXXXVII.

Ad uteri ſuffocationem remedia rara, exemplis nobilibus demonſtrata.

ADfertur è nova Hiſpania lapis, quẽ uteri morbis adprime utilem eſſe ferunt. Niger eſt, admodum politus, ponderoſus, majore ex parte teres & rotundus. Mirum porro eſt quod de hoc lapide prędicant: nam mihi affirmavit nobilis quædam & magnæ autoritatis matro-

matrona, quæ eo usa est, & in umbilico gestavit adeo firmiter inhærentem, quasi isthic adglutinatus fuisset, ex quo præsens & certissimum sensit commodum: idem aliæ asserunt, quæ simili modo isto lapide sunt usæ. Cum uteri suffocationem imminentem præsentiunt, adhibito lapide, subito levantur: & si eum perpetuo gestent, nunquam simili morbo corripiuntur. Exempla hujusmodi faciunt ut his rebus fidem adhibeam. Monardes l. 3. Simpl. Medicament.

Contra matricis suffocationem unguem Alcis præsentaneum esse remedium, & ab alijs audivisse, & periculo facto me cognovisse fateor. Nam accersitus ut medicam manum adhiberem cuidam mulieri suffocatione oppressæ, data hujus unguis rasura cum radice zedoariæ, alijsque auxilijs ex arte adhibitis, optatum finem cum honore sum consecutus. Cum preterea intelligerem, eandem sæpenumero eo ipso morbo tentari, ut partem hujus unguis collo appensam jugiter portaret, injunxi. quod cum sedulo fecisset, quamdiu ego interfui, tribus nempe mensibus, ea semper molestia caruit. Vnde mihi multoties gratias egit. Apollonius Menabenus cap. 10. De Alce.

Nicolaus Florentinus narrat, se plurib. ex-

perimentis probasse, ovum antiquum in nido conservatum, si conquassetur & supra parvum linteum apponatur utero, mito quodá modo restituere uterum. Mercurialis de morb. Muliebr. lib. 4. cap. 21.

Inter cætera, quod omnium maxime solet mulieres præfocatas quasi momento revocare, est evaporatio facta ad nares, ex pulvere verrucarum, quæ tibijs equorum adnascuntur, quæ si in calente furno exsiccentur, & in pulverem redigantur, & naribus suffumigiũ fiat, tanquam præsentaneo remedio, & magna adstantium admiratione, solent mulieres quasi à mortuis revocari. Albert. Bottonus de Morb. Muliebr. cap. 47.

Bryonia mulieres vulvæ strangulationibus obnoxias mirum in modum juvat adeo ut eas à strangulatu liberet & sanet. Equidem novi mulierem quotidie fere per annos hoc morbo vexatam, quæ tandem à quodam vulgari herbario edocta, ut vinum album biberet, in quo vitis albæ radicis uncia efferbuisset, dormitum itura semel in hebdomada: cum hac medicina per annũ usa fuisset optime exillo morbo convaluit. Matthiolus Comment ad lib. 4 cap 176.

In uteri strangulatu, habeas singulare remedium: Iulos sive catulos juglandis in pulverẽ exic-

exiccatos contũde: datur ad ſcrup. duos, cum guttulis duabus olei ſuccini. in eo affectu nihil unquam novi præſtantius. Thomas Mouſetus in Epiſt. ad Pet. Monavium, exhibita lib. 3. Conſiliorum & Epiſtolarum Medicinalium Cratonis & aliorum per Laurent. Scholzium, pag. 354.

Quod nuper in uxore mea experti ſumus, præfocatione matricis graviter laborãte; quæ vis in caſtoreo eſt, ut epotum repente cruciatus omnes tollat, jactationes reprimat, matricem in ſedem ſuam retrahat, ibiq; ſiſtat, morbum denique omnem, cum acerbis periculoſiſque ſymtomatibus propellat? Andreas Dudith. in Epiſt. ad VVenceſlaum Raphanum eodem opere & libro pag. 303.

Excellentiſſ. D. Crato præceptor olim meus, omni laude & memoria perpetua digniſſ. inter alia ſua euporiſta commendabat in ſuffocationibus uteri & ſimilibus affectibus unguẽtum ex Sclarea, cum butyro, coctum, cui adijcitur aliquid gummi iſtius exotici, Taka mahacę, quod etiam tum umbilico imponendum. Ioach. Camerarius in horto.

Angelica odorata quæ ſponte creſcit, in Norvegia, Pomerania, & alibi, præſtans medicamentum eſt contra ſuffocationem matri-

cis cum zedoaria in vino calido exhibita. Camerarius in horto.

Radicis petasitidis vulgaris pulvis cum Zedoaria & Angelica præstans est remedium in suffocatione matricis.

Peucedani radix in ore retenta, efficax est in suffocatione matricis. Camerarius in horto.

Ad strangulatum uteri Accipe assæ fœtidæ scriptulum, fiant pillulæ tres, vel plures, inaurētur, deglutiat eas cum malo tentari incipit. Ioan. Heurnius lib. 2. method. ad Praxim. 588.

OBSERVATIO CCLXXXVIII.

Ab utero suffocatæ, pro mortuis habitæ: & sæpe quoq; elatæ, atq; tumulatæ, revivíscentes.

FOeminarū sexus videtur maxime opportunus conversioni vulvæ: quæ si corrigatur, spiritus restituitur. Huc pertinet nobile illud apud Græcos volumen Heraclidis, septē diebus fœminæ exanimis ad vitam revocatæ. Plin. N.H. lib. 7. cap. 52.

Sic Rabi Moses ex libro Galeni quem Patriarcha transtulit, mulieri accidisse ex matricis suffocatione scribit: nam sex continuis diebus eam sine sensu & motu, arterijs etiam induratis tumulandam jacuisse fatetur, & denuo

nuo revaluisse. Georg. Pictorius serm. Convivialium lib.1.pag.20.

Fœminæ aliquando in Vulvæ cruciatu elatæ in sepulchris ad vitam rediere: quæ pro alterius mortuæ sepulturæ detectæ, locum mutavere, atque ita miserrime mortuæ inventæ sunt: septuaginta propterea & duas horas, antequam humentur decrevere. Alexand. Benedict. Pract. lib.10.cap.10.

Nonne monstri simile est, extitisse mulieres, quę hysterica suffocatione correptę: triduum totum sine motu, sine respiratione, pulsuque, quod equidem appareret, jacuerint, pro mortuis per errorem elatæ. Parcus li.24.c.19.

Dum in Gallijs Praxim exercerē, in manibus habui mulierē ex Vteri suffocatione pro mortua habitam ex semine retento, in qua 24 horis integris vita adeo latebat, ut eam astantes mortuam putarent. Quamvis illa ipsa Dei omnipotentis auxilio, per me sanitati restituta fuit magno cum meo honore, tempore juventutis, primo anno cum praxim ibidē exercerem. Forestus Scholio ad Observ.79.lib.10.

Sæpe contigit præfocatam mulierem vitali omni functione ita frustrari, ut à mortua nullo modo distingui posse videatur, præsertim cum, ob refrigerationis intensionem, calor imbecillis adeo reddi soleat, ut pulsatio, respira-

respiratio, sensus ac motus omnis ablatus sæpe conspiciatur, magnoque errore illam tanquam mortuam presbyteris aliquando committimus, ideo ut procul ab omni mendacio sententiam nostram proferre valeamus, cum Gal. inprimis tenuem lanæ floccum, vel plumam naribus perforatæ admovendam curabimus, quæ si pulsum aliquem patietur, non leve vitæ argumentum nobis erit. Ad cujus similitudinem, vitrum quoque aqua plenum, super ventriculi regionem alij imponunt, diligenterque intuentur, si aqua illa quovis modo moveatur, tunc vestigium aliquod vitæ in eadem superesse significabitur.

Et mihi semel in hac urbe occurrit nobilis matrona, quę hoc symtomate correpta, astantium omnium consensu mortua judicabatur. Cujus rei ut certior ego quoque fierem, specillum perpolitum accepi, orique & naribus ejus apposui, quo cum aliquo modo infectum & obscuratum observassem, spe aliqua de illius vita concepta, astantibus omnibus statim significavi in mortua muliere aliqua adhuc me experiri velle. cumque multa & varia fieri jussissem, tandem summa omnium admiratione, sensim revivisceré cœpit, ut ad consuetas functiones tandē reversa etiam fuerit. Quod cum præter omnium opinionem evenisset,

Mulie-

Mulierem à mortuis revocatam fuisse magno gaudio & mei applausu clamabant omnes. Et de insperato, felici tamen eventu, mutuo amplectebantur & toto corde mecũ simul congratulabantur. Vbi autem perfrigeratio usque adeo intensa facta fuerit, internusq; calor ita exiguus redditus, ut externa omnis respiratio sublata sit, jam proposita experimenta ad verum judicium deferẽdum nihil nobis amplius conferrent. Sed tenuis lanæ floccus, pluma, & vitrum aqua plenum immota manebunt, speculique nitor integer servabitur, non propterea mulier ista necessario vita destituta erit, quia etiamsi omnis pulmonum motio, qua respiratio fit, auferatur: adhuc tamen interna caloris transpiratio servari potest, quæ nõ pectoris, aut pulmonum motu editur, sed cordis potius, internarumq, arteriarum latenti quadam motione efficitur, cujus solius gratia vita servari & superesse potest. Quemadmodum pleraque alia testari possunt, quæ tota hyeme frigida & immota in cavernis permanent, ut omnibus citra ullam controversiam mortua esse videantur, quia tamen interna illa transpiratio cordis & arteriarum, occultiori motu facta, adhuc permanet, hinc fit, ut æstate superveniente, internoque calore ad exteriora denuo revocato, veluti à mortuis resurgant.

Quod

Quod ſane illis evenire minime poſſet, ſi cum externa illa reſpiratione, interna quoque caloris trãſpiratio ſublata eſſet, cum à privatione ad habitũ regreſſum fieri poſſe negẽt philoſophi omnes. Tanta igitur eſt tranſpirationis caloris neceſſitas ad vitam, tantaque horũ duorum unio extat, ut quẽadmodum vita ſine tranſpiratione, ita nec trãſpiratio ſine vita eſſe non poteſt. Cęterum quia interna hæc caloris tranſpiratio, nullo ſenſu, nulloq; ſigno à nobis diſtingui poteſt, ac proinde ſimul etiam ignorare oportet, an præfocata mulier vitali omni calore deſtituta ſit, quid nobis agẽdum erit, ne in hoc ſymtomate mortis æmulo errorem cõmittamus, in magnaq; noſtra infamia, tanquam mortuam ſepeliendam amittamus? Conſultius fore ego exiſtimo, ut nobis deficientibus certis ſignis, vitam à morte diſtinguẽtibus, familiaribus ſaltem mandemus imperemuſque ne pro conſuetudine hujuſcemodi mulieres ſepeliri permittant, ſed propriæ domui longiori tempore illas detineãt, per duos inquam aut tres dies, quo tempore, ſi nullum vitæ veſtigium apparuerit, ſed fœtorem potius emiſerint, mortis certiſſimum argumentum omnibus eſſe poterit. Albertus Bottonus lib. de Morb. Muliebr. cap. 44.

OBSER-

OBSERVATIO CCLXXXIX.

Quæ ex uteri ſtrangulatu mortua credebatur, à medico ad Anatomen adhibita, inexpiabili & famoſo errore occiſa eſt.

ANatomicæ commentationis jacentis & prope neglectæ parens ac reſtaurator in Hiſpania ad nobilem mulierē, quæ ex hyſterico ſtrangulatu mortua credebatur, diſſecandam vocatus, ecce ad ſecundam adactæ novaculæ impreſſionem derepente ad ſe illa redire, & artuum corporisque, quod pro cadavere habebatur, motu ac clamore, vitæ adhuc ſuperſtitis ſigna præbere cœpit. Quæ res circumſtantes amicos in tantam admirationem horroremq; rapuit, ſic primæ & melioris notæ medicum illum infamem, odioſum & deteſtabilem reddidit, ut parum abfuerit, quin unguibus omnium è veſtigio diſcerperetur & laniaretur: nihilque prius ſibi eſſe duxerit, ſi ſalvus eſſe vellet, quam provincia quam citiſſime excedere, ſeque fuga invidiæ ſubtrahere. Sed ne ſic quidem inteſtinum tortorem ac carnificem, quo judice nemo nocens abſolvitur, male nempe rei geſtæ conſcientiam fugere potuit. Itaque non ita multo poſt mœ-

ſtitia

stitia confectus, magno rei & publicæ, & medicinæ detrimento interijt. Pareus libr. 23. cap. 46.

DE PROCIDENTIA VTERI.

OBSERVATIO CCXC.

Stupēda mulieris cujusdam uteri prolidentia: cui ille humani capitis magnitudine annis aliquot salva vita foras propendit.

PAulus negat, totam vulvam posse procidere. At nostris temporibus in una & altera, totam procidere extra sinum, vidimus, ex cornibus tantum, & quibusdam adhuc ligamentis suspensam, cujus rei etiam hodie testimonium adferre possumus. Andernacus Comment. ad cap. 72. lib. 3. Paul. Æginetæ.

Memini mulieri cuidam uterum prolapsum totum foras ad humani capitis magnitudinem pependisse, ac sic hanc aliquot annis miserè vixisse. Dodonæus Annot. ad cap. 11. Benivenij de Abditis.

OBSER-

OBSERVATIO CCXCI.

Vteri puellæ procidentis, mira ſymtomata.

SI fundus procidat, ſublatis cruribus facile redit: ſi vincula, declinet in latus unde dilabuntur. Puellæ cuidam (quod à nobis annotatum eſt) tremor ſiniſtra parte in facie & thorace, non inferioribus partibus. Decumbenti in ſiniſtram movebatur: quieſcebat revolutæ in dextram. Mane & veſpere movebatur. Ardebat ſimiliter & frigebat. Suppreſſi menſes annis fere tribus, facies ſaturato rubore, teneſmus, dolor ſtomachi, lien inflatus. Scholiograph. ad cap. 57. libr. 1. Hollerij de Morb. Intern.

OBSERVATIO CCXCII.

Iſchias credita: cum eſſet uteri prolapſus, qui curatus eſt.

MVlier non bene purgata poſt partum, & cum alij exiſtimarent iſchiade laborare, Medicus juſſit obſtetricem explorare num uterus ad coxam eſſet delapſus, quod accidiſſe deprehenſum eſt. Opus itaque fuit chirurgia. Recte collocata in ſella cava vel lecto, ſuffumigia rerum fœtidarum inferius, & naribus odorata adhibita, poſtea digitis ol. Amygdal.

dulc.vel amar.inunctis,uterũ obſtetrix revulſit à coxa,& recte direxit: jacuit aliquantiſper in latere ſano. Lucillus Philalthæus Tom.2. Curat.fol.153.

OBSERVATIO CCXCIII.

Vteri ex varijs cauſis procidentis hiſtoriæ.

DVrlaci duas mulieres curavi, quibus magna parte uterus procidit, quem reſtitui. Caluvæ ſymmiſtæ uxori, cui procidit: forſan propter conatum in pariendo fortiorem, adhibitis remedijs,gratia Dei curavi.

Non abſimiliter & ſanata, & reſtituta eſt quædam in pago VVetteinſchvvan,quæ clandeſtine ſurripuit ſchedulam vel receptã,contra morem,ex pharmacopolio,ut in conſimili caſu apud alias uteretur.

Paucis ab hinc annis maniaca ex xenodochio mihi curanda, oblata eſt, quæ continua ſuccuſſione & pulſationibus inceſſabilibus, pedes & ventrem refrigeravit, carceri inclusa,adeo ut matrix facta ſit procidua. Eam annuente divino numine liberavi ex his malis. Cum omnia recte ſe habere viderentur,peſte correpta eſt,&tamen evaſit.Ita mirabilia ſunt opera Domini,qui ſolus languorẽ & dolorem conſi-

considerat. D.D. Esaias Meichsnerus de Observat.propr.

OBSERVATIO CCXCIV.

Procidentia uteri curata.

MEmini curatam à me juvenem mulierem, cui ovi gallinacei magnitudine extra vulvam uterus propendebat, tantumque curatione profecisse, ut postea pluries conceperit, pepererit, nec denuo uterus relapsus sit. Pareus lib. 23. cap. 40.

OBSERVATIO CCXCV.

Puella, uteri procideatia laborans, mortua.

ILlustri & generosæ virgini, duodecim annorum, uterum nigricatum & putrefactum excidisse novimus, & perijt. Erat autem natura debilis constitutionis ex utero materno. D.D. Esaias Meichsnerus de Observationibus proprijs.

OBSERVATIO CCXCVI.

Historia mulieris quæ cum uteri procidentia laborans concepisset, ex aborsu mox interijt.

OMnes Vteri affectus possunt sterilitatem afferre, sicuti procidentia uteri: quamvis viderim mulierem, cui uterus plurimum prociderat, gerétem in utero, quæ ex abortu mox obijt. Trincavella lib. 11. cap. 17. de med. hum. corp. affect.

OBSERVATIO CCXCVII.

A Diarrhœa in partu uterus cum secundina prolapsus, unde mortua mulier.

FIlia hominis coqui, prægnans, ante partum mortem optabat, & eventuram prædicebat; pridie, ajunt, ingenti laborasse diarrhœa, noctu facile peperit, inter pariendum uterus cum secundina prodijt, qui restitutus est, quávis ignorarent uterum esse. Mane vocatus, quum omnibus viribus destitueretur, & vix pulsus sentiretur, uterus extra propendebat, turgens admodum, quem cum attingeré, effluebat liquor sanguineus, & serosus, ita ut existimarem, quum nihil tale vidissem, esse molam aliquam quæ utero firmiter adhæreret, mecum idem sentiebaut obstetrix & Chirurgus. Ego ob rei novitatem nihil tentare volui, curans vocari Ioannem de Argent. erant ejus opinionis, futurum, ut præcideretur; id tamen noluerunt, absente illo Chirurgo, tentare. Præscripsi Cataplasma remollien & suppurans,

purans, cujus præparationem non expetebāt, statim enim moriebatur. Defuncta illa, tumore aperto, animadvertimus nihil aliud esse, quam uterum eversum. Mirabar non à me agnitum, licet id primo suspicarer. Verum id effecit ignorantia obstetricum, deinde quod dicerent nullam vim fuisse in pariendo, & fluxus comprimendo, quum arterijs & venis alligaretur. D.D. Ioan. Bauhinus de Observat. propr.

OBSERVATIO CCXCVIII.

De uteri procidentiam simulante.

NOn ita pridem prostituti pudoris mēdica Lutetianis pauperum curatoribus se obtulit, rogans ut in album pauperum stipendiosorū referreretur, sibi enim ex laborioso & difficili partu uterum ptocidisse, itaq; non potis esse aliquid operæ facere, unde victum compararet. Tum illi, eam de more à chirurgis ei muneri destinatis probari & examinari jusserunt. Hi re tota ejus lustrata & cognita, fraudem subesse renunciarunt. Vesicam namque bubulam inspirato flatu semiplenam, & turpi sanguine oblitam, cervicis extremo, ad quod spōgiolam attexuerat, in uteri sui cervicem intruserat, mox enim uteri solita & humida eluvie differta, & turgente spongiola,

bubulam vesicam propendentem stabiliri sic, ut sine prolapsionis metu facilis mēdicæ incessus esset, nec nisi summa vi revelli posset. Ob hæc vaframenta in carcerem conjecta est, & locis ante à carnifice operta, in exiliū relegata est. Haud huic absimilis est eorū techna, qui scite appositō inguini ventre ovillo hernioſos se simulant. Pareus lib. 24. cap. 18.

OBSERVATIO CCXCIX.

Ad uteri procidentiam remedium rarum, certum, & à veteribus non satis cognitum, at recentiorum usu comprobatissimum.

PRimo notare oportet, uterum modo magis, modo minus prolabi, tā propter causas externas & violentas, quam internas, & id vel ratione humorum, aut sine humoribus: quæ uteri ligamenta labefactant, & resolvunt, aut ipsius orificium & cervicem dilatant. Hoc enim non solum ex solo aliquo tumore, aut ipsius solidi corporis plenitudine, quod potius uterum in corpore retineret, quam quod propelleret, accidere solet. Quod inde manifestum fit, cum minus prolabatur & relaxetur menstruis instantibus (quo tamen tempore succu-

succulentus, plenus, & gravis est) aut tempore gestationis, quam fiat post fluxū menstruorum, aut post puerperium: propterea quod menstruum, antequā profluat, tumidum reddit, aut infans, quia antequam in lucem edatur, uterum implet: hæc, ne procidat per orificium proprium & cervicem tum nimis angustam, quam ut uterus adeo dilatatus prolabi possit, impediunt, ita ut tum temporis mulier quasi curata videatur. Verum cum non diu in corpore uterus per se remaneat, Medicus arte auxilium fert, ut Hippoc. lib. de Morb. mul. docet. Sed & experientia nova ostendit, præ cæteris remedijs, conferre certi alicujus Pessarij insertionem, quod forte casu inventum, aut potius (meo quidē judicio) ab industrio Medico, qui id quod natura tempore gestationis facit, aut instantibus menstruis imitaturus erat: & hoc quo impediatur, ne hæc demus, uterus nimirū (ut sic loquar) per proprium ostium egrediatur. Pessariū vero hoc, non simile est ijs, quę solum in cervicem uteri inseruntur, propter varios & diversos uteri morbos, quos aliquib. peculiari nomine Lemniscos vocare placuit: sed & cōmodum & idoneum est, ad indendum & retinendum in propria ipsius uteri concavitate. Pessi, aut pessarij, aut Emmoti nomen, aliunde mutuantes, ipsi

tribuimus (alijs nominibus deficiétibus) cum de eo in ſpecie ab antiquis nil fuerit traditū. Qui voluerit, Symphonem (Gallis ſoupompe dictum) nominare poterit, ad ſimilitudinem inſtrumentorum hydraulicorum, quæ à Gallis pompes nominantur, cum quibus in uſu ſimilitudinem aliquam habent. Illa enim uterum in corpore retinent, quemadmodum hic ipſam aquam in hydraulo.

Quod à veteribus de hoc peſſario nihil unquam perfecte traditum fuerit, mirum non eſt, cum infinita ſint levia & commoda auxilia, quæ à mulieribus expirientia quotidiana inveniuntur: quæ non minus ingenioſæ ſunt in morborū propriorum auxilijs adinvenien-dis, quam natura verecūdantur viris morbos ſuos exponere, qui inter ipſas ſecreti habentur, ita ut plerique ex ipſarum Medicis ignorent: credo ego, apud ipſas hoc Peſſarium in loco ſecreti habitum fuiſſe. Verum hoc tempore Chirurgorum aliqui hac de re, ſed diverſimode libros conſcribunt, & lectiones habent: nimirum quoad materiam, ex qua hæc Peſſaria facta ſunt, quoad figuram, & quoad uſum. Aliqui enim ex ſola cera, alij ex argento, aut auro excavato, alij ex ſubere cera tecto conficiunt. Præterea aliqui figura rotunda, alij ovali, alij triangulari, aut quadrangulari, inæqua-

inæqualib. tamé lateribus, aut in angulos obtusos formant: alij forma cordis depressi, alij extrotunditate oblonga & obtusa figurãt: alij deniq; rotundos in latitudiné, quæ in medio aliquando, aliquando vero nõ perforata sint, parant. Sic etiam multi indentes, funiculum ad alterum extremum alligant, quo commodius quando voluerint extrahere possint: alij absque funiculo indunt, ita tamen ut sine magna molestia, quando visum fuerit, extrahere possint, non secus quam si funiculus alligatus esset. Sunt vero alij, qui nunquam eximunt, quale hoc est pessariũ, de quo sermo est quod quando in interrori uteri capacitate est, tamé nihilominus mulieres viris concumbere possunt, etiam maritis, si modo ipsæ velint, ignorantibus: siquidem non solum locus laxus & amplus est, in quo continetur, sed etiam figura æqualis & polita est. Nec impedit etiam quo minus mulier concipiat, eundem conceptum retineat, utero gerat, & pariat. Quod sane admirandum auxilium, tutumq; est, quo tanto malo præcipitationis uteri occurri potest, ita ut sæpius malũ omnimode curet, postquam aliquo temporis spatio in corpore gestavere, ita ut eo opus postmodum non habeant. Imo etiam si mulieres prius propter uteri præcipitationem concipere non potuere, ut

concipiant auxilio est. Si enim Epiploon os uteri comprimens, ut 5. Aph. 46. Hippocrates habet, cõceptum impedit, quanto magis tantus uteri prolapsus id impediet, qui in seipsum relaxatur, quasi seipsum oppressurus, nisi hoc modo in his occurreretur: quemadmodum in alijs fit, corpus emaciãdo, quod sæpius diæta convenienti à nobis præstatur. Francisc. Rousset. sect. 6. cap 3. & 4. de Partu Cæsaræo.

Pessariorum duo sunt genera: alia enim in cervicem solum uteri induntur, & quibusdam Lemnisci dicuntur: alia in propriam uteri cavitatem intruduntur. Horum materia diversa est: aliqui enim ex sola cera: alij ex subere, cera tecto: alij ex ferro albo, cera obducto: alij ex argento, aut auro excavato conficiunt. Horum etiam figura diversa existit: alij enim ovali, alij rotunda, alij ex rotunditate oblonga & obtusa, alij inæqualibus lateribus aut in angulos obtusos, alij forma cordis depressi efformant: sic aliqui perforatos, aliqui non item, effingunt. Verum diversimode etiam induntur: alij enim ad alterum extremum funiculum alligãt, quo cum lubet extrahere, possint: alij absque funiculo intrudunt: ita tamen, ut cum volunt eximere possint: alij deniq; nunquam eximunt, ut sunt illa, quæ ad uteri capacitatem intruduntur. Et licet Autores de his,

dum

dum de uteri agunt procidẽtia, quædam proponant, attamen placet Peſſaria, vel Circulos, quibus Peſſariorum loco in uteri procidentia noſtrates utuntur, proponere.

Pessariorum Formæ.

NOſtrates filum ſumunt ſubtiliſſimum, quod delicate obvoluunt, globum ovali figura, ovo tamen paulo minorem, efformãt, quem cera virginea obtegunt, ac in uteri collum indũt. Solet autem globus hic, dum menſtruis laborant, elabi.

Alter modus.

ALiæ vero hoc pacto conficiunt: accipiunt nucem juglandem excavatam, quam cera virginea affabre obducunt, forma & magnitudine fere ovi gallinacei, & in internam uteri concavitatem Obſtetricis opera ingeri patiuntur. Quod ut facilius fiat, fluxu menſtruorum fere deſinẽte, fotubus ac inſeſſibus malacticis ad oris uteri relaxationẽ utũtur: dein, Peſſarium indunt: tum, locum aſtringentibus & corroborantibus fovent, & decubitum ſupinum atque tranquillum præcipiunt. Tale Peſſarium apud nobiles Germaniæ matronas, ſi uteri procidentia laborent, in uſu eſſe conſuevit.

CIR-

CIRCULI UTERINI.

PEssariorum loco in uteri procidentia, circulis aliquæ uti solent matronæ: quare Circulorum formam à socru mea, P. M. (quæ in arte medica fuit versatissima) mihi cõmunicatam, quibus in multis usa est matronis, proponam.

Accipe radicem Vitis sylvestris, & ex ea circulos rotundos, modo majores, modo minores, pro cervicis uteri magnitudine, parvitateve conficito: dein accipe Ceram virgineam q.s. cui adde Resine albæ, aut Terebinthinæ parum, liquefiant simul: tum Circulos prædictos huic ceræ resinæ mixtæ toties immergito, usque dum crassitiem debitam acquirant.

Circulus talis in uteri collum inditur, qui si minor sit, quam oporteat, excidit: sin vero justam habeat magnitudinem, sine ulla noxa remanet, nec facile elabitur: & melius est ut non eximatur, sed ut usque dum sponte excidat, relinquatur: quod si vero excidat, nec dũ curata sit mulier, alius indendus erit.

Circulus alter.

IOannes Bauhinus, Illustr. Principis VVirtembergici, &c. Archiater, frater meus chariss.

riſſ.ad procidentiam uteri Circulos ex filo argenteo rotundo cum furca trifida ex eadem materia parata,confici curat. Hic ſine vi in collum uteri intruditur,qui interdum facile, niſi educatur,hæret; ſin vero à pondere uteri propellatur, faſcia retinendus erit. Caſparus Bauhinus in Appendice ad Part. Cæſ. Rouſſeti.

Peſſulus factus pro ratione ætatis immergendus eſt vino, in quo adſtringẽtia coxerint, & ita inſinuandus pudendo, prius repoſito utero.Holl.de morb.intern.lib.1.cap.57.

Vt repoſitus ſuo loco contineatur. Hinc ſemiſphæram figura ovali, cera obductam,filoque appenſam in muliebrem ſinum (ſi uſquequaque ſit prolapſus uterus) immittere & ſubligaculis retinere decuerit. Lud.Duretus in adverſarijs ad cap.citat.

In primis reſupinanda ægra eſt, ſic è lunibus,femoribusque ſublatis, & cruribus reductis,quaſi ipſi fœtus, aut ſecundæ extrahendæ eſſent,tum uteri cervix, & quicquid ab utero prominet & propendet, illinendum oleo liliaceo,butyro recenti,adipe gallinæ,& ſimilibus,inde ſenſim blande digitorum impulſu in ſuam ſedem compellendum,ægra interim ſpiritum quaſi reſorbente,& inſpiratu aëris operi favente, quodque excidit velut revocante:

uterus

uterus postquam restitutus fuerit, quicquid unguine deliburum est, abstergendum molli linteo venit, ne per id lubricum iterum dilabatur uterus, genitalia vero decocto adstringente fovēda, parato ex cortice granatorum, nucibus cupressi, gallarum, alumine rochæ, cauda equina, sumachio, berber. in aqua fabrorum incoctis, ex ijsdem materialibus fiet pulvis quo eadem loca conspergentur, intrudetur in uteri cervicem pessus debitæ crassitiei, longitudinis autem octo, vel novem digitorum pro corporis ægri portione. His peractis continebit se in lecto quieta ægra octo vel decem dies, clunibus sublatis, & cruribus decussatis: admotis interim cucurbitulis suo statu & loco restitutus uterus continebitur, ac si quam ab aëre frigido noxam contraxerit decocto calefaciente & flatus discutiente fovebitur sic. ℞. fol. alth. salviæ, lavend. rorism. arthemis. flor. chamemel. melilot. an. manip. semis, seminis anisi, fœnugræc. an. unciam unam, coquantur omnia complete in aqua & vino, & fiat decoctio ad usum. Injciantur clysteres quo fæcibus vacuis intestinis in alvi amplitudine uterus facilius admitti & contineri possit. Hoc eodem cōsilio vesica diligenter exoneretur, alias periculum est, ne inter utrumque jacens uterus, illorum repletorum

sursum

sursum, deorsum que compressione foras exprimatur & tanquam denuo explodatur. Vomitus quoque singulare putatur esse remedium ad prolapsum uterum revocãdum: præterea n. pituitam expurgat, quę uteri ligamenta madefaciebat & relaxabat. Vt enim uterus in coitu prima conceptione deorsum semini obvius promovetur, sic ventriculus sua plane sponte, sive arbitrio nostro surrigitur sursum, cum rei alienæ injuria lacessitus, magno impetu hanc vomitione repellit. at cum eo sic promoto, una peritonæos tunica, uterus, ipsique connexa omnia corpora, consequutione quadam sursum promoventur. Pareus Operum suorum lib. 23. cap. 41.

Non dubito quin legeris, Franciscũ Rousſetum de partu Cæsareo, & multa quidem incredibilia videantur. De Pessario tamen, seu cereo globo, quem cap. 3 4. 5. describit, bona fide testari possum me mulierculam vidisse, quæ octo vel decem annis cereum globum sine ullo incommodo in utero gessit. Aliam vero, quæ nullo impedimento conceptionis, similiter unum gestabat. D.D. Petrus Quentzius suis ad me literis 17. Iunij Anno 1587. datis.

OBSER-

OBSERVATIO CCC.

Quæ ostenditur etiamsi mulieres pessarium tale in uteri corpore ferant, nihilominus tamen ipsas & concipere, & utero ad præfinitum à natura tempus gestare.

CVM jampridem mihi recitatum foret Puisiaye mulierem quandam esse, quę gestando hoc Pessarium, plures habuerit liberos: & postmodum etiam ab Obstetrice Picarda, Preignon nomine, (quæ à magnatibus propter insignem ejus in arte & experientiam & dexteritatem summe expetebatur) eadem mihi essent narrata, nunquam tamen ut nec & alij, fidem adhibere volui. Interim tamen non desij pluribus in locis ita diligenter hoc perquirere, donec tandem quod volui cognoverim, præsertim cum nuper etiam hujus medicamenti effectum viderim, quod prius mihi non minus visum incredibile, quam olim fuit etiã doctissimis sub zona torrida habitatio, quæ tamen nõ ita pridem opera quorundam Nautarum nobis exposita & patefacta fuit, idque contra celeberrimorum, qui unquam fuere, tam Mathematicorum, quam Cosmographorum scripta doctissima, quæ indubitanter pro veris habebantur. Quare ut

etiam

etiam pessarium hoc cognoscerē, elapsis diebus Vernolij prope Senlicetum & in vicinia anno 1579. omnibus modis laboravi, ita ut & viderim & allocutus fuerim, & familiariter etiam cum pluribus mulierculis contulerim, quæ tali pessario usæ fuere, & adhuc utuntur, quarum pleræque nomen celari volunt: verum eæ, de quibus in sequentibus erit sermo, hoc tanquam omnibus vicinis notum non tegunt. Aliquæ etiam ipsarum sunt, quarum ne quidem mariti ipsas pessario uti sciunt: propterea harum etiam nomen subticere oportet.

Clementia Heraudie, dicta Finet, Gervasij du Mont opificis uxor, (quæ jam olim Gisortio Normandiæ Vernolium concessit) Ioannis Herauldie Finet dicti, olim Gisortij Tonsoris filia, cum valde juvenca nupta fuisset, ante decimumtertium ætatis annū prolem habuit, quæ res forte in causa fuit, cur uteri procidentia laborarit. Ex Galeni enim sententia, libro de Natural. facult. sæpius ob fortem conatum in partu uterus prolabitur. Quare cum ab ipsa uterus, etsi rursus corpori inderetur, contineri non posset, pater ipsius, qui Chirurgus erat, pessarium tale illi præparavit, qualia ipsa nunc parat, & alijs mulieribus, quæ eo opus habent, exhibet: cujus nomine sępius tam

à vicinis, quam ab ijs, quæ in locis remotis habitant, cõsulitur. Hæc dum pessarium tale ferret, tertio concepit, utero gestavit, & peperit: quamprimum enim esset enixa, rursus utero indebat, eo solum absterso, & butyro oblinito, nec alio novo utebatur. Ita ut jam ab annis quadraginta & ultra, uno eodéq; pessario solum usa sit, absq; ulla ipsius pessarij corruptione, aut ipsius suberis putrefactione. Dein etiam ejus loci, vicinæque Obstetrices (præsertim vero la Mineuse nomine) constanter mihi affirmarunt, ipsas jampridem plurimis mulieribus in partu adfuisse, quibus prædicta Clementia, pessaria dederat: inter cæteras autem mihi nominabant mulierem la Nurette dictã, quæ filium ante annos novem erat enixa, qui mihi ostensus fuit: cui, cum ante excluſum fœtum, pessarium procidisset, ipsa quarto à partu die, cum uterus rursus prolapsus foret, denuo indidit, quod postmodum semper ad mortem usque absq; molestia, in utero reservavit. Præterea tale etiam Pessarium ab eadem Vernolij Genevefæ Salantin nomine, adhibitum fuit, cui in primo matrimonio ob difficilem partũ uterus prociderat. Quod cum per annos quatuor gestasset, interim licet gravida facta, pessariũ tamen hoc toto gestationis tempore etiam tulit, quod tribus ante partum septimanis

sponte

sponte prolapsum (quod sane propter eam quæ sequitur de reclusione oris uteri in gravidis disputationem, notatu dignissimum est) ita tamen ut idcirco ante præfinitum à natura tempus, enixa non fuerit. Infans trium nunc annorum est, nec hactenus ipsius mater pessario opus habuit, cum ab uteri prolapsu recte fuerit curata: ita ut ab eo tempore rursus filios gemellos adhuc viventes pepererit, quod sane multis de causis (quas' brevitatis habita ratione omitto) memorabile est.

Cum scripserim pessarium hoc in interiorem uteri cavitatem inserendum esse, doctorum aliqui sunt, qui contrarium sentiunt, sentientes pessarium in collum uteri solum inseri, nec posse ulterius quã ad os uteri immitti. Verum ipsorum objectionibus (quæ potius ab autoritatibus, vel præjudicio aliquo, quam ex rationibus solidis dependent) respondendum, quibus solutis clare ostendemus, non solum possibile, sed etiam necessarium esse, ut ad pessarium hoc indendum os uteri recludatur: quod duabus rationibus absolvere possemus. Primo quidem Problemate, jampridem à quibusdam studiosis doctissimis, primum quidem in fine cujusdam Anatomes, deinetiam Monspessuli in disputatione, ut vocãt, Quodlibetaria, proposito. Quod quidem

tamerſi rationibus haud everti poſſit (remoto omni præjudicio) ne tamen aliquorum lectorum aures delicatas offendamus, in aliam diſputationem problema hoc reijciam, quod in Scholis, potiſſimum vero Anatomicis, commodius exponi poterit, ſubjecti & terminorum quibus uti oportet ratione habita. Quare ad alteram rationem, quæ magis ſeria eſt, deſcendam, quæ talis eſt:

Si totus uterus in modum ſacci inverſus, (ut contra Græcos ex Arabibus probavimus) ex interiore corporis parte, extrorſum prolabi poteſt, imo ſæpius ultra medium femorum, & mole duos pugnos excedente, tum oportet neceſſario, ut hoc magnum, craſſum & oblongum uteri corpus, per ipſius os tranſierit, & rurſus etiam abſque magna difficultate pertranſeat, quando is in naturalem locum reponitur, & id antequam peſſariũ, de quo agimus, indatur: quod tamẽ quam ſit ipſius uteri corpus, longe minus eſt. Quare ergo non ſubito & tum etiam quando recenter os uteri dilatatum eſt, facile peſſarium hoc inderetur? quod cum ſemel inditum eſt, in utero ita ſe diſponit, ut nec ipſum, nec etiam uterus excidat, ſi modo peſſarium ut convenit ſit paratum.

Quare amplius non miror, ſi mulieres ijs peſſarijs utentes, quę multi Chirurgi rem non intelli-

intelligentes, suo more parata & effigiata adhibent, & in collum uteri, non autem in capacitatem indunt, parũ, aut nihil omnino fructus persentiant: sed è contra sæpius plus quã prius molestiæ perferũt, tam quoad dolorem, quam impedimenta in actionibus munijsque domesticis. Adde etiam, quod potius uteri prolapsum causant, quam quod retineãt, cum uteri collum, per quod delabi debet, dilatatũ retineant. Franciscus Rousset. de Partu Cæsareo sect. 6. cap. 5. & 6.

OBSERVATIO CCCI.

Pessuli ex subere ob uteri procidentiam subditi, atque intus remanentis historia.

QVasdam ipsi novimus, in quibus quum ex subere pessulum cõfectum, ut adversus uteri descensum obniterétur, sibi subiecissent; qui hinc nulla arte evelli posset, quia nec apprehendi, circumpressus remãsit in locis. Quanquam ne obstaculo quidem hoc fuisse quibusdam mulierculis conceptioni, scripto proditũ suspiciose legerimus apud Francisc. Rousset. ut literis politum hominem, sic morum & vitæ integritate commendatum. Cordæus Com. 7. ad lib. 1. de Morb. Muliebr. Hippoc.

OBSERVATIO CCCII.

Pessus 14. *annis gestatus, excitatis vehementissimis doloribus, cum educi non posset: quibus demum remedijs fuerit exemtus.*

AD uteri prolapsum pessarium, globi instar, ex latere coctili & incerato confectum, Anna Grimin Phorzensis, juvencula viginti annorũ, annis 14. in utero gestavit: ægra ab uteri quidem prolapsu tuta, verũ cum nulla id arte eximi posset, & sævissimis doloribus torqueretur, gravi paupertate pressa, morbũ gallicum simulans, in Xenodochium Generos. Dominor. Fuggarorũ cui ego præsum, recipitur: in quo cum pro more aliquãdiu ligni dictam sudando, exiguo cum fructu, sustineret, eandem autem ægerrime sedere animadverterem, sciscitatus sum num ex pudendis male haberet: quæ confestim morbi sui historiam omnem libere prodidit. Itaque sinu muliebri explorato, eundem insigni putrilagine fœdatum comperi. Cui insessum emollientem, abstergentem, ac dolores sedantem decerno, ex meliloto, malva, bismalva, chamemælo, parietaria, mercuriali, & cæteris concinnatũ: cujus quotidiano prope usu pars affecta, sublata putrilagine, probe mũdata & expurgata restituitur.

tur. Et vero, quod ad subsistēs pessariū attinet, obstetricem peritam & exercitatam accerso, quæ manū muliebri sinui immittens, singulari digitorum solertia ex utero, inceratum lapidem, diuturni mali omnis autorem, educit: quem raritatis causa multis ostendi. Verum ab eductione infessum ad dies 14. repetendū imperavi: unde citra unguentum Mercuriale, aliaque ejus generis remedia probe convaluit, quæ vel hodie quoque vivit. D.D. Thobiæ Cneulini Observatio.

DE VTERI EXSECTIONE.

OBSERVATIO CCCIII.

Uteri vel ex procidentia, vel gangræna, aut aliter vitiati, totus, aut per partes, sine vitæ periculo exsecti, historiæ admirandæ.

MVlti abscessu in aliqua vitæ necessaria parte oborto, præter opinionem consanuerunt, cum & jecoris fibram, & omenti partem, peritonæique, & totam vulvam subinde redemtam fuisse, nec mortem inde subsecutā, memoriæ prodatur. Ægineta lib. 6. cap. 88.

Si processu temporis id quod prolapsum est putredinem fuerit expertum, idipsum auferetur, nullius metu periculi. Etenim vulva universa ablata, ubi computruerat, mulierem supervixisse commemorant. Idem lib. 3. cap 72.

Si pars prolapsa temporis progressu per negligentiam computruerit, & ex assidua urinæ irrigatione, & adhærentibus sordibus exulcerata fuerit, auferatur citra ullius periculi formidinem. Narrant enim, totum uterum putrefactum aliquando ablatum esse, & mulierem nihilominus supervixisse. Aetius Tetrab. 4. Serm. 4. cap. 76.

Recordatus sum quod vidi mulierem, cui matrix exiverat extra vulvam, & videbatur quasi esset Sardellus parvus: & remansit sic tempore longo: sed finem ipsius ignoravi.

Recordati fuerunt quidam Medici, quod aliquando putrefiunt ligamenta matricis omnia, & exit matrix omnino, & permanet mulier absque matrice, & vivit sine diminutione aliquarum suarum operationum. Et dixit mihi quidam amicus meus, de quo & ejus veritate multum confido, qui vidit mulierem, cui omnino matrix exiverat, & remansit viva, faciendo omnes suas operationes naturales integre & perfecte, & sic esse debet absque dubio,

bio, cum non sit membrum principale, nec aliquibus membris aliquas præstet utilitates: nec præstat aliquod juvamentum in conservando vitam, nec inventum fuit ad illud. Averizoar lib. 2 tract. 5 cap. 4.

Vidi unam Papiæ, de qua dicebatur, quod ab ea exierat tota matrix, secūdum partes putrefactas in diversis temporibus, & supervixit per aliquot annos post, & erat ex nobili genere. Matth. de Gradibus Comment. ad cap. de Exitu & dispositionibus matricis, lib. 9. Rasis ad Almansorem.

Vidi mulierem Andreæ Salsitiæ, cujus matrix corrupta tota emissa est, & vixit postea multis annis, exercens negotia familiaria. Nicolaus Florentinus serm. 6. tract. 3. cap. 26.

Vidi mulierem habentem matricem inter coxas pendentem & putrefactam, cui abscissa fuit. Et adhuc illa per plures annos vixit: præterea tempore pestis Papiæ mortua est. Marcus Gattinaria Comment. ad caput de exitu Matricis lib. 9. Rasis ad Almans.

Potest uterus pati omne genus morbi, sæpe procidit, & totus potest extrahi à corpore, durante valetudine. Vnam matricem corruptam ego vidi extrahi integre in terra Carpi à Genitore meo, quæ sanata est, & diu vixit. Ego etiam Bononiæ extraxi unam aliam inte-

gre, quæ erat gangrænata, Anno 1507. menſe Majo, quæ ſupervixit ſana. Vnam aliam ſcilicet matricis receptaculum præcipitatum extra ventrem & corruptum, me præſente nepos meus ex fratre Damianus extraxit integre, & in cœtu Doctorum, & multorum Scholaſticorum, Anno 1520. die 5. Octob. Iſta ultima nomine Gentilis, erat uxor Chriſtophori Brianti Mediolanenſis, habitantis Bononiæ, quæ hora iſta 1523. 10. Iunij eſt ſana, & exercet negotia familiaria, & relatu ipſius & ſui mariti, in coitu emittit ſemẽ, & habet menſtrua temporibus debitis, res notatu digna. Carpus in Iſagoge anatomiæ.

Vidi matricẽ mulieri Bononienſi cum mola truſatili, hordeum & id genus frumenta degluberet, elapſam, & cucurbitæ inſtar inflatã, Carpum Chirurgum, me cooperante novacula abſcindere: quam tandem toto biennio Bononiæ crebro mihi obviam, & ſuperſtitem vidi, donec Bononia emigrarem. Langius Epiſt. Tom. 2. Epiſt. 59.

Ingenioſus noſtri ſeculi Medicus Vgolinus Piſanus me, licet junioré, advocandum cenſuit: ut una cum illo mulierem quandam curaremus, quæ vulvæ pernicioſo ulcere vexabatur. Hujus nos malitiam, omni ſtudio & diligentia tollere, ſed fruſtra conati ſumus: nam

corru-

corrupta interim vulva, & fruſtulis cõminuta deſcendens, non prius fluere deſtitit, quã tota putreſcens decideret: & ſic mulierem ingenti malo liberavit, quæ licet vulva carens, ſana tamen ſupervixit annos decem. Benivenius de Abditis, cap. 11.

Quantum uteri corpus putre judicaris, exſcindendum eſt audenter, cum ſupervixerit mulier, cui prope totus putris exciſus fuerat. Sylvius de Menſibus mulierũ, capite de uteri præcipitatione.

Compluti mulierem uteri procidentia laborantem vidimus, cujus uterus extra computruit: Chirurgus tamen totum abſcidit ad collum uſque, & non paucis deinde annis vixit. Avicennas totum uterum abſciſſum refert, & jecoris partẽ, & vixiſſe. Et Galenus lib. 4. de Vſu partium refert ſe abſcidiſſe totum fere omentum: ſed hoc non adeo grave eſt. Chriſt. à Vega, Com. ad aph. 18. lib. 8. Hippocratis.

Nos cuidam fœminæ ætatis annorum triginta quatuor, uterum putrefactum abſcindere præcepimus, decem ab hinc annis, quæ adhuc vivit. Idem lib. 3. ſect. 10. cap. 10. Artis medicinalis.

Mulieri cuidam fere trigenariæ ſanæ, menſtruali, & bene famatæ conceptionis ſigna

paulo

paulo post secundas nuptias, quas anno 1571. contraxit, cum ex priore matrimonio prolem nullam concepisset, apparuerunt. Progressu temporis obortus est ad partes imas & pudēda ponderis sensus, dolore & urinæ retentione adeo molestus, ut Christophoro Mombeo Chirurgo vicino suo, in suburbijs S. Germani commoranti, patefacere se infortuniumque suum, coacta fuerit. Is viso tumore in perinæo, fotu & cataplasmatibus anodynis & remolientibus, dolorem sedavit: sed mox ad pudendi labrū interius vomica, velut ab abscessu rupto apparuit, sanie subrubra, citrina & pallida, multo tempore manās. Interim haud evanescebat ponderis ille sensus, quin potius augebatur indies, ita ut ab anno 1573. ne sequidem in lecto in hoc illudve latus convertere posset, nisi admota manu hypogastrio ad oneris levamē: sed & tum quidam veluti globus, toto corpore & pondere suo sibi provolvi videbatur, in quodcunque latus decumberet, nec stans, nec sedens alvi excremēta reddere valebat, nisi pondere illo sursum manibus ad diaphragma sublato. Incessura, vix crura promovere poterat, quasi sibi semper ex interfœmineo aliquid penderet, quod progressum remoraretur. Ex intervallis vomica illa recludebatur, sanie solita manans: sed tum

capitis,

capitis, membrorumque omnium dolor, animi deliquia, fastidia, vomitus, suffocationes, miseram urgebant, adeo ut ab empirica muliere persuasa, facile adducta fuerit, ut antimonium hauriret: cujus tanta fuit & tam efferavis, ut post multas cum multis torminibus vomitiones, & aquosas per alvum dejectiones, visus sit sibi anus procidere. Sed admonita à familiari quadam sua, cui se vidēdam crediderat, haud ab ano id procidere, sed à vulva. Anno Domini 1575. Chirurgos vocavit, me, Iacobum Guillemeau & Antonium de Vieux, qui sibi auxilio afflictæ sanitati essemus. Expēsa re tota, & diligenter animadversa, communi consilio censuimus, id quod prociderat, extirpandum esse: quod atro colore, fœtore, & alijs ejusmodi signis putridæ ac corruptæ rei argumēta manifesta præberet. Ergo per duos dies sensim frustatim & sine dolore corpus extraximus, quod advocatis Medicis, Alexio, Gaudino, Feureo, Violaneo & nobis uteri corpus esse visum est. Cujus rei fidē fecere, unus extesticulis, qui integer extractus est, crassiorque item mēbrana reliqua ex mola, quæ suppurata, rupto abscessu, sensim diffluxerat: revulso omni ejusmodi corpore melius ægra habere cœpit: & tamen ante extirpationem novem totos dies urina suppressa fuerat. Dehinc

hinc omnia sibi, naturæ suæ, & stato cursui reddita sunt, totúque trimestre sana, & egregie incolumis mulier supervixit, donec inborta repente pleuritide, interijt. Dissecta à me & sedulo singula exquirenti, nusquam cõparuit uterus, sed ejus loco callosum quoddam corpus, quod natura, quæ nunquam in nobis otiatur, jacturam ejus partis quasi reparatura, vel lacunam potius alvi repletura, substituerat. Pareus lib. de Hominis gener. cap. 41.

Exactis pluribus annis, accersitus Chirurgus ad mulierem quandam in pago Grötzingen, non procul à Calvu, cui cum ex toto matrix procidua facta esset, nec Chirurgus, nec astantes mulierculæ, quæ alioquin fungebantur Obstetricũ munere, quid esset, sciebant: ego uterum esse dicebã, qui instar inversi pilei decidisset, etiam refrigeratus aliquot diebus nigrescere incepisset. Itaque ne fluxus sanguinis incideret, Chirurgo author fui, ut utrinque ligaturas institueret, & postera die (erat enim infelix astrorum aspectus) abscinderet: id quod ob molestũ onus mulier ipsamet serio expetebat. Resecta procidua parte, mulier melius habere cœpit, & relicta portio momento se retraxit, nulla notabili hœmorrhagia succedente. Quæ postmodum peste quoque correpta, multis annis superstes remansit.

manſit. Tandē vir ſeceſſit in alium pagū Colmbach, ad ferinas thermas ſitum: ſaituarium. n. egit, &c. Bellocatus Præceptor meus Italus, Paduæ ſublatum uterum duabus abſque diſpendio affirmavit. Eſaias Meichſnerus de Obſervat. proprijs.

Etſi hujuſmodi uterini affectus in corpore adhuc latitantes, & etiam remedia horrenda, quibus uſæ, admiratione ſint digna, propter eventus adeo felices: alij tamen adhuc longe difficiliores caſus ſunt, ratione tamen quorū mulieribus neceſſario moriendum non eſt, licet poſtmodum ſteriles permaneant, cujuſmodi eſt omnimoda ipſius uteri ablatio, poſtquam adeo prolapſus, ut extirpandus ſit: quod nihilominus tamen abſque graviori morbo accidit.

Sunt tamen Medici aliqui & Chirurgi etiā doctiſſimi, qui omnimodam uteri procidentiam non concedunt, Æginetæ & Aetij auctoritatibus moti, qui videntur non cōcedere, niſi difficulter admodum fieri, ut uterus adeo loco prolabi poſſit, & tamen auxilia, remediorumque formulas ab antiquis traditas, pro ipſius uteri in locum naturalē reductione proponunt, ita ut tandem fateantur (quod ex relatione habent) aliquibus mulieribus, quæ tamen ſuperſtites remanſere, uterum

peni-

penitus exemtum fuisse. Verum Hippocratis auctoritas, quæ lib. de Morb. mul. habetur, ut & experientia manifesta, ipsis contraria esse videtur. Scribit enim Hippocrates, uterum sæpius è corpore, & quidem sæpius usque ad femora prolabi, imo ex sententia Aetij, magnitudine ovi Struthionis: quod sane solum uteri collum esse non potest, absque quo uteri corpus totum non sit prolapsum. Præterea oculis observari potest, ipsius interiorē partem exterius inversam, & superiorem, quę interna etiam erat, prolapsam, exteriorem partē constituere. Verum tria sunt, quæ præter autoritatem Avicennæ, quæ habetur lib. 3. Fen. 21. tract. 4. cap. 5. hoc attestantur. Primo quidem ipsius sanguinis mēstrui sensibilis effluxus, levisque transudatio, ex tota ipsius uteri superficie promanās, qui, dum fluere debent menstrua, amplius non procidit, quod sane certum argumentum est, ex ipsius uteri corpore & capacitate promanare, & non solum ex uteri collo, uti multi contra Galeni sententiam somniarunt. Verum præter propositum non est, sed notatu dignissimum, quod si solū ipsius collū procidat, corpus vero ipsum nondū sit prolapsum, tum conspici in ipsius fundo (qui tum parū major, quam forte sit ovum gallinæ) foramen quod os ipsius uteri est, ad ipsum

Ipſum collum attractū, & ab ipſius uteri corpore depreſſum, per quod foramen in mulieribus juvencis hoc malo divexatis, ſanguinem menſtruum promanare obſervatum fuit: & tamen facile prolapſus talis in priſtinum ſitum reduci poteſt. Sed ſi per foramen hoc pluribus de cauſis relaxatū ipſum corpus tanta mole procidat, quod quotidie accidere ſolet, tunc foramen id amplius non conſpicitur, ſed totum aſſimilari poteſt magno vini cantharo, qui in ſuperiore parte ovalem figuram habet, ſed inferne minorem: inferne vero alia eſt rotunditas, ſuperiore longe major, abſque tamen foramine: in medio autem manifeſta conſpicitur coarctatio, binas has partes aliquo pacto ſeparans, quod nihil aliud eſt, quam os uteri dilatatum. Et tunc obſervatum fuit, ex tota illa parte inferiore, in juvencis (tanquam per reſudationem) ſanguinē menſtruum debito tempore profluxiſſe. Hic eſt intermedius anguſtior locus, cui ligatura injici debet, quando animus eſt uterum prolapſum, & gangræna affectum auferre: rarius enim ſuperior pars putredine tentatur. Hac ratione minor illa & ſuperior rotunditas rurſus reponi poterit, ſi inferiore parte ablata illa hujus pondere amplius non prematur uti ante prolapſum fiebat, nec etiam deorſum poſt

omnimodam procidentiam trahatur. Si vero ſupra manifeſtam illam coarctationem, (uti aliquando factum) ligatura fiat, id cum dolore ſummo, & etiam cum periculo conjunctum erit. Dein exiguus, aut nullus dolor, quem maſſa illa carnea prolapſa (uteri fundum puta) tum perſentit, etiamſi duriter tractetur, dum reducere eſt animus, prædicta atteſtatur. Eſt enim, ut verum dicamus, os ipſius uteri una cum ligamẽtis à quibus dependet, quæ exquiſito ſenſu prædita ſunt, non autem ipſius uteri corpus, de quo hic agimus, & quod in partu Cæſareo incidimus, quẽadmodum alibi probamus. Tum remedia quæ uſurpantur, & inter cætera inſertio peſſarij in fundum uſque uteri ex ſubere cera obducto, aut alia materia parato, de quo, ne à propoſito recedamus, in ſequentibus agemus, id etiam comprobant. Verum, ut ad rem accedamus, breviter binas hiſtorias à me obſervatas, referam.

Cum Lunelli Vaſtineti, cuidam mulieri è corpore uterus auferretur, prẽſens adſtiti, qui conſilio defunctorum D.D. Saportæ, hoſpitis & mecœnatis mei, & Rondeletij, prẽſidis mei, ab Anatomico publico Bartholomæo nomine, qui poſtmodũ phthiſicus interijt, exſectus fuit, idq; poſteaquam Monſpeſſuli omnia remedia, ſed irrito conatu attentata eſſent.

Ab eo

Ab eo tempore, consilio meo nobili matronæ Vastineti, (cujus nomen subticere placet) Ambrosius Niger & Compagnonus à turre Chirurgi Pithvverenses, uterum exsecuere, quod malum alias incurabile erat: jam enim gangrænam minabatur, & solum adhuc cuti parum adhærebat, cujus pars inferior propẽdens, magnitudinis duorum pugnorum, jam plane livida erat.

Domini Villanovani (cujus supra facta fuit mentio) etiam consilio, antequam ipsi familiaris essem, Petrus Mauricius Valdreacensis, uterum uxori Petri Costei pannicidæ excidit: cui, statim post absolutum difficillimi partus puerperium, exciderat, nec reponi poterat, cum adeo in partu læsus foret. Quem cum ligasset, abscidit, & cauterium adhibuit, idque inscio marito, qui tum absens erat, cum quo postmodum nihilominus concubuit, absque tamen voluptate: quod denuo epistola ad me data, Anno 1533. attestatus est. Franciscus Roussetus De Partu Cæsareo Sect. 4. cap. 5.

Vxor Cantoris Iauraviensis (Silesiæ urbs est) gracili admodum corpore, naturæ biliosæ, nonnihil ad melancholiam declinans, in partu ab obstetrice quadam inclementius, quam par est, tractata, cum gravi & acuto u-

teri dolore, vinculorum eundem ſuſtinẽtium, vel ruptorum, vel luxatorum, ſaltẽ cauſa, ſtructuræ vitium paſſa eſt: ideoque poſt partum aliquoties uteri ſubſtantiam, in pudendi ſinũ, non extra tamen eundem ſibi prolabi ſenſit, eoque plus, quo plus oneri alicui ſublevando eniteretur. Hoc malo per annos aliquot durante, neq; in pejus, nec melius vergente, bis prægnans facta, difficilius quam antea peperit. Et paulo poſt domum ſcopis mundans, menſa quadam onuſta ſublata, uteri corpus magna cum moleſtia extra ſinum ipſi prolapſum eſt: quod tamẽ fomentis decentibus calefaciendo, molliter loco ſuo ipſa reſtituit: licet poſtea levi momento rurſus exciderit. Hinc menſes primum inordinate fluere, uterus male affici, nonnunquam ſuffocari, caput ſcotomiam pati cœpit. Subſequente aſſiduo fluxu albæ & acris materiæ, itemque ſanguinis interdũ corrupti, & in grumos collecti. Et cum parum obtemperaret in mali principio Medicis, in pejus omnia ruere, atque ex fœdi odoris materiæ effluxu, doloreq; loci ejuſdem continui, ulceris maligni, vel apoſtematis ſuſpicio oriri, quod & eventus teſtatus eſt. Nam poſtquam uterus ſæpius hoc modo excideret, ut urinæ vias aliquando omnino præcluderet, ægrotantique graviſſima ſymtomata inveheret:

ter: quamvis manu prudentioris Obstetricis aliquoties suo loco restitueretur: attamẽ perforatus tandem, atque inversus esse, ante pubis orificium dependens, & copia urinæ impletus, deprehensus est. Idcirco meo consilio leviter compressus, urinam exceptam per foramen, proculdubio ex corrosione factum, revomuit, adeo ut inverti rursus & sublevari melius, inque sinum pudendi rursus inseri potuerit: quamvis pristino suo loco restitui, ob dolorem nequiret. Spatio igitur unius mensis malo hoc ter quaterve recurrente, dictoque modo urina expressa, universus denique uteri interior venter, totus corruptus & lacer excidit, intolerabili fere fœtore dependens, quem nullo prorsus sensu præditum, utpote partem emortuam, & gangrænosam, Obstetricem excindere unde & usquequaque jussi. Locum vero affectum, vapore odoratarũ herbarum & seminum decoctorum foveri, à quo etiamsi meliuscule habere cœperit, urinamq; liberius emiserit, quid tamen postea factum sit, discedens non rescivi.

Historiam hanc D. Christophorus Rumbaum Medicus Iauravienſis, mihi (cum apud nos summum in arte titulum assumeret) communicavit. Caſparus Bauhinus in Appendice ad Partum Cæsareum Francisci Rousseti.

Magius aliquando Bononiæ pro lectione probaturus, non omnia vulnera membrorum principalium esse lethalia, historiam retulit de Muliercula quadam juvene, quæ cum parere deberet, nec posset, obstetrices fœtum evulsurę, matricem simul totam extraxere, & evertentes eam, ex duobus foraminibus unum effecere. Hanc, cum restitui non posset, Chirurgi totam exciderunt. Hæc postmodum à Magio ita curata fuit, ut loco vulvæ exiguum tantum foramen retinuerit. D. D. Laurentius Scholzius de suis ad me transmissis observationibus.

Romæ juvenculæ primo & difficili partu, genitale & intestinum rectum, perinæo (quod tamen in sexu hoc solidius semper sensi) rupto, jungebantur, nec longe post ruptis cornib. & ligamentis, scroto inverso simillima matrix excidit. Hanc, Medici, absq; vitæ dispendio, cum speciei tantũ causa in fœminis uterus factus sit, Paulo etiam, qui totam sępe matricẽ resectam, nec mortem supervenisse testatus, confirmante, candente forpice prociderunt. Quod tamẽ in alia (Bernardino Paterno contradicente) Patavij non ausum est. Priorẽ sępe post ipse adij, quæ nil, pręter ventris tormina, (liberius intestina subeunte frigore) cõquesta est. De Obs. D. D. Ioan. Iessenij à Iessen, per D. D. Laur. Scholzium ad me missis. Novi

Novi nobilem quandam matronam, cui uterus putri ulcere fuit corruptus, & consilio Medici ante annos 8. ablatus, quæ adhuc benevivit & valet. De Cl. V.D.D. Ioan. Franci Hildesij Observat.

OBSERVATIO CCCIV.

Vterum ex desperata procidentia, sive qualcunque occasione corruptum, non solum sectione & ustione, verum etiam ligaturis prascindi & tolli posse.

NOn solum sectione & ustione omnimoda uteri procidentia, postquam amplius reponi non potest, curatur: sed etiam ligaturis, cujus rei hoc anno praxin vidimus, quod sequens ostendit historia.

Philiberta Louyson Ioannis Baugin vinitoris uxor, Neoburgi inter Pithveram & Puisellum habitantis, cum mensium octodecim spatio, sanguineo uteri fluxu, eoque copioso laborasset, adjuncto versus collum uteri pondere: subito suis in ædibus persensit (res sane mira) uterū usq; ad interiorem femorum partem prolabi, tanta magnitudine, ut cum eum reponere non posset, triduo aut quatrido post, Bonaventuræ à Turre & Blasij Berte

Chirurgorum Pithivverensium, (quibus cum hac de re sæpius contuli) opem implorarit, qui cum soli sectionem adhibere non auderent, ligatura (meum adventum exspectantes) contenti fuere, quod anno 1580. 6. Kalend. Martij factum. Ligaturam valde strictam, cum eum reponere non licuisset, adhibuere, eamque non circa partem angustiorem, quæ est inter cervicem & fundum uteri prolapsi, quo loci omnium tutissime sectio fieri potest: sed ligatura facta in cervice uteri, quæ valde eminebat, ita ut ligatura urethræ aut cervici vesicæ proxima foret. Priorem hanc ligaturam per dies octo non mutavere, sed his finitis cum eo una cum ipsis venissem, ut uterum secaremus, ureremus, & auferremus, videns ligaturam in altiori, quam par esset, loco, ita ut tuta sectio fieri non posset, ustio vero nulla, ratione etiam habita virium prostratarum ipsius ægræ, consului ut nova & arctior, quam prior fuisset, eodem in loco fieret ligatura: illa enim cum magnam partem cervicis uteri secuisset, laxior erat reddita. Quo facto, non absque dolore, altera hæc & fortior ligatura, magis adhuc partem incidit, & hæc sectio fuit in anteriori parte, eo loci ubi nodus ipsius ligaturæ erat, usq; ad medium canalem, per quem uterus inversus prolapsus erat. Vnde magna copia puris effluxit:

effluxit: ex fundo nimirum uteri, qui jam niger & gangrænosus, ad femora propendebat, promapans. Postmodum cum alternis diebus, nova & indies arctior ligatura fieret, uti inter nos concluſum erat, tandem post decimam ligaturam 13. Kalen. Aprilis uterus sponte excidit: ipsa vero jam convaluit, munia domestica rectius quam antehac obiens. Franciscus Rousletus sect. 4. cap. 5. de Partu Cæsareo.

OBSERVATIO CCCV.

Mulieribus nonnullis uterum corrruptum citra ullam sectionem, ustionem, aut ligaturas, sed sua sponte & in totum è corpore prolabi & separari.

Historiæ jam adductæ de excisione prolapsi & putrefacti uteri, in mulieribus, quę superstites mansere, absurdæ videri non debent: siquidem uterus cum rursus in corpus retrudi non potest, sponte & à corpore se separet, & etiam excidat, (nisi arte Chirurgica succurreretur) absque tamen vitæ periculo, imo etiam absque morbo, ut ex sequentibus historijs colligere erit.

Cum Dominæ Blanchafortiæ seniori, piæ

memoriæ,à longo tempore,ſed ſenſim uterus adeo eſſet prolapſus,ut tandem nec rurſus indere,nec etiã amplius ferre poſſet, ut qui jam putreſcere inciperet, Montargiſſium ad me ventura erat,ut ibi eam curarẽ, aut Lutetiam comitarer: verum dum in itinere eſſet,uterus ſponte excidit: nihilominus tamen iter abſolvit,nec etiam alijs uſa remedijs,quam lotione ex vino &roſis àFelles Chirurgo adhibita,qui (ut narrat) eo loci,ubi uterus eſſe ſolebat, nil niſi ſpatium vacuum obſervavit. Anno 1571. æſtatis tempore hoc accidit, à quo tempore, pro ratione ætatis grandævæ, ſatis ſana ſupervixit.Tandẽ ex caſu ſcalæ,ſubita morte perijt: nec tamen ejus corpus apertum fuit,ut locus, unde uterus prolapſus erat, inſpiceretur, ut in altera,de qua ſequens hiſtoria aget, factum fuit.

Cum ob plures difficiliores partus, Petrina Boucher Domini Franciſci Quarrei advocati Montargiſſienſis,jam provectę ætatis ancilla, uteri prolapſu longo tempore laboraſſet,qui ſenſim adeo auctus, ut amplius in naturalem locũ reponi non poſſet,tandem gangræna affectus,putruit: & ſponte anno 1574. dum urinam eſſet redditura, excidit, nec tamen propterea lecto ſe continuit,cujus rei fide digni teſtes ſũt D.Contugonius Medicus, & Io-

& Ioannes Bellovacus Chirurgus Montargiſſienſis. Vtero elapſo, toto adhuc triennio optime valens, ſupervixit, niſi quod (ut ipſa narrabat) ab illo tempore cogebatur diligentius quam prius, partes inferiores à frigore externo cuſtodire, aut certe doloribus colicis divexari. Tandem (me abſente) cum febri continua interijſſet, & jam ſepulta eſſet, poſt reditum unice me rogante factum, ut Magiſtratus permiſſu rurſus exhumata fuerit, & per Felles Chirurgum anno 1577. 10. Kalend. Decemb. in præſentia D. Contugonij Medici, Obſtetricis & aliorum aperta fuit. Nec aliud inter veſicam & inteſtinum rectum eo loci, ubi uterus à natura poſitus fuerat, quã locus vacuus obſervatus, per quod foramen facile, & abſque obſtaculo magnæ novaculæ manubrium indi & eximi poterat: & per hoc revera frigus externum ingrediebatur, & dolorem colicum cauſabat, reliquis vicinis partibus cicatrice obductis: nam ab elapſo & ablato utero, neque ſanies, neque purulenta aliqua materia emanaverat. Idem Rouſſetus ejuſdem operis Sect. 4. cap. 5.

OBSER-

OBSERVATIO CCCVI.

Castratarum Mulierum cum Veterum tum Recentiorum attestationes & historiæ celebres.

XAnthus libr. 2. Lydiorum ait, Lydorum Regem Andramytin fœminas primum castraviſſe, & eunuchorum loco illis uſum fuiſſe. Athenæus lib. 12. Deipnoſophiſt.

Caſtratas illas fœminas fuiſſe putant muliebribus infibulatis, ut æquarum quas concipere & parere nolunt ferreis circulis ordine trajectis quibus naturalia clauduntur. Iacob. Dalechampius Annotat. ad eund. locum.

Fuit non incelebris rerum conditor Xanthus, patria Lydus, qui & voluminibus quatuor Lydiaca fertur complexus. In eorum ſecundo, id quod haud relatu indignum opinatus ſum, Gygen omnium Principem ſcribit, dum Lydis imperaret γυναῖκας εὐνυχίσαι, id eſt, mulieres eunuchas feciſſe, ὅπως αὐταῖς χρῶτο ἀεὶ νεαζούσαις, id eſt, ut illis perpetuo juveniliter florentibus uti valeret. Cœlius lib. 19. cap. 29. L. A. At. lib. 20. cap. 14. id tribuit Regi Andramyti.

Gyges à Suida & Heſychio, ejus ſceleris à Xantho accuſatur, quod mulieres caſtrarit, ut

ſemper

semper eis juvenculis uteretur. Reinerus Reineccius Tom. 3 Hist. de Lydorum origine, & imperio pag. 82.

Castrari fœminas, homines scilicet, etiamsi nusquam gentium receptum fuisse reperiam: castratas tamē fuisse indomitæ libidinis quasdam, autores habeo certos. Iul. Alexand. lib. 12. cap. 14. salubrium. Idem in Annot. ad Gal. pag. 122.

Quidam Ioan. ab Essen, ab Illustriss. Clivensi Duce numerata certa pecunia, castrandi jumenta & pecora in Marchiæ comitatu potestatem pro se solo impetrarat. Hic ubi quendam familiarius conjunctiusque sua frui filia animadverteret, ira incitatus eam manu injecta evestigio in cubiculum abripit, violenterque uterum eidem, quemadmodum pecori solet, exsecat, conceptioniq; porro inidoneā sanat. Hujus facinoris ergo centenorum aliquot dalerorum mulcta à Principe punitur, nec quidem immerito. V Vierus lib. 4. cap. 20. de Præstig. dæm. edit. 6.

Mulieres possunt castrari, sed tamen majori longe periculo: si tamē adsit ars, ususque, prope nullo. Sunt tamen qui credant longo usu viricis mares : & periclymeni fœminas eunuchas fieri. Cardanus in Dialogo Tetim inscripto.

DE

DE VTERI TVMORIB. ET VVLNERIBVS

OBSERVATIO CCCVII.

Vteri abſceſſus multifariam expurgati.

SCiendum abſceſſum uteri quandoq; rumpi & purgari per vulvæ ipſius os, quandoque per veſicam, ac ſæpe etiam in rectum inteſtinum abire. Oribas. ſynops. lib. 4. cap. 51.

OBSERVATIO CCCVIII.

Abſceſſuum uteri circa Inguina ſuppuratorum & curatorum hiſtoriæ.

NOs Iudæam quandam in eo affectu uſſimus Cydone, Nanæ Iudæi uxorem: ſupra enim Inguinem plurimum intumuit, imo ventre; nam diu locorum vitio laboraverat. Miro modo tumor ille dimota vulva interdum laceſcebat, interdum in mucronem conſpicuus cernebatur. Iam jam me & Chirurgum ſæpe deluſit, ferramentum & medicamina apparantem: ad maturitatē emplaſtris perduximus: mox manum denique non effugit, & ſanata eſt, ac exinde concepit.

Altera pariter Iudæa ex eodem vitio ſanata

nata est, quam secari ex improviso jussimus tanta odoris gravissimi fœditate, ut medicos & necessarios omnes domo propelleret: is tumor immobilis erat, annexo peritonæo. Sicuti & Permarenæ nobili filiæ. Ex eo vitio pulsus supra modum exagitatur, ac anhelitus difficilis redditur. Alexand Benedict. lib. 27. cap. 5. de curand. morb.

OBSERVATIO CCCIX.

Uteri portiones per abscessus & vulnera ablatæ.

VIdi quibus uteri portiones satis effatu dignæ, tum per abscessus, tum per vulnera sint ablatæ: & tamen vivunt, unamque in rebus desperatissimis divinæ bonitatis & fortitudinis gloriam profitentur. Cornelius Gemma lib. 1. cap. 6. Cosmocrit.

DE VTERI ALIIS VITIIS PROMISCVE.

OBSERVATIO CCCX.

Uteri antiqui dolores curati.

Ex

EX uteri antiquis doloribus curavi uxorem Pharmacopolæ trium Regum : quæ postmodum erga me tanti beneficij memor semper grata fuit. Vivit adhuc, cũ jam à curatione anni circiter viginti quinq; pręterierint. Summa curæ fuit purgato corpore cum his catapotijs. ℞. cort. cassiæ nigræ, cinnamomi, corticum citri, betonicæ, rad. pythiusæ, zedoariæ, galangæ, & tripheræ magnæ appellatæ. Inungebam locũ assidue ex oleo de lino, liliaceoque, atque ita convaluit. Cardanus Curat. suarum Admirand. num. 25.

OBSERVATIO CCCXI.

Lapides in utero nati.

FAmula Dyseridis in Lariſſa, cum juvencula esset, ubi venere uteretur, fortiter circũcirca dolebat : alias autem sine dolore erat. Concepit autem nunquam. Et cum sexaginta esset annorũ dolebat à meridie, veluti ex partu vehementer laboraret. Hæc cum ante meridiem porrum edisset multum, postquam dolor ipsam corripuit vehementissimus, & priores omnes excedens, exurgens asperum quiddã in ore uteri deprehendit : Postea cum ipsa animi deliquiũ incideret, alia mulier immissa manu, expressit lapidem asperũ magnitudine

tudine verticilli fusi. Et sana tunc statim & postea erat. Hippocrates lib.5.De morb.popularibus.

Mihi quidem hoc non contigit videre, certior tamen factus sum, non multis ante annis, idem duabus mulieribus accidisse. Altera erat virgo monachalis: Altera (ut accepi) vidua. quæ, quia venere non utebantur, habebant antea solum dolorem gravantem, ut ex lapide in renibus. Excreverunt vero postea haud dubie ex utero, si vera narrata sunt, ut famula Dyseridis. Vallesius Comm. ad eundem Hipp. locum.

Calculi aliquando tophacei in ipso utero generantur, quos si extrahere volueris, alvum prius per clysterem stercoris eductorium evacuato. Deinde fœnigræci ac malvæ decocto, rosaceo ammixto, uterum eluito, & muliere supina disparatis cruribus locata duos longiores sinistræ manus digitos in ani foramen immittito, dextra vero superiorem ventrem comprimito, calculumque extrorsum cogito ac propellito, simul per digitos in anū missos deducens ac extrahens. At vero tophaceam substantiam extra in uteri collo, aut osculo agnatam, muliere rite locata, & locis per dioptram dilatatis, scalpello resecare o-

portet, & florido medicaméto ficco inſperſo curare. Aëtius Tetrabib. 4. Serm. 4. cap. 98.

Habemus domi lapides exciſos folliculo fellis, ſtomacho, &c. utero, &c. Gũma Cyclognom. lib. 2. cap. 6. pag. 76.

Andreas Lacuna cum alijs noſtratibus anatomicis intra calvariam & meſenterium & uterum conſpexerunt. Thom. à Veiga Comm. ad cap. 5. lib. 1. de Locis affect. Galeni.

Obſervavimus concretos in capite, in utero mulieris, cui diſſecandæ in ſcholis medicorum publice præfuimus. Scholiograph. ad ca. 48. Holl. de Morb. Intern.

Rarum eſt lapides gigni in colo, pulmonibus, veſica fellis, rarius fortaſſe, quod tamen nos vidimus, in utero interiore, & toto meſenterio. Scholiographus ad lib. Gal. de loc. affect.

Aperta mulier à nobis in ſcholis medicorum Lutetiæ lapidem habens in utero, in cranio anteriore, & quæ ſine liene inventa eſt. Hollerius inter rara, numero 5. poſt Obſerv. propr.

Marſil. de Sancta Sophia in ſuis ad Avicen. Comment. ſe lapidem vidiſſe genitum in matrice, & ab illa extractum teſtis eſt, citante Marcell. Donato Hiſt. Mirab. Med. lib. 4. cap. 30.

Gene-

Generantur etiam lapides in matrice, ut Marsilius dixit se vidisse. Nicolus, Serm.5. Tract.9.cap.12.

In locis mulierum aliquando visos (lapides) narrant. Alexand.Benedict.lib.22.cap.34. de Curand.Morb.

Generatur in vesica fellis certe, atque in ventriculo, rarius in utero, ob pronum situm. Cardanus.

E matricis acetabulis duos calculos excisos memini. VVierus lib.3.cap.15. De Præstigijs.

Vltra molam, & alios conceptus non naturales in utero factos, vidi etiam lapides genitos; præcipue autē novi Monialem non claustratam in primo senio constitutam, dum per plures menses uterinis fuisset cruciata doloribus, qui nullo unquam medicamento leniri potuerunt, tandem ejecisse sponte, nulloque adminiculante, per pudendum lapidē scabrosum, magnitudine & forma ovi anatini, quo ejecto cessarunt dolores: attamen superveniente ex utero fluxione putrida, & corrupta, demum cōsumta & emaciata, misere vita functa est. Salius ad cap.113. Pract. Altom.

Callæ, Suessionēsi villa, tribus hebdomadib. laborans mulier partu, persuasa à vicinis, voto se obstrinxit: quod nudis pedib. ad S. Mariā

itura esset, liberata fœtu, & statim doloribus levata est. Primo autem peperit tres lapides, unum magnitudine ovi anserini, alterum gallinacei, tertium nucis. Hos secutus est infans, qui baptismate tinctus, paucos vixit dies. Chronicon Antonini, circa annum 1070.

Extincta Hippolita Gata Corregiense: doloribus uterinis diu vexata cum febre, lapis incredibilis magnitudinis, gipseæ consistentiæ, multo nigerrimo mucori innatans, dissecto utero, extractus fuit. Cujus rei nos multos habemus testes. Marcell. Donat. Hist. med. mirab. lib. 4. cap. 30.

Inter multa alia rara quæ in dissectione & conditura corporis Nobilis Matronæ Dominæ Mariæ Salomæ, Nobilis Viri Michaelis Reich à Reichenstein conjugis: ex præclara Nobilium de Gemmingen familia oriundæ deprehendimus: Fundum ipsius uteri dissecantes, invenimus ibidem collectam materiã durissimam, albam, & lapidefactam, ita ut vix cultro discindere potuerim. D.D. Georgius Garnerus libr. Observ. suarum liberalissime mihi, adeoque posteritati candidiss. communicato, cujus hist. integram suo loco dispositam Lector deprehendet.

OBSER-

OBSERVATIO CCCXII.

Vermes in utero nati.

IN pudendo mulieris aut inteſtino recto aſcarides naſcuntur. Hippoc.lib.2.de Morb. Muliebr.

Si vulvæ brachia doluerint,ſcias hanc lumbricos rotundos habere,qui frequéter in ipſa vulva per inteſtina decurrunt: harũ ergo prurit natura, & venter & corpus, humor circa naturam,ut putét ſe rheumaticas factas,ſudor ſpiſſus eſt,& venter earum importunus.Iris illyricæ radices tere, &rubi radices tuſæ & cribellatæ, cum mali granati ſucco commixtæ, & ex eo maceratum peſſarium ſuppone, antea vero ex ipſo ſucco fomentabis. Aliud.De ſucco hederæ fomentetur, poſtquam urinam fecerit. Ex Priſc.& Cleop.1.& 2.Harmoniæ Gynæciorum cap.25.

Intelligendum quod vermes poſſunt generari in matrice,ſed rariſſime. Gordonius.

Interdum generantur aſcarides in matrice ex melancholia phlegmatica, putrida,mucci-laginoſa,vel acetoſa. Moleſtant & habent ibi pruritum intolerabilem. Vidi unam,non poterat durare. Dedi ſibi unam injectionem in matricem ad modum clyſteris, ubi poſui de hiera picra diſſoluta in decoctione abſinthij,

fecit de vermibus parvulis in quantitate magna, quasi media scutella, & fuit liberata. Ioan. de Tornamira.

Magis mihi consentaneum est, gigni in utero, & eo magis, quod memini me alias docuisse, ut dicit Aristot. Albertus, & alij, vermes fieri in cerebro & vasis spermaticis, ut non sit adeo durum, quod etiam fiant in utero. Mercurialis de muliebr. morb. lib. 4. cap. 12.

Nos, qui plurimum fidei in nostra arte experimentis rationi accommodis tribuere solemus; per uteri collum Matronam quandam multitudinem ascaridum magnam expulsisse vidimus: quæ postea dolore, quo vehementer cruciabatur, liberata est. Gartias Lopius variæ rei Medicæ lect. cap. 13.

OBSERVATIO CCCXIII.

Intestina ex utero prolapsa.

VIdimus mulierem, de cujus vulva pariter disrupta intestina omnia profluxerant, paucis diebus occubuisse.

Insuper & aliam novimus, cujus intestina, perfracta eorũ tunica, à summa umbilici cute tanquam in sacculo dependebant in vulvam. Hæc autem miseram quidem, sed tamen longiorem vitam ducẽs, una cum hoc malo consenuit. Benivenius cap. 5. de Abdit.

OBSER-

OBSERVATIO CCCXIV.

Puella nescio quo genio ducta, castaneam intra vulvam recondens: cum repetere non posset, vetulæ consilio, sternutamento excussit.

QVædam Puella in os vulvę ejus imposuerat parvam castaneam: & cum manibus extrahi nō posset, vetula quædam cum pipere fecit eam sternutare: & subito egressa fuit. Savonarola Tract. 6. cap. 5. rubr. 11.

FINIS.

LEMMATA OBSERVATIONVM LIBRI QUARTI:

EO ORDINE QVO IN HOC VOLVMINE PROponuntur dispositа.

DE GENITALIBVS PARTIBVS IN GENERE.

Monstrum bicorpor pubetenus, cætera simplex: genitalia genitalibus inserta habens. Obs. 1.

Genitalibus utriusq; sexus carens, natus quidam. Obs. 2.

Hermaphroditi, qui olim Androgyni. Observ. 3.

Verus Hermaphroditus, qui Ancillas comprimere, & in his generare: idemque filios & filias exsepararе solebat. Obs. 4.

Naturalis sexus humani mutatio: qua, mulieres in viros: rarius vero viros in mulieres conversos esse, visum est. Obs. 5.

Mulie-

Mulieres quædam, ob maritorum desuetudinem & mensium defectum, mutata voce, barbatæ factæ, in virilem habitum transiere, non sine valetudinis & vitæ periculo. Obs. 6.

Scytharum morbus effœminatus. Obs. 7.

DE PARTIBUS GENITALIBUS IN SPECIE.

DE MASCVLORVM GENITALIBUS.

Et primum

DE PENE ET PRÆPUTIO.

Pene gemino visus quidam. Obs. 8.

Sine Mentula natus infans, sed cum scroto & testiculis. Obs. 9.

Glans imperforata, & quænam ejusdem perforandi rationes. Obs. 10.

In glande virili cujusdam duo meatus distincti animadversi: quorum unus urinæ, alter seminis excretioni serviebat. Obs. 11.

Breviore pene quidam; Et alius ob cancrum eo inciso, genuit. Obs. 12.

Contorti & ad procreationem inutilis

virilis Colis, ad fœcunditatem correctio. Obſ. 13.

De nova pudendi diſtortione ♀. Obſ. 14.

De Phymo ſeu Phymoſi præputij cum carnea ἐκφύσει. Obſ. 15.

Ingenioſa curatio corũ quibus glans præputio nudari non poteſt, & propemodum occalleſcit, gravi ſterilitatis noxa. Obſ. 16.

Præputij reſectionis ratio nova. Obſ. 17.

Virulento ſcorti cujuſdam congreſſu omnibus illico poſtula in glande excitabatur, qua penis, cum vitæ periculo, paucis horis arrodebatur, niſi vel ſectione ♀, vel uſtione, etſi dubio ſæpe eventu, ſuccurreretur. Obſ. 18.

Puer quidam medium colem lino arcte ♀ conſtringens, eundem uſq; ad urethram diſcidit: unde per calloſa vulnera perpetua urinæ excretio conſecuta. Obſ. 19.

Ob caſtitatis Zelum, Zelotypiam & inſanum Amorem, ſibimetipſis quidam vel colem, vel teſticulos amputantes, ſervati ſunt. Obſ. 20.

Eunuchiſmus Turcarum. Obſ. 21.

Res mira, per penem pedere; exemplo quorundam, qui micturi per penem non minus

atq;

atq; anum olidos ventris crepitus emittere solúti sunt. Obs. 22.

Aliæ non minus admiratione quam commiseratione dignæ historiæ, quibus ostenditur, nonnullos vel naturæ errore, vel morbi occasione per mentulam stercora exclusisse. Obs. 23.

Calamum cum spica quidam per propriæ virgæ meatum adegit, qui sesquennium post ex apostemate in sinistro crure oborto, & suppurrato, prodijt. Obs. 24.

Capitis cum pene indicibilis prope consensus, varijs & fere incredibilibus historijs atque symtomatibus confirmatus. Obs. 25.

DE TESTICVLIS, VASIS SPERmaticis varijs & Scroto.

Testiculi & mammæ prodigiosæ magnitudinis. Obs. 26.

Ob castitatis votum inviolatum cuidam testes cum vasis spermaticis mire contabuerunt. Obs. 27.

Sine testiculis nati, qui natura eunuchi sunt, vel unico solum. Obs. 28.

Aliquando etiam tres testes visos in quibusdam,

busdam, id quod familijs nõnullis proprium & singularis libidinis argumentum extitit: quinetiam tuberculum, tertium testiculum ementiens, animadversum. Obs. 29.

Vlcus latens in peritonæo, ex quo altero testium intenso dolore intumescente, mors consecuta est. Obs. 30.

De Carcinomate sinistri testiculi ob emollientium & resolventium medicamẽtorum usum exulcerato, ac in cancrum immedicabilem converso. Obs. 31.

Lapilli in testiculis geniti. Obs. 32.

Monstrosæ Venarum & Arteriarũ seminalium conformationes: quarum nonnullæ, vel θηλυγενίας, vel indomitæ veneris causæ videntur. Obs. 33.

Vasis semen in penem deferentis cavitas exemplo demonstrata. Obs. 34.

Glandosum corpus collo vesicæ adnatum, gonorrhœa laborantis, semine non minus quam testes refertum visum. Obs. 35.

Glandoso corpore, quod collo vesicæ adhæret, nimium resiccato: urinæ difficultas inducta, atq; curata. Obs. 36.

Lapides in glandoso corpore, quod collo vesicæ adhæret, animadversi. Obs. 37.

In

In scroto lapis visus, qui ex ejusdem exulce-
ratione procidit. *Obs.*38
Lapilli ex collo vesicæ & scroto per sectio-
nem exemti circiter 178. *Obs.*39.

DE COITV.

Ex effreni coitu sanguis purus emictus
*Obs.*40.
Coitus desiderio flagrantes nonnulli, se-
minis loco crepitus per alvum elidere soliti.
*Obs.*41.
Coeuntibus nonnullis etiam ventris cre-
pitus elidi: vel alvi excrementa magna fœ-
ditate profluere. *Obs.*42.
Bestiolam exiguam, pilosam, polypodem,
cum multo semine ejectam. *Obs.*43.
In Coitu semine destituti ob Gonorrhœam
in somno. *Obs.*44.
De ijs, qui semen non excernunt. *Obs.*45.
Quidam coeundo præpropere nimis se-
men profundunt, cum sterilitatis noxa.
*Obs.*46.
Castratos coivisse, & semen exclusisse.
*Obs.*47.
In venere mortui. *Obs.*48.
Exemplum ignotum cujusdam, qui plagis
fer-

ferventior cooriebatur in concubitum. Obſerv.49.

IMPOTENTIA VENEREA.

Virilitas ademta & reſtituta. Obſ.50.

Iuvenis veneficio mutone ſpoliatus, quomodo reſtitutus fuerit. Obſ.51.

Virilitas carmine ademta. Obſ.52.

Impotentia laborans deſperata curatus. Obſ.53.

Ab impotentia venerea quidam cõmoda victus ratione inſtituta liberatus. Obſ.54.

Aphrodiſiaſtica prodigioſa plera q; nova & rara. Obſ.55.

DE GONORRHOEA.

Syſimbrio comeſto quidam gonorrhœam provocabat. Obſ.56.

Nonnullos mentulam non modo non arrigere, ſed eadem flaccida quoque, aliquando genitura diffluere. Obſ.57.

Gonorrhœæ ſpecies raræ & admirandæ. Obſ.58.

Gonorrhœa nova virulenta ex lue venerea. Obſ.59.

Ad Gonorrhœam virulentam remedium. Obſ.60.

DE

DE PRIAPISMO.

Ex priapismo veretrum senex quidam cornu instar intensum aliquot mensibus sustinuit, nihil proficientibus medicamentis. Obs.61.

Quidam penem una cum scroto tam rigida & sursum tensa habebat, ut mingendo, tabula qua se tueretur, ne faciem urina conspergeret, opus haberet. Obs.62.

Ex Priapismo mortuus, biduo rigido pene visus. Obs.63.

Rigidus cuidam penis ob veneris desuetudinem. Obs.64.

Cadaverum in castris inguina magna & intenta visa, altera à pugna commissa die. Obs.65.

DE HERNIIS.

Tussi scissa tunica intestinorũ, Herniam incidit. Obs.66.

Hernioſus quidam, cui intestina ad scrotum delapsa gravissima symtomata excitarunt, restitutus: qui neglectis fascijs ex recidiva mortuus est: cujus intestina deprehensa sunt cum epiploo livida, & adeo in scrote

ſcroto complicata, ut minime explicari & reponi potuerint. Obſ. 67.

Enterocele in conſtante ætate citra ſectionem curata. Obſ. 68.

Herniariæ uſu quidam, maxime vero pueri, ab enterocela percurati. Obſ. 69.

Rupturarum unius Indicæ herbæ & ligaturæ uſu curatio. Obſ. 70.

Novum genus curationis ad enterocelam ab authore primum proditum. Obſ. 71.

Herniarum curatio chirurgica nova per varios puncti aurei dicti modos. Obſ. 72.

Securior, ſed longior curandæ herniæ modus. Obſ. 73.

Alia inteſtini, omentiq; reſtituendi facilior & tutior curatio. Obſ. 74.

Monſtroſæ magnitudinis, ſine periculo, herniæ. Obſ. 75.

Herniæ triplicis ingens pondus ad libras 60. deveniens: poſt cujus ſectionem mors ſecuta. Obſ. 76.

Herniæ opinionem nonnunquam teſticulus in inguine latens facit, tum quæ huic animadverſio debeatur. Obſ. 77.

Entroceles ſpecies quædam ſua ſponte conſanaſcens. Obſ. 78.

Caſtra-

Castratores ectomi vel mortis, aut sterilitatis perpetuæ autores. Obs. 79.
A ramice curatus interijt. Obs. 80.
Ileo epigenomeno herniæ symtomati, uti chirurgica ratione succurrendum. Obs. 81.
Omenti in testis seminaliumque vasorum decubitum, mollium ramicum, quos vulgus carnosos vocat, autorem esse. Observ. 82.
De Hydrocele. Obs. 83.
Scroti in hydrocele periculosa sectio. Observ. 84.
Hernia aquosa aperta, nobilis quidã præter spem servatus. Obs. 85.

DE MULIEBRIUM GENITALIUM PARTIBUS

Et primum

DE EXTERNIS.

Ex inguinibus & alis vulvæ mulierum & virginum quarundam, monstrosæ carneæ excrescentiæ, strumarum instar, ponderis librarum 18. 25. 34. *ad genua & crura usque à tenuiore basi propendentes, enatæ uberum*

vaccinorũ ſubſtantia, glandulis & pinguedine refertæ; quarum nonnullæ ſine vitæ periculo per chirurgiam liberatæ: aliæ vero mortuæ. Obſ. 86.

Caro ex naturalibus prolapſa. Obſ. 87.

Vena digiti indicis longitudine & craſſitie ex vulva propendens, Hæmorrhoidum inſtar, enata. Obſ. 88.

Mentula muliebris, Hippocrati Κλειτορις, id eſt, columella, alijs Cletoris, quibuſdã Nympha dicta: recens ex veterum ſcriptis & neotericorũ obſervatione inventa & deſcripta. Obſ. 89.

Sedes oblectationis in congreſſu veneree, Obſ. 90.

Carnea excreſcentia juglandis magnitudine ex elatiore vulvæ parte enata: feliciter execta. Obſ. 91.

Cletoris ſeu mentula muliebris Matronæ cuidam ad eam deformitatem excrevit, ut collum anſerinum, craſſitie & longitudine, æquaret. Obſ. 92.

Mentulæ muliebris ubi ad deformem magnitudinem excreverit: velut & Cercoſis ex veterum præſcripto præfectio. Obſ. 93.

De Hymene animadverſiones recentiorũ. Obſ. 94.

De

De Atretis seu imperforatis, quarum genitalia vel natura, vel aliter concreta sunt, tum quomodo hæc ipsa Chirurgia aperiãtur. Obs. 95.

Membrana sinui muliebri obtensa, ut veterum consilio consumenda. Obs. 96.

Aliquot puellarum historiæ memorabiles, quarum pudoris sinui membrana validior obnata menses restitantes coacervabat: harum nonnullæ chirurgia percuratæ sunt: aliquæ vero mortuæ. Obs. 97.

Colli matricis phyma, ejusque curatio. Obs. 98.

Os feminis erosum; & circa matricis os quatuor lutei tuberculi pilæ instar visi. Observ. 99.

Uteri pruritus curatus. Obs. 100.

Phlegmones erysipelatodis uteri curatio, & de eo, quod post fervoris mitigationem accidit in corporis totius superficie. Obs. 101.

Gangrænæ in uteri ostio gravissimæ curatio. Obs. 102.

DE MULIEBRIBUS PARTIBUS GENITALIBUS INTERNIS:

Et primum

DE VTERO.

*Vteri substantia cujusmodi vere sit, de recentiorum observatione. Obs.*103.

Fœminei sexus, gemina fœminea natura natt. *Obs.*104.

*Mulieris cujusdam vulvæ monstrosa conformatio, qua Vterus desiderabatur. Observ.*105.

Vterum humanum secundum naturam cõstitutum minime, ut brutorum, in vaccina, caprina aliave cornua excrescere, sed quasi obtuso angulo designari. *Obs.*106.

Vterum humanum aliquando, sed rarissime & monstrose, bicornem ut brutorum animalium observari. *Obs.*107.

Vterus bipartitus. *Obs.*108.

Vteri humani cavitatem internam minime in cellulas septem, uti hactenus plerisq; creditum, distingui. *Obs.*109.

Vterum aliquando fungosum, mollem, spongiformem: ipsiusq; cervicem totosseam visam. *Obs.*110.

Vteri mulieris, ex puerperio mortuæ, constitutio. *Obs.*111.

Vterus spissus à partu. *Obs.*112.

Calli in utero nati, sterilitatem inducentes. *Obs.*113.

Vteri

Uteri humani substantia in scirrhum magnitudine capitis humani indurata, molæ opinionem imperitis exhibens. Obs. 114.

DE MULIERUM VASIS SPERmaticis & Testiculis.

Vermes in vasis spermaticis. Obs. 115.

In dextro mulieris cujusdam, repentina morte sublatæ, testiculo, tumor magnus, pilis, sevo & pure infarctus animadversus. Obs. 116.

DE CONCEPTIONE.

Mulieres quasdam mensium profluvio destitutas, non tam inculpata sanitate usas, quam concepisse & peperisse sæpe. Obs. 117.

Honesta quædam matrona tanto coitus desiderio, eo intervallo, quo nec uterum gestabat nec lactabat, tenebatur; ut cum sævissimis tremoribus, alijsque symtomatibus, dierum aliquot insaniam incurreret, quæ post conceptum cessabant. Obs. 118.

Rara aliquot & nova ad conceptum remedia, de Historia & Experimento cognita. Obs. 119.

Ad maris vel fœmellæ conceptionem facientia. Obs. 120.

Vetulas admodum concepisse & peperisse. Obs. 121.

Mulier sexagenaria ex septuagenario sene concepit, & decimoquinto mense puellam peperit oculis & manibus privatam, quinq; mensibus vitalem. Obs. 122.

Anus rejuvenescens. Obs. 123.

Quosdam viros post octogesimum sextum, nonnullos octogesimo completo, & ad centesimum usq; libetos procreasse. Obs. 124.

Pueros septem, novem, aut decem annorum progenerasse: Et puellas octo aut novem annorum utero gestasse, & peperisse. Observ. 125.

DE SVPERFOETATIONE.

Superfœtationis exempla & rationes. Obs. 126.

Superfœtatio Epidemica aliquando animadversa. Obs. 127.

Superfœtatio monstrosa. Obs. 128.

DE GRAVIDIS.

Gravidarum imaginationis in corpora & humores vis stupenda. Obs. 129.

Subi-

Subitanei & improviſi terroris gravidis incuſſi, effectus prodigioſi. Obſ. 130.

Picæ gravidarum exempla admiranda; quibus abſurdus prægnantium appetitus exprimitur, quo ſi fruſtrantur, eas vel periclitari contingit, vel notas maculasve rerum deſideratarum fœtibus imprimere. Obſ. 131.

Gravidarum Malacia aliquando noxia. Obſ. 132.

Gravidis malaciam nonnunquam poſt partum aliquandiu extendi, & durare. Obſ. 133.

Gravida quædam aſſidue ſedendo & nendo mira alvi aſtrictione correpta eſt, ex qua tandem in ſæviſſimos Colicos dolores incidit, quæ eidem fœtum, imaturum quidem, ſed vivum extorſerũt. A partu ingenti ventris tumore adeo non ſubſidente, ut magis exauctus fuiſſe videretur: quæ paulo poſt vitam finiit. Aperto ejuſdem corpore, Colon inteſtinum ſua ſede pulſum & gangrænoſum, una cum vicinis muſculis abdominis denigratum, & ad canthari amplitudinem fœcibus infarctum, deprehenſum fuit, reliquis inteſtinis undiq; flatibus admodum prodigioſe diſtentis. Obſ. 134.

De morbis acutis mulierum utero gerentium. Obs. 135.

Gravidæ, acutis morbis correptæ, servatæ. Obs. 136.

Mulieres prægnantes nonnunquam Diarrhœas innoxie usq; ad tempus partus ferre. Obs. 137.

De utero gerente muliere Dysenteria laborante. Obs. 138.

Gravida, febri continua cum tertiana intermittente & periculosissimis symtomatis correpta liberatur. Obs. 139.

Mulier in septimo gestationis mense gravi pleuritide correpta, sine sanguinis missione, sudore & sputo copioso manante, sub vigesimum diem integre curata fuit, fœtu salvo. Obs. 140.

De pleuritide sinistri lateris gravi in mulier prægnante, sine ullis prope medicamentis, sed solo naturæ ductu infra quartã diem sanata Obs. 141.

Deplorata Angina in prægnante curata. Obs. 142.

Gravidæ hydropicæ. Obs. 143.

Embryo hydropicus. Obs. 144.

Gravidis nonnullis insignis narium hæmorrha-

morrhagia innoxia. *Obſ.*145.

De prægnantis Baroniſſæ N. N. infirmitate ex immodico fluxu menſium, eoq; continuo ad quinq; ſeptimanas, curata à Iacobo Horſtio. *Obſ.*146.

Menſes fluere nonnullis gravidis aliquandiu, vel etiam toto uteri geſtationis tempore, idque citra offenſam matris & fœtus. *Obſ.*147.

Menſtrua purgatio in gravidis quibus modis fiat. *Obſ.*148.

Gravidis plethoricis ad præcavendum abortum, ne fœtus ſanguine ſuffocetur, venæ ſectionem profuiſſe, imo ſæpe neceſſariã eſſe. *Obſ.*149.

Gravidis nonnullis, vel per errorem, vel certo conſilio, etiam fortiſſima non tantum catarctica, ſed & menſes ducentia, ſudorifica, idq; genus alia medicamenta exhibita & adminiſtrata, nullo vel fœtus vel matris incommodo, imo aliquando magna cum utilitate. *Obſ.*150.

DE PARTU.

Et primum

DE TEMPORE PRÆCOCE ABORTIVO.

Abortuum aliquot descriptiones. Obs. 151.

DE PARTV VITALI PRÆCOCE ET SEROTINO.

Quinto mense nati vitales. Obs. 152.
Sexto mense nati vitales. Obs. 153.
Septimo mense nati vitales. Obs. 154.
Octavo mense nati vitales. Obs. 154.
Decimo & undecimo mense nati vitales. Obs. 155.
Decimo tertio mense natus vitalis. Observ. 156.
Decimo quarto & decimo quinto nati vitales. Obs. 157.
Viginti tribus mensibus in utero gestatus. Obs. 158.
Biennium in utero gestatus infans, statim atq; in lucem editus fuit & loqui & incedere potuit. Obs. 159.
Alius infans, bene habita matre, quadriennium in utero gestatus. Obs. 160.

DE PARTV FOECVNDO.

Fœcunditatis illustria exempla. Observ. 161.

DE PARTV NVMEROSO.

Mulieres quæ uno partu numerosam sobolem enixæ sunt. *Obs.*162.

DE PARTV FACILI.

Stupenda mulierum quarundam exempla, quæ statim atq; pepererunt, nulla puerperij ratione habita, ad consueta opera reverruntur. *Obs.*163.

DE PARTV DIFFICILI.

Partus difficultas, ob vasa umbilicalia fœtui collo involuta. *Obs.*164.

Triduum fœtus caput extra naturalia in partu propendens: tandem vi extractus est, salva matris & infantis vita. *Obs.*165.

Gravidæ cuidam fœtus manus per umbilicum exerta est, & quindecim dies ad partum sic stetit, salva matre, vivo & vitali fœtu. *Obs.*166.

Partus difficultas ob Omphalocelen in qua fœtus inter enitẽdum sursum in umbilicum manifeste etiam ad tactum regestus, non nisi singulari industria ad felicem partum dirigi potuit. *Obs.*167.

A desperato partu mulier cum fœtu liberatur. *Obs.*168.

De

De fœtu mortuo in partu, & semihorula spatio post reviviscente. Obs. 169.

Aetite lapidis, in continendo & propellendo fœtu, vis, veterum & recentiorum experimento confirmata. Obs. 170.

Ad partus difficultatem remedia aliquot rara, nova, aut vulgo incognita. Obs. 171.

Ancillæ puellæ Estymargei historia & curatio, cui à puerperio secunda retenta fuit. Obs. 172.

Ad secundinas à partu hærentes: de historia & experimento selecta & nova aliquot remedia. Obs. 173.

De mortuo fœtu medicamentorum vi ex utero pulso, historia. Obs. 174.

Sterilis quædam mulier, medicamentis fœcunda & gravida facta, tribus tumoribus in ventre subortis, tandem partus difficultate una cum fœtu moritur, à cujus morte post exauditum crepitum fœtus dentatus in lucem exivit. Alia item laborioso partu mortua, perinde fœtum mortuum una cum utero & intestinis excussit. Obs. 175.

DE FOETIBVS IN VTERO PVTREFACTIS, MATRIBVS

BUS SÆPE PERNICIOSIS: ALIQUANDO VERO SALVIS: IJSDEMQUE AUT PER TUMORES VENTRIS EXCRETIS: AUT COLLIQUATIONE CUM OSSICULIS PER ALVUM AUT VULVAM EXPULSIS: VEL RECENTIBUS ADHUC, ALTERUTRO SERVATO, PER CHIRURGIAM AUT MANUUM SOLERTIAM LIBERATIS: VEL DENIQUE VTROQUE PER NOVAM HYSTEROTOMOTOKIAN EDUCTIS SERVATISQUE: HISTORIÆ STUPENDÆ ET ADMIRATIONEM OMNEM, PRÆTER EAM QUÆ INDE AD HUMANUM GENUS REDUNDAT VTILITATEM SUMMAM, VINCENTES: ANTIQUITATEM ETIAM IN HOC ARGUMENTO LONGE POST SE RELINQUENTES, ILLUSTRANTESQUE NONNUNQUAM.

Historiæ Mulierum, quæ seipsis ignorantibus utero gestarunt, in quibus fœtus mortuus & putridus causa fuit ut & uterus in corpore putresceret, ita ut temporis progressu interio-

interierint. *Obſ.176.*

Mulieres, quarum aliquæ puerperæ fuere, aliquæ vero non, quæ Apoſtematibus Uteri laborantes apertæ fuere cauterio actuali abdominiimpreſſo, quæ tamen non modo non mortuæ, verumetiam nec facultate concipiendi privatæ fuere. *Obſ.177.*

Hiſtoriæ Gravidarum quibus vel ob partus difficultatem, vel caſum aliquem, fœtus mortuus & putridus, aliquandiu geſtatus etiam putreſcente utero, circa umbilicum, abdomen, imum ventrem & inguina tumores, aut veſicas excitarunt: ex quibus, vel ſponte, vel arte ſuppuratis apertisq;, putridi fœtus cum oſſibus exemti: conſolidatisq; ulceribus, matres abſq; ſterilitatis noxa convaluere. *Obſ.178.*

Hiſtoria gravidarum, quibus ob partus difficultatem fœtus mortuus aliquandiu geſtatus, tandem tabido profluvio excitato, marcidus vel per vulvam, vel anum, vel utraq; una cum oſſiculis excretus fuit: ſalvis matribus, & fœcunditate integra. *Obſ.179.*

Matthiæ Cornacis, Philoſophi & Medici, Romanorum Regis Phyſici, hiſtoria geſtationis fœtus mortui per annos plus quatuor: qui tandem

tandem opera & consilio Medicorum ex utero ita per alvum, Deo adjuvante, exsectus est, & membratim exemtus, ut mater viva permanens integræ restitueretur sanitati: atque post biennium denuo conciperet, ut secunda testatur Historia. Obs. 180.

Quod eadem fœmina denuo conceperit, & gestaverit fœtum vivum, perfectum masculum, ad legitimum pariendi tempus: quodq; ex post habita sectione mater una cum puello interierit. Obs. 181.

Memorabilis historia de muliere quæ jam annis tredecim utero gestavit sceletum fœtus mortui, quod tactu tum ab ipsa matre tum ab omnibus illi præsentibus percipitur. Alia item huic non multum absimilis. Obs. 182.

Gravida partui propinqua post casum fœtum vitalem amplius nō sentiens, ab eo tempore bis concepit, & feliciter enixa est, restitante nihilominus adhuc semper priore fœtu cum ventris tumore, citra ullas ejusdem putrefactionis aut excretionis notas. Observ. 183.

Historia vituli una cum alterius Sceleto exclusi. Obs. 184.

Mulier

Mulier Sceleton mortui fœtus utero ferens denuo concipit: accedentibus vero magnis doloribus & periculo vitæ; Sceleton per sectionem eximitur, uterus expurgatur & consolidatur, relicto altero cõceptu: qui postmodum vivus & validus in lucem prodyt in tantum non offensa fertilitate, ut etiam quater ab hac curatione pepererit. Obs. 185.

Extrahendi fœtus mortui, ferramentis chirurgicis, viva adhuc matre, recentiorum modi varij. *Obs.* 186.

Fœtus mortui, viva matre, sola manuum solertia & industria, sine instrumentis Chirurgicis, eductio. *Obs.* 187.

Extrahendi fœtus vivi ratio, matre mortua. *Obs.* 188.

Exempla exsectorum ex utero matrum mortuarum, qui Veteribus Cæsares & Cæsones dicebantur. *Obs.* 189.

Si duos fœtus gerat mater, quorum alter vivus, alter sit demortuus, uterq; autem ad exitum festinet, quid agendum. *Obs.* 190.

Mulierculæ ob partus difficultatem uteri os exulceratum neglectumque, adeo coaluit, ut exiguo foramine pervium relinqueretur. Eidem rursus gravidæ, ob locorum angu-

stiam,

ſtiam, fœtus denuo ſuffocatus & per chirurgum fruſtillatim extractus eſt, in collo uteri ulcere excitato, & recto inteſtino communicato, unde miſera fæces per ulcus dejecit: quæ tandem, inteſtino conſolidato, cõvaluit, atq; de cætero excrementa per anũ reddidit.

Obſ. 191.

Cæſareum partum, quo inciſa matris alvo, fœtus ſalva utriuſq; vita educitur, non omnino novum, ſed vetus inventum eſſe.

Obſ. 192.

Hiſtoriæ novæ, ſtupendæ, atque incredibiles prope, & à Iulij Cæſaris tempore ad noſtram uſque ætatem inauditæ, quibus oſtenditur fœtus ex utero materno abdomine & utero per latus inciſo, citra utriuſque vitæ periculum, adeoque ſine conceptionis & fœcunditatis jactura fuiſſe eductos, qui alias in lucem produci haud potuiſſent. *Obſ.* 183.

Ad Chirurgos brevis exhortatio de ſectione Cæſarea, quomodo, quave ratione adminiſtranda ſit: ejuſdẽ Franciſci Rouſſeti.

Obſ. 194.

Res plane ſtupenda, qua in muliere triginta ſeptem annorum viſus eſt uterus totus lapideus, ponderis ſeptem librarum, hepar unico lobo & tunica cartilaginea conſtans, lien rotundus, veſica lapidea, peritonæum duriſſimum, & quod admirationem omnem ſuperat, vivens muliercula nullis manifeſtis morbis obnoxia. Obſ. 195.

Lithopædij hiſtoria admirationem omnem ſuperans; qua fœtus exacte conformatus, & viginti octo annis in utero geſtatus, in marmoream duritiem converſus: atque à matris obitu per ſectionem exemtus, vel hodie quoque nullius putredinis aut teredinis notam præbens conſpicitur. Obſervat. 196.

DE MOLIS IN GENERE.

Effluviorum ſeu Effluxionum molarumque tam vitalium, quam non vitalium cauſa & modi. Obſ. 197.

DE MOLIS IN SPECIE.

Molæ veræ, quæ vulgo Carneæ appellãtur. Obſ. 198.

Mola

Molæ fœtibus sæpe cum certo interitu alligatæ: matrib. quoq; periculosissimæ. Obs. 199.

Mulier gravida massam molam ve informem, ansatam utrinque, palpitantem, cum monstro Sanguisuga dicto, & fœtu masculino misere à fera excarnificato non sine vitæ discrimine parit. Obs. 200.

Mola quomodo intelligatur esse caro informis: tum variæ molarum species & ex his una omnium monstrosissima, qua tres molæ, forma mentularum virilium excretæ. Obs. 201.

Virgines etiam molas gestare. Obs. 202.

Mulier annorũ 56. & sæpe & sine viri concubitu, molas plures cum sanguinis excretione dolorifica parere solita: quæ aëri expositæ in aquam resolvebantur. Obs. 203.

Molæ plures & difformes uno partu exclusæ. Obs. 204.

Molas nonnunquam usque ad quartum, quintum, decimum quintum, decimum septimum, & vigesimum annum à mulieribus gestari, aliquãdo etiam toto vitæ suæ tempore circumferri. Obs. 205.

Molas nonnullæ sine magno incommodo aliquandiu utero gestarunt. Obs. 206.

Molas nonnunquam fœtibus morbos ingenerare. *Obſ.*207.

Mola, cum excludi non poſſet, putrefacta: eadem contagione uterum affecit, & mulierem perdidit. *Obſ.*208.

Mola utero adnata, & membranæ putridæ viſæ in fœmina quæ poſt laborioſum partum cum varijs ſymtomatis febre extincta mortua eſt. *Obſ.*209.

Symtomata mulieris cujuſdam, molam geſtantis, & parientis. *Obſ.*110.

De mola, quæ novies in uxore Thobiæ Knott, civis Suvidnienſis in Sileſia, generabatur, & expellebatur quarto menſe, præſervativa unico remedio. *Obſ.*211.

Mola ut dejicienda, tum quæ ejus chirurgica ratio. *Obſ.*212.

DE MOLIS FALSIS.

Mola ſanguinea. *Obſ.*213.

Pulmentaria Mola. *Obſ.*214.

Empneumatoſis, ſeu Inflatio uteri, quam vulgo

vulgo flatuosam vel ventosam molam vocant. *Obs.*215.

Hydrops uteri, qui vulgo Mola Aquea dicitur. *Obs.*216.

Ex Hydrope uterino per lunares purgationes magna vis aquæ expurgata subinde. *Obs.*217.

Dissecto mulieris cujusdam utero, aquæ mensuræ Augustanæ supra sexaginta inventæ: & glandulæ dextri testis torosæ factæ. *Obs.*218.

Historia dissectionis ejusdem mulieris, ex uteri hydrope mortuæ, integra & absoluta. *Obs.*219.

Historia hydropis uterini cum Mola vera. *Obs.*220.

Molæ flatuosæ & aqueæ complicatæ animadversæ. *Obs.*221.

Uteri Hydropis species rara, veteribus, excepto Aetio, incognita: qua in utero vesicæ fellis similia corpuscula, aqua referta, comperta sunt. *Obs.*222.

Eadem uterini hydropis species à nostræ ætatis Medicis exactius observata, & accu-

ratius, etsi nonnihil evarians, descripta, cum membranaceis globis, bullis, vesicis, aqua aut sanie refertis. Obs. 223.

In substantia uteri mulieris cujusdam per sectionē deprehensa monstrosa plurima, velut humorum colluvies, carnosæ excrescentiæ, membranarum, tendinum, ossiculorum, gummatum, lupiarumq; concretiones, quorum pondus librarum quadraginta. Observ. 224.

Mulier post abortum, & legitimum fœtum per intervalla editos, tertio aliquid rostro & cristæ galli simile enixa est. Observ. 225.

Post felicem fœtus partum, quædam una cum secunda os quadratum excluſit. Observ. 226.

DE MOLIS EXTRA MATRICEM.

Molæ extra matricem genitæ: quarum una instar frusti carnis utero adnata: altera humani capitis magnitudine ad vasa seminaria sinistri lateris deprehensa. Obs. 227.

Viriculus substantia sebacea, crassitie

culiri,

cultri, aquam colore & consistentia lixivio persimilem continens, inter colon, ex uteri fundo externo mulieri cuidam pronatus, eidem per sexennium ventris tumorem gravidæ instar excitavit, à quo tandem suffocata perijt. Obs. 228.

Muliercula multis annis turgido ventre, cum tabe absumta, & incisa; inventa in abdomine aquæ amphora, cum tumore insigni propria tunica concluso, & varijs appendicibus, partim pinguedine, partim glutino albo, & materia cruenta, fœtida, refertis. Obs. 229.

DE MOLIS VITALIBVS.

Molæ utplurimum vitales, quas Cœlius Aurelianus & Marcellus, Pecus: Barbari feram Beluam, Aquilam, Accipitrem, Bubonem: Recentiores, Musculos, Talpas, Ranas, Bufones, Echinos, Lepusculos, Feles, Astacos, Tenchas, Polypos, Erucas, Sanguisugas, Lacertas & Serpentes nominarunt. Quas, mulieres vel cum fœtu, vel sine fœtu peperere. Harum nonnullæ levi saltem contractionis & explicationis sensu præditæ: aliquæ vero serpere, reperere, discurrere, & volare quoq; animadversa sunt. Obs. 230.

Mulieres quasdam Elephantos, Leones, Canes, Catos, & Porcellos peperisse. Observat.231.

DE PVERPERIS.

De morbis acutis puerperarum. Observ.232.

Febris lactis puerperarum. Obs.233.

Vterum à partu mulieri cuidam, admisso per errorem flatu, adeo refrigeratum, ut in magnum tumorem abierit: qui idoneis medicamentis disparuit. Obs.234.

Puerpera atque primipara mulier juvencula, ob frigus imprudenter admissum altero à partu die in gravem pleuritidem incidit, ut præspirandi difficultate præfocari sibi videretur. Misso sanguine contra suorum omnium vota, à nobis tamen Medicis persuasa, aliisq; opportunis auxiliis adhibitis, nutu Dei præpotẽtis curatur magna omnium admiratione. Obs.235.

Puerpera pleuritica alia liberatur. Observ.236.

Mulier gravida post partum mortua, utero,

tero, hepate, atq; pulmonibus vitiatis à sectione deprehensis. Obs.237.

De muliere, quæ, cum pariebat, insana & melancholica fiebat. Obs.238.

Ab inflammatione mammillæ puerpera melancholia correpta, restituta. Obs.239.

A partu muliercula nonnunquam Melancholia, & tandem confirmata Mania correpta est. Obs.240.

Puerperas nonnunquam phreniticas fieri, & si neglectim habeantur, sibi ipsis vim inferre. Obs.241.

Puerpera quædam, ex sinistro inguine efflictim dolens, à puerperio dolore indies aucto, locus affectus post maturantium usum ferro apertus, educta puris laudabilis copia ægra convaluit. Obs.242.

DE MENSIBVS.

Puella recens nata, menstruis obnoxia, mamillis pendulis, & pilis alarum atq; pubis ornata. Obs.243.

Quinquennes puellæ menstruis affectæ,

idque sine valetudinis incommodo. Observ.244.

Fluori muliebri & mensibus rubris obnoxiæ puellæ octo annorum. Obs.245.

Per quas venas menstrua purgentur. Obs.246.

Mulieres quasdam triennium, quinquennium, & septennium nonnunquam menstruis carere solitas, tandem concepisse. Obs.247.

Quinquennium menstruis destituta, unde sterilitatem sibi contraxerat mulier: restituta. Obs.248.

Lactantibus nonnullis menses sine valetudinis incōmodo fluere, & quæ nam hujus ratio. Obs.249.

DE MENSIVM SVPPRESSIONE.

Frigidissima ex nive hausta, mulieres quadam mensium suppressione correptæ: quibus venæsectione succursum. Obs.250.

Historia mulierculæ haud ignobilis, cui menstrua suppressa, & venæsectione restituta fuerant. Obs.251.

Ob

Ob menſium ſuppreſſionem male curatum à medico, mulier paralyſim incurrit. Obſ.252.

Vrinæ, defectu menſium laborantium, quales. Obſ.253.

Mulierecula devoratis magna copia prunis, menſium ſuppreſſionem, & ventris tumorem gravidæ inſtar incurrit: quæ tandem exacto anno purgantis medicamenti vi incredibili oſſiculorum prunorum per alvum dejectione liberata eſt: tumore ſubſidente, & menſibus legitimum ſuum typum denuo ſervantibus. Obſ.254.

De ſtillicidio menſtrui, veteribus, præter unum Aetium, incognito; noſtris vero non infrequenti. Obſ.255.

Morbus virgineus: febris alba vulgo dicta. Obſ.256.

DE MENSIBVS SVPPRESSIS ET ALIENIS LOCIS FLUENTIB.

Menſes reſtitantes ex oculis & auribus evacuati. Obſ.257.

Menſes remorati per nares & os expulſi. Obſ.258.

Menſes

Menſes dentis evulſione per vulnuſculum, ſeu præſepiolum, expulſi. Obſ.259.

Menſes per ſputum excreati. Obſ.260.

Menſes vomitione projecti. Obſ.261.

In impeditis menſibus non naturaliter aliquando lunares purgationes mulierum per colli uteri venas profluere. Obſ.262.

Menſes per ſanguinis periodicam emiſſionem expurgati. Obſ.263.

Menſtruum ſanguinem nonnullis ex hæmorrhoidibus profluere. Obſ.264.

Menſes detentos aliquando per ſedem excludi. Obſ.265.

Sanguis menſtruus per mammas emiſſus. Obſ.266.

Menſes menſtruo tempore cuidam per umbilicum, una cum vermibus evacuari ſoluti. Obſ.267.

Menſes aliquando per minimum manus digitum: & per annularem ſiniſtræ manus profundi. Obſ.268.

Menſes ex maligno pedis ulcere evacuati, abſciſſo eodem, legitimum curſum conſecuti

cuti sunt. Obs.269.

Sanguis menstruus per vulnus effluere visus. Obs.270.

DE IMMODICE FLVENTIBVS MENSIBVS.

Mensium hæmorrhagia, nihil proficientibus alijs medicamentis, sola venæ sectione cohibita. Obs.271.

Septem mensium fluore curata quædam remedio singulari. Obs.272.

Admiranda & vix à quoquam animadversa mensium & hæmorrhoidum cõtinuata reciprocatio, mulieris cujusdam: à quibus malis remedio non minus raro quam certo vindicata est. Obs.273.

Spontanea Saphenæ hæmorrhagia appresso silice cohibita. Obs.274.

Menstruorum profluvio mortua. Observ.275.

Iusta Menstruorum mensura. Obs.276.

Mulieri cuidam intra triduum viginti quinq; libræ sanguinis per uterum excretæ, salva vita. Obs.277.

DE

DE FLVORE MV-
LIEBRI.

Fluor uterinus ut à Gonorrhœa virulenta internoſcatur. Obſ.278.

A deſperato uteri profluvio mulier medici opera liberata: eundem quadringentis aureis donavit. Obſ.279.

DE SVFFOCATIONE
AB UTERO.

Ex retento ſemine uteri ſuffocatio & convulſio oborta. Obſ.280.

Uteri ſuffocatio ex hæmorrhagia ſaphia per imprudentiam & fortuito commiſſa. Obſ.281.

Ex Zelotypia ſuffocatio ab utero, velut ab alijs animi paſſionibus. Obſ.282.

Muliebrium teſtium ſinus, & in illis contentus humor obſervatus, qui in ſanis craſſiuſculum lactis ſerum exprimit: in agrotis vero croceus, fœtidus, venenoſusq; evadit: ex quo virgines nubiles, amantes, pallentes, menſtruis purgationibus deſtitutæ, & attenuato corporis habitu præditæ, lethales plerunque uteri ſuffocationes incurrunt. Obſ.283.

Cauſa

Causa hysterica accessionis vapor est ex utero, non tam per venas & arterias, quam per ductus cæcos & latentes sublatus, venesicus & malignus: neq; à menstruo, vel semine tantum, sed & alijs venenatis & corruptis causis suscitatus. Obs.284.

Vteri suffocationis symtomata varia & rara ex sympathia partiũ, cum quibus consentit,, nata. Obs.285.

Ex suffocatione uterina voces horrendæ in paroxysmis. Obs.286.

Ad uteri suffocationem remedia rara exemplis nobilibus demonstrata. Obs.287.

Ab utero suffocatæ, pro mortuis habitæ: & sæpe quoque elatæ, atque tumulatæ, reviviscentes. Obs.288.

Quæ ex uteri strangulatu mortua credebatur, à medico ad Anatomen adhibita, inexpiabili & famoso errore occisa est. Observ.289.

DE PROCIDENTIA UTERI.

Stupenda mulieris cujusdam uteri proidentia: cui ille humani capitis magnitudine

dine annis aliquot salva vita foras propendit. Obs.290.

Uteri puellæ procidẽtis, mira symtomata. Obs.291.

Ischias credita: cum esset uteri prolapsus, qui curatus est. Obs.292.

Uteri ex varijs causis procidentis historia. Obs.293.

Procidentia uteri curata. Obs.294.

Puella uteri procidentia laborãs, mortua. Obs.295.

Historia mulieris quæ cum uteri procidentia laborans concepisset, ex aborsu mox interijt. Obs.296.

A Diarrhœa in partu uterus cum secundina prolapsus, unde mortua mulier. Observ.297.

De Uteri procidentiam simulante. Observ.298.

Ad uteri procidentiam remedium rarum, certum, & à veteribus non satis cognitum, at recentiorum usu comprobatissimũ. Obs.299.

Obser-

Observatio, qua ostenditur, etiãsi mulieres pessarium in uteri corpore ferant, nihilominus tamen ipsas & concipere, & utero ad præfinitum à natura tempus gestare. Observ.300.

Pessuli ex subere ob uteri procidentiam subditi, atque intus remanentis historia. Obs.301.

Pessus 14. annis gestatus, excitatis vehementissimis doloribus, cum educi non posset: quibus demum remedijs fuerit exemtus. Obs.302.

DE VTERI EXSECTIONE.

Vteri vel ex procidentia, vel gangræna, aut aliter vitiati, totius, aut per partes, sine vitæ periculo, exsecti, historiæ admirandæ. Obs.303.

Vterum ex desperata procidentia, sive qualicunque occasione corruptum, non solum sectione & ustione, verumetiam ligaturis præscindi & tolli posse. Observat.304.

Mulieribus nonnullis uterum corruptum

citra ullam sectionem, ustionem, aut ligaturas, sed sua sponte & in totum è corpore prolabi & separari. Obs.305.

Castratarum Mulierum cum Veterum tum Recentiorum attestationes & historiæ celebres. Obs.306.

DE VTERI TVMORIBVS ET VVLNERIBUS.

Vteri abscessus multifariam expurgati. Obs.307.

Abscessuum uteri circa Inguina suppuratorum & curatorum historia. Observ.308.

Vteri portiones per abscessus & vulnera ablatæ. Obs.309.

DE VTERI ALIIS VITIIS PROMISCUE.

Vteri antiqui dolores curati. Obs.310.

Lapides in utero nati. Obs.311.

Vermes in utero nati. Obs.312.

Intestina ex utero prolapsa. Obs.313.

Puella

Puella nescio quo genio ducta, castaneam intra vulvam recondens: cum repetere non posset, vetulæ consilio, sternutamento excussit. Obs. 314.

FINIS.

ERRATA.

In præfatione pag.3.lin.11.*lege* eſto,cacare, aliquando. 5.3. drogyni.11. 10. hypoſpadicæorum.14.16.deliteſcat.18.4. Macrino.22.1.ſeculis.22.12.acceſſione.34.19.teneros.41.20.& 21. exigua & puſilla.42.20.phymoſeos.61.25.*dele* riſſimum.63.25. Philelpho.64.14. buteonem. 64.14. & 15. VVillichius.70.2.generatum.70. 17.Arteriarum.84.25.prepropere.91.1.probabiliorem.97.1.Mulieris.97.24.Agnacat.99.5. erithroni.102.7. Encelius.131. 6. opinionem. 149 10.*Cletoris tũ hic tum alibi ſemper ſcribendũ erat ſine h.*178.2.obcalluit.191.8. raſo-196.6. cannabinis.232.10. Fochſio.232.15. Danæus.239.10. exacte. 258.27. Scholio 9. 266. 20.pellem.292.2 & 3.ignari ſunt.300.24.Hor. 311.4.Ebulenſi.314.21.graviſſimis.318.2. Illa videns.339.18.Benedictus.340.19.*dele* vitalem, *& ſcribe* ſuadent.347.7.cœperint.ead.lin.Avicen.373.16. quandam.374. 23. quod. 375.6. Vmbilico. 383.18. Bubenhoferorum.329.8. ALVUM.410.25.*hæc hiſtoria eſt* Rouſſetti de Partu Cæſar.Sect.4.cap.4.hiſt.6. 416.24.periculo. 452.13. his. 462.9.*pro ulceris fac* vulneris.474.

tis.474.9. Quod. 549.20. Iedian.570.13. Tumatle.584.12. *pro indefac* mole.594.3. lumbrici.604.24. Prodig. 646.22. copioſum.659. 11. anni. 659. 19. impleta. 669.3. permanſerat. 696.3. Syphonem.701.19. ſic clunibus.711.24. ademtam.

FRIBVRGI BRISGOIÆ,
Excudebat MARTINUS
BÖCKLERUS.

Anno M. D. XCVI.

OBSERVATIONVM

MEDICARVM,

RARARVM, NOVARVM, ADMIRABILIVM ET MONSTROSARVM,

Liber Quintus,

De Partibus Externis;

IN QVO, QVÆ MEDICI DOCTISSIMI ET EXERCITATISSIMI Abdita, vulgo incognita, gravia, periculosaque, in harum partium Conformationibus, earundemq; morborum Causis, Signis, Eventibus, & Curationibus accidere comperierunt, Exemplis utplurimum & Historijs proposita exhibentur.

Studio atque opera

IOAN. SCHENCKII A GRAFENBERG, apud Friburgum Brisgavorum Medici, multa & varia lectione conquisita.

Continentur præterea Illustrium ætatis nostræ Medicorum ἀνέκδοτα complura et nunquam publicata exempla memorabilia, quorum Autores singulari Catalogo traduntur.

Cum Licentia Superiorum.

FRIBVRGI BRISGOIÆ,

Ex Officina MARTINI BÖCKLERI,

Anno cIↃ. IↃ. XCVI.

PIETATI, VIRTVTI,

CLEMENTIÆQVE

REVERENDISS: ET IL-

LVSTRISS: PRINCIPIS

AC DN. DN.

NEIDHARDI,

EPISCOPI

BAPENBERGENSIS

MERITISSIMI,

AC PRÆPOSITI VVIRCE-

burgenſis Digniſſimi,

OBSERVATIONVM SVARVM

Medicarum, Rararum,

LIBRVM QVINTVM,

IOAN. SCHENCKIVS

A GRAFENBERG,

MEDICVS,

SVÆ ERGA IPSIVS CELSITVD.

Obſervantiæ conteſtandæ gratia,

D. D.

Anno ſalutis cIↃ. IↃ. xcvI.

In

ERVDITISSIMI ATQVE Experientiſsimi Viri D. Ioannis Schenckij à Grafenberg Obſervationes Medicas tetraſtichon

FRIDERICI MARTINI, *Vtriuſque Iuris Doctoris, & apud Friburgum Briſgoiæ ordinarij Canonum Profeſſoris.*

Hippocrates queritur longam artem, ſed breve tempus,
Iudiciũ facile haud, anceps ſimul experimentum;
Scenckius aſt artem parvam, longam benevitam,
Iudiciũ facile, & tutũ facit experimentũ.

Ad

Ad Eundem Dominum ſibi ſumme obſervandum.

Ode

M. BERNARDI MOSmilleri, Poeſcos pro tempore Profeſſoris in Archiducali Academia Friburg. & I. V. Candid.

QVisquis Apollineæ ſtudioſus es artis,
(tus; & artem
Deſideras qui practicam:
Hûc age: plantarum vires, uſumq; medendi
Docent volumina Schenckhij.
Non plures alij ſuper iſdem plurima rebus
Scripsêre tanta induſtria?
Scripſerunt; ſed ſunt cõfusè tradita quæq;,
Sic implicata ambagibus;

Vt sit opus fidis Ariadnæ ductibus, illis
Exire tricis qui velit.
Lõgè alia ratione super fama æthera notus,
Sua Schenckhius tractat, docet.
Abdita Naturæ scrutatur iura sagacis,
Nova, Rara, Monstrosa explicat;
Rara Rara fide, mira Nova sedulitate,
Omnia modo admirabili. (chaon,
Arte Dioscorides quod Graijs, quodq; Ma-
Podalirius vel quod fuit; (ponto,
Hoc, quâ terra patet vasto circumsona
Est Schenckhius modo omnibus.
Nî terrã terræ peteret Mors, stamina Parcæ
Nunquam secarent Schenckhio:
Tãta viri pietas, virtus, ars tãta medendi
Parcis resisterent feris.

CATA-

CATA-
LOGVS
AVTORVM

Ex quorum scriptis publicatis Observationes Libri huius Quinti cõgessimus.

MEDICI
GRÆCI.

Aêtius
Alex. Trallianus
Athenæus
Galenus
Paulus Ægineta

LATINI
Veteres.

Plinius

ARABES

Albucaſes
Alſaharavius
Avenzoar
Avicenna
Halli abbas
Hali rhodoham

LATINO-barbari.

Gilbert. Anglicus
Guainerius
Guliel. Placentinus
Ioan. de Vigo
Petr. Aponenſis
Theodoricus
Valeſc. de Taranto

RECENTIORES.

Agricola
Alex. Benedictus
Alfonſus Ferrerius

Amat. Lusitanus
Ambr. Pareus
Andr. Vesalius
Ant. Benivenius
Ant. Mizaldus
Ant. Musa Brasavola
Ant. Schneberger
Barthol. Maggius
Casp. Peucerus
Conrad. Gesnerus
Corn. Gemma
Desid. Iacotius
Donat. Ant. ab Altomari
Ferrandus Senior
Francisc. Alex. Vercellensis
Francisc. Valleriola
Gabr. Fallopius
Georg. Kufnerus
Georg. Pictorius
Guliel. Rondeletius
Hier. Acoromb. Eugub.
Hier. Cardanus
Hier. Fabric. ab Aquapend.
Hier. Gabucinius
Hier. Mercurialis

Hier Montuus
Hier. Reiſnerus
Horat. Augenius
Iacob. Aubertus
Iacob. Douynetus
Iacob. Hollerius
Iacob. Rueff
Iaſon
Ioan. Bruyerinus
Ioan. Cornelius
Ioan. Gorræus
Ioan. Kentmannus
Ioan. Langius
Ioan. Lonæus Boſcius
Ioan. Manardus
Ioan. Mich. Paſchalius
Io. Philip. Ingraſsias
Ioan. Tagaultius
Ioan. VVierus
Ioſeph. Quercetanus
Iulius Alexandrinus
Iulius Cæſ. Scaliger
Laur. Ioubertus
Leonh. Fuchſius
Leonh. Botallus
Leonell. Faventinus

Levin. Lemnius
Marcell. Donatus
Mart. VVeinrichius
Nic. Rocheus
Petr. Andr. Matthiolus
Petr. Bayrus
Petr. Foreſtus
Petr. Salius
Reald. Columbus
Reiner. Solenander
Remb. Dodonæus
Robert. Conſtantinus
Sambucus
Scholiogr. Hollerij
Steph. Gourmelenus
Symph. Campegius
Tert. Damian. Viſſenacens.
Thom. à Veiga
Thom. Eraſtus
Victor Trincavella
Volch. Coiterus
VVirſungius

MIXTI.

Albertus
And. Dudith. ab Horecoviza

Anti-

Antigonus
Calepinus
Conrad. Lycosthenes
D. Augustinus
D. Hieronymus
Francisc. Petracha
Georg. Buchananus
Iobus Vincelius
Iul. Obsequens
Iul. Pollux
Lud. Cælius
Marcell. Virgilius
Mart. Crusius
Paralypomena
Petr. Crinitus
Porphyrius
Plutarchus
Rom. Hist.
Seneca
Suetonius Tranquillus
Volateranus.

CATA.

CATALOGVS
DOCTORVM VIRORVM
Qui Anecdota Exempla ad nos miserunt, & ad hunc Librum Quintum contulerunt.

Adolphus Occo
Caspar Bauhinus
Casp. VVolphius
Esaias Meuchsnerus
Felix Platerus
Iacob. Horstius
Jacob. Moccius
Iacob. Oethæus
Iacob. Seidelius
Ioach. Camerarius
Ioan. Francus Hildesius

Io. Iac.

Io. Iac. VVeckerus
Ioan. Posthius
Ioan. Schenckius
Laur. Scholzius
Melchior Sebizius
Osvuald. Gabelchover
Petr. Spererius
Thobias Cneulinus
Valent. Henner.

OBSERVATIONVM

MEDICARVM, RARARVM, NOVARVM, ADMIRABILIVM, ET MONTSROSARVM

LIBER QVINTVS,

De Partibus Externis.

PRÆFATIO.

VNiverſum Humanum corpus cum in quinque regiones diſtinxerimus, & de prioribus quatuor, velut principibus partibus, pro dignitate pertractaſſe videamur: reliquum nunc eſt, vt Quinto hoc noſtro Libro corporis Artus, Extrema, quæq; Κῶλα appellant, brachia quippe & crura, quæ velut rami trunco corporis adnaſcuntur, expendamus. Has autem partes, ut ignobiliores quidem, ita uſu et neceſ-

sitate non multum inferiores, at principibus velut ministros serviẽtes, minime præterire decuit: quod in illis quoque cum natura ipsa, tum vero earundem partium morbi admirabili sæpe cum varietate, raritate, atque novitate seseæque atq; in cæteris prodant. Distinguuntur vero Artus in manum, & pedem majorem. Manus major ab Hippocrate in tres partes, in brachium, cubitum, & summam manum, secernitur. Summa manus in brachiale, postbrachiale, atque digitos. Pes major in femur, tibiam, & pedem minorem. Pes minor in tarsum, metatarsum, & digitos pedum. Est etiam ubi inter extrema de Tergo, Spina, & Cute totius corporis, quædam inseruimus, quod cõmodiore loco vix tradi posse censeremus. Hunc itaque Artuum ordinem hoc libro retinebimus, à manu ἐυμετίαν hanc nostram inchoantes.

De

DE PARTIBVS EXternis.

Et primum DE BRACHIO.

OBSERVATIO I.

Brachijs tribus vel pluribus, ut & pedibus aliquinati.

T. Gracho & M. Iuventio Coſs. pueri quadrupedes & quadrumanes nati. Iul. Obſequens.

P. Craſſo & Q. Scevola Coſs. puer tribus manibus, totidemque pedibus natus. Idem.

M. Marcello. P. Sulpitio Coſs. Theani (alij Theatri) Sidicini puer, cum quatuor manibus & totidem pedibus natus. Idem.

Venafri puer natus tribus manibus, totidemque pedibus. Iacob Reiff. lib. 5. de concept. & Generatione hominis, ex Romana, ut apparet, Hiſt.

Prope Eſſelingam Nechari, monſtrum natum eſt, infans videlicet unico capite: quatuor aures, quatuor brachia, & totidem pedes habens. Lycoſth. lib. Prodig. Anno 1528.

Infans natus eſt crura brachiaque quater-

terna habens, vixitque quoad ex sacro baptismi fonte levatus est. Idem eodem opere Anno Domini 1589.

Refert Iovianus Pontanus Anno Domini 1529, die 9. Ianuarij, visum in Germania Infantem masculum, quaternis brachijs, & totidem cruribus. Pareus operum suorum lib. 24. cap. 2.

Quo die Veneti & Genuenses fœdus inierunt, natum est in Italia monstrum, quaternis brachijs & pedibus, unico vero capite præditum. Id sacra baptismatis aqua lustratum, aliquandiu post vixit. Iacobus Ruefius Chirurgus Helvetius sibi simile visum narrat, sed quod maris & fœminæ insuper genitalia haberet. Idem eodem libro cap. 4.

OBSERVATIO. II.

Brachio unico nati.

C. Valerio M. Herennio Cos. ancilla puerum unimanum peperit. Iul. Obsequens.

P. Africano. Lælio Cos. Amiterni puer tribus pedibus, una manu natus. Idem.

OBSERVATIO III.

Sine brachijs, & ex his nonnulli sine pedibus visi.

T. Gracho. M. Inventio Cos. Priveni puella sine manu nata. Idem.

In Piceno infans absq; manibus & pedib⁹ natus. Lycosth. lib. Prodig. & ostent. pag. 141. ex Romana Historia nimirum.

Ex diminutione vidi virum, qui usq; hodie vivus est, & non fuerunt ei neq; manus, neq; pedes. Hali Rodoham Comment. ad lib. 3. Tech. Galeni. Text. 177.

OBSERVATIO IV.

Sine brachijs nati, qui vel ore, aut mento, vel pedibus, incredibili industria, quævis subtilissima opera, manuum vice, efficere potuerunt.

Nō est ab dione prętermissū inter munera Augusto missa ab Indis. fuisse tigres Romę tūc visas primo: & adolescētulū sine humeris, qui tamen pedibus manuum functionem obiret: namq; arcū intendebat, sagittas etiā excutiēs. Quin & tubas, inquit, inflabat, ἀκοὶδ' ὅπως γραφω γὰρ τὰ λεγόμενα. Cæl. Antiq. Lect. lib. 4. cap. 12.

Vidimus mulierem sine brachijs enatam, pedes pro manibus, ad nendi suendiq; artem habuisse Alexand. Benedict. lib. 1. cap. 2. Anatomes.

Eandem nos quoque vidimus in capro Amandino Allifero, anno Christi 1540. nentem, suentem, pedibus (manuū vice) cyathū

vini apprehendentem, & bellantium more pedibus arreptis baculis, tympanū belli manu pulſantem. Nicol. Rocheus de morb. curand. cap. 32.

Sine brachijs enatum vidi Hiſpanum, certe monſtra, quæ in natura rerū eſſent, omnia excedentem: pedibus enim citus admodum erat, ut cū illis neret, ſeu acu expeditius pingeret, quam vel citiſſima mulier ambab' manibus, & arma bellica tam affabre tractaret, ut nemo miles agilitatē ipſius aſſequeretur, arcuq; tam eſſet rectus, ut à ſcopo nunquam aberraret, & ſecuri quēvis unico ictu infringeret, etiam craſſiusculum truncum Georg. Pictorius Sermon. Convivial. lib. 4.

Natus eſt infans, qui brachijs in univerſum careret, reliqua corporis forma rectiſſime habens. Pedes hujus, cum ad vigeſimum annum ętatis perveniſſet, manuum officio fungi vidimus, accipiendo, ſecando, ori inferendo, nec non etiam alea & chartis ludendo. Quod & alter quidam ore & mento præſtare potuit.

Eiuſdem agilitatis etiam mulier Francfordiæ ad Mœnum, anno Chriſti 1556. viſa eſt. Quæ manibus omnino carens, arrepto pede calamo, literas non tantum elegantiſſime pingere, ſed tractare colum, nere, numerare pecu-

pecuniam, ac ſubtiliſſima quæque pedum digitis conficere potuit. Lycoſthenes lib. de Prodig. & Oſtent Anno Domini. 1528.

Vidiſſe quendam memini me, qui cũ brachijs omnino careret, dextro pede haſtam vibrabat, collimabatq;, ſuebat veſtem, edebat, ſcribebat, in acum filum immittebat. Nec tanti miraculi defuturos teſtes ſpero, cum res publice ageretur. Cardanus lib. 17. de ſubtilit.

Mutili hominis hiſtoriam jucundam ſimul, atque admirabilem narras. Qui brachijs careret, dextro pede haſtam vibraſſe. Veſtem ſuere ſolitum, ſcribere, edere, bibere, in acum filum immittere. Cujus rei teſtem te habiturum ſperare ſcribis. Næ tu divinus vir es. Ecce me ſodes habeto. In Allobrogum provincia cum ſpectavimus. Arbitror amplius quinquaginta millia hominum ſupereſſe, quibus ille miraculo fuit. Plus quoque quod de eo dicam habeo. Clavum caligarium in aſſerem malleo penitus adigebat, cerdonum more, quem dicto celerius converſi mallei auriculis extrahebat. Antonius ei nomen fuit. Neapoli ſe ortum prædicabat. Iul. Cæſ. Scaliger Exercit. 334. ad ſubtilit. Card.

Paucis ab hinc annis, visus est Lutetiæ vir quadragenarius, quadrato corpore, qui, etsi brachijs careret, omnia tamen quæ manibus perfici solent munia, haud infeliciter obibat. Humeri enim trunco & capite, colloque vibrato, securim in palũ oppositũ, tam certo & valido ictu, quam manu quivis alius vir ejaculabatur: aurigæ flagellum tãta vi distringebat, ut aëre validius percusso, sonaret. Cæterum pedibus edebat, bibebat. Tandem Latro & siccarius deprehensus, ex cruce strãgulatus rotæ affixus est.

Visa etiam non ita pridem mulier Lutetię est, sine brachijs, quæ nihilominus secabat, & pleraque alia, quasi manus adessent, perficiebat. Pareus operum suorum lib. 24. de monstris cap. 6.

Sive eundem siue alium, à Patei descriptione, at eiusdem certe ætatis, atque corporis constitutionis, Haganoæ, quo tempore ejus Reipub. Medicum Physicum agebamus, videre nobis contigit. Qui præter alia à Pareo recitata, me & alijs multis spectantibus, frondis faginei ramum brachij crassitie aquæ tum impositum, quo æstatis tempore cõclavia suo virore exornare in hospitijs solent, gladij helvetici capulo, mento humerorum

rorum uni appreſſo, comprehenſoq;, unico impulſu evaginato, & ſtringente, ictu etiam uno diſsecavit: miniſtro gladium, vagina adhuc, donec ab eodē educebatur, concluſum, continente. At quod de bipenni affirmat Pareus, eam ille noſter, ſimili modo quo gladium, apprehenſam, ad deſignatum & expetitum parieti tabulato ligneo locum & punctum, exacte impegit. Natione heluetium eſſe predicabant. Ioan. Schenckius.

Anno quo hæc ſcribimus, 1586. Halæ Suevorum, vir quidam nomine Thomas Scuueigker, annum ætatis ſuæ quadrageſimum primum agens, ſuper eſt, ſine brachijs natus. Qui, quæ alij manibus ingenioſiſſima opera, eadem ille pedibus incredibili prope ſolertia perficit. Cuius iconem ad vivum ectypum, in argento, taleri numi magnitudine, fuſam, digitoq; pedis calamū ſcriptorium ſuſtinentem, exprimentemq;, Ioannes Beringer, ſummi apud nos templi Architectus, viſendam mihi exhibuit: Et præterea eiuſdem ſcripturam oſtendit, pedibus tam eleganter delineatam, emblematibuſq; varijs circa margines ornatam, ut vel peritiſſimos, qui in nobilioribus Civitatibus ſcribendi munus publicum, atq; una quoq; Arithmeticam practicam, tum per

numeros, tum per calculos, profitentur, provocare, immo longe ſuperare queat. Idem quoque admirabili induſtria, eadem quæ Arcularij dedolando, ſculpendo, ſcindendo, forando, ſerrando, ingenioſiſſima efficere ſolent opera, velut columnulas, periſtylia, eiuſque generis alia, pedibus ſelici immitatione præſtat: adeo quidem, ut in eo jure quiſpiam brachia & manus deſiderare, velut ſupervacanea, debeat minime. Idem Schenckius.

At vero hominis pedes admirabili artificio conſtructi, manibus adeo ſimiles exiſtũt, ut comperti ſint nonnulli brachijs & manibus ablatis, qui pedibus, loco manuum, in nendo, atque ſcribendo uterentur: vidimus namque hic Baſileæ quendam, ante annos circiter octodecim, qui non ſolum pedibus eleganter ſcribebat, ſed & pennas adaptabat. Caſp. Bauhinus cap. 3. part. alteræ de ſimular.

OBSERVATIO V.

Gangræna brachij percurata poſt eryſipelas phlegmonodes ſuppuratum inciſumq; obortum.

AD Gangrænę curationem, à me in Rolmanno Bilandio, viro certe præter inſignem

signem eius nobilitatem optimo, peractam, transire, non videbitur absonum. Huic propemodum septuagenario, corpulento, cacohymicoque, à tertianæ febris afflictione, subito, quasi per crisim exoritur erisipelas phlegmonodes, in sinistro brachio, quod ab axilla ad carpū usq;, cum dolore, rubore, & dolore, plurimum intumuit, suppuratumq; brevi, & à chirurgo sectum, copiam saniei reddidit largam. Vbi deinde citra intermissionem, die noctuq;, nihil coctæ saniei, sed liquor seorsum profluueret, cataplasma, ex farina hordeacea cum fabaceæ momento, in aqua decocta, vitellis ovorū, & olei rosacei quantitate debita admixtis, applicui, unde mox aquei crudique humoris profluvio remittente, pus coctum promanavit. Qua re animadversa, chirurgus quo cum mihi antea, ob crudi illius succi effluxum, ab eodem laudatum, controversia fuit, materia magis exiccante, dum abessem, consilij mei successum se sperabat victurum, linteisque madefactis in vino, cui incoctum fuerat cuminū, vestit brachium universum. Eo tantum promovit, ut brevi omnia vulnera, quæ supra viginti erant, in uno illo brachio, absq; ullius saniei guttula, livescerent, & brachium deinde totum nigricare occiperet.

Revo

Revocatus excandui, conſpecta grangræna: Itaque haud mora, altioribus vulnuſculis brachium ſcarifico, foveoqne ſpongijs utrinque ſibi correſpondentibus, ex lixivio decoctionis farinæ lupinorum: deinde catapſalma ex farina hordeacea, fabacea, lupinorum & oxymelite apparatum, admoveo. Atque horum uſu continuo, ſanguis & ſpiritus revocantur, pus redit coctum, naturalis reviviſcit color, ulceribuſque melle roſaceo (cui plerunq; admiſcebatur vel pulvis præcipitatus, vel Vnguentum Ægyptiacum) abſterſis, curatur æger, & ad ſolita revertitur munia. VVierus obſeruat. rarar. lib. 1. pag. 103.

OBSERVATIO VI.

Nervus chirurgi errore venæ loco in brachijs punctus, Carolum nonum Gallorum Regem febricitãtem, in grave diſcrimẽ adduxit, qui tandem opportunis adhibitis auxilijs convaluit.

CArolo nono Gallorum Regi febricitanti, Sanguinis detractio, de Domini Capellani, & Caſtellani Medicorum Regiorum ſententia præſcripta eſt: ad quam celebrandam, vocatus eſt chirurgus, eius operis gloria

gloria famatiſſimus: ſed is, cum forte fortuna nervum pro vena pupugiſſet, exclamavit Rex, dolorem ſe eo loci ingentem percipere. Tum ego edixi, ut extemplo vincula ſolverentur, alias brevi in altum tumorem actum iri brachium: Sed cum id ſegnius fieret, ecce tumor invaſit brachiū, cum contractione tanta, ut flectendi aut exporrigendi non eſſet libertas, dolor vero ſævus, non punctam modo particulam, ſed & totum membrum habebat. Ego vero pro tempore & re nata, ſtatim vulneri emplaſtrum ex baſilicone, quod ipſius agglutinationem remoraretur, impoſui: hincq; toti brachio, diplomata, oxycrato imbuta, inſuper inducta faſcia expulſiva, quæ à carpo initio ducto, in ſummum humeri articulum deſinens, ſanguinem, ſpiritusque fluxionis & inflammationis metu compelleret. His factis ſeceſſimus, proviſuri quid facto eſſet opus, tum ad dolorem ſedandum, tum ad reliqua ſymtomata avertenda, quæ nervis punctis ſupervenire ſolent. Rogatus, ſententiam dixi, meo iudicio nihil melius fieri poſſe, quam ſi illico Oleum de Terebinthina calens, cum aqua vitæ in vulnus affunderetur. Toti vero brachio emplaſtrum diachalciteos, in aceto & oleo roſaceo diſſolutum, inducē-

duceretur, obvoluta insuper fascia, cuius jam meminimus, expulsiva. Oleo enim & aquæ vitæ vim inesse, in vulneris fundum penetrandi serosique humoris ac virulenti, qui ex nervi puncti substantia exudabat, exhauriēdi & resiccandi: doloris prætereà sedandi, calore illo qui ipsis actu inerat. Emplastro vero diachalciteos, facultatē adesse eius qui jam in brachiū influxisset humoris resolvendi, & novi ad venæ aditū & influxū prohibēdi. Fasciam eiusmodi esse, quæ roborādis moderata cōstrictione musculis, exprimēdisque & repellendis, in partes supernas, qui jam influxerant humoribus, his vero qui influxuri erant aditu & ingressu arcēdis, sufficeret. Probato à Medicis verbo & opere, consilio, dolor mitior factus est. Restabat in parte humor, cui resolvendo & desiccando adhibitum est sequens remedium.

℞. far. hord. & orobi ana unc. ij. flor. chamemeli & meliloti ana pug. ij. butyri recentis, sine sale unc. j.s. lixivij barbitonsoris quod sufficit, fiat cataplasma ad formam pultis. His remedijs generosissimus Rex tandem post trimestre spatium sanatus est, sic ut vitiata actionis in parte læsa vestigia nulla supererssent. At si quando doloris tanta fu-

ta fuerit cõtumacia, ut sic quidem miteſcat, imo etiam convulſionis impendentis metus adſit, ſatius erit ſeu nervum, ſeu tendinem, ſeu membranam penitus reſcindere, quam lethiferæ convulſionis periculo ægrum exponere: ſic quidem parti actio propria deperit, at toti corpori vita conſervatur: ita enim & communi conſilio ſtatueramus, ſi qui Regem affligebat dolor, præſcriptis remedijs non cederet, vel oleum fervens affundere, vel nervum ipſum in totum reſcindere. Nomarchæ enim Cortinę, in ſanctæ Crucis vico commorantis, recens adhuc & triſtis memoria verſabatur ante oculos, quæ ex male ſecta vena, in brabhij gangrænam ſphacelumque incidit, unde tandem è vita exceſsit, quod ſupraſcriptis illi proviſum non eſſet. Abſtinendum tamen à validioribus illis remedijs, quando punctus nervus nudus extiterit: hinc enim doloris incrementum, & graviorum ſymptomatum acceſſio fieret. Quare, ut ante admonui, mitiora erunt admovenda, quæ humorem ſeroſum deſiccare poſſint, citra morſum, quorum hic refricare memoriam, propoſitis exemplis, non pigebit.

℞. Terebinth. venet. in aq. roſar. lotæ, unc. ij. boli armeni, ſubtiliter pulverizati, drach. ij. incorporentur ſimul. In hoc etiam caſu excellit balſamum noſtrum, & quod ſequitur Vigonij.

℞. Ol. roſarum omphacini unc. j. s. ol. de terebinth. drach. iij. ſuc. Plantag. unc. s. ſem. hypericonis, aliquantulum contriti, manip. s. tuthiæ præparatæ drach. iij. calcis decies lotæ cum aqua plantag. drach. ij. antimonij drach. j. ſepi hircini & vitulini an. drach. v. vermium terreſtrium cum vino lotorum unc. j. s. bulliant omnia ſimul, demta tuthia, in cyatho decoctionis hordei, ad conſumtionem aquæ & vini, colentur, rurſumque igni admoveantur, addendo tuthiam, & fiat linimentum, cum cera alba, & drach. s. croci. Hoc linimentum dolorem demulcet, nudatiſque nervis carnem inducit. Hæc punctorum nervorum curatio, cum delectu & iudicio, partium ſervata proportione, ad tendines membranaſque compunctas transferri poteſt. Generale vero & commune omnibus erit, ut nervoſa omnia corpora, quacunque ratione affliguntur, conſoleris litu ex oleis calidis, cuiuſmodi eſt laurinum, liliaceum, de vermibus, de ſalvia, aliove ſimili remedio admoto, ipſorum

sorum originibus & aditibus insignioribus, ut origini spinalis medullæ, alis & inguinibus. Nec vero prætereundum hoc loco arbitror esse affectum, qui in crassum illum calcis tendinem, de quo ante diximus, cadere solet. Is enim levi sæpe occasione, ut leviculo saltu, incerti & vacillantis pedis ingressu, ascensu in equum, vel frustrato, vel rapidiore, dilaniatur & dilaceratur, sine iniuriæ vel solutionis continui ullo, in supertexta cute, judicio. Cum is casus contingit, strepitus tanquam verberati flagello aëris exauditur, supra calcem, qua parte dilaceratus est tendo, depressa cavitas tactu percipitur, dolor in parte ingens divexat, incedendi facultas adimitur. Sanatur id malum longa in lecto mora & quiete, repellentibus per morbi initia admotis parti affectæ, metu graviorum symptomatum. Hinc emplastro nigro, vel diachalciteos, vel alio simili, prout poscet necessitas: nec tamen hinc certam salutem, vel sanitatem perfectam, nobis vel ægris, polliceri debemus. Contra ab initio morbi prædicendum, nunquam futurum, quin mali reliquiæ supersint, nempe depressio partis affectæ, & actionis incessusque depravatio: non enim tendinis illius rupti vel laxati propter crassitiem

& contumaciam extrema facile sibi adjungi, aut adjuncta uniri possunt. Pareus operum suorum lib. 9. cap. 38.

OBSERVATIO VII.

Mali aurantij particula in socium procurrentem jactu, os humeri unius & brachij sinistri perfractum.

VIncētius Morellus illustris Poetæ, nobilisq; patritij D. Dyonisij de Pietis, auriga cum alijs conservis lusitans arrepta è mensa dimidij mali aurantij parte in socium antecurrentem projecit, majus sibi malum, quam alteri parans, eo namque in brachio valido motu os humeri dextri ita perfractum fuit, ut rupti ossis capita invicē disjuncta manifeste tactu deprehenderentur, at auditu mirum vix osse illo ferrumino cum priores operationes nondum obire posset, nocte media lectulo cubans expergefactus, brachium alterum demisit, ut matulam susciperet, qua in motione os brachij sinistrum circa mediam ipsius partem disruptum fuit, quod pariter ope medica occalluit. laboraverat Vir hic antea per plures annos Lue gallica sævissima, atque caput, crura, brachiaque Tophacei tumores occu-

occuparant, qui tandem ex illinitione ex Vnguento cum Hydrargyro delituisse videbantur. quamobrem brachij ossa carie exesa, & vitiata, adeo facile admirandęque fractioni occasionem prębuisse est censendum: sicuti enim carni solutæ continuitates accidunt vulnus & ulcus, ita & ossis fractura, quę vulneri respõdit, ac caries, quæ ulceri accidere posse testis est Gal. lib. de morb. caus. cap. ult. Marcellus Donatus lib. 4, cap. 5. Med. hist. Mirab.

OBSERVATIO VIII.

Quidam nucleum amygdalinũ pavimẽto illidere volens: & alius malleo quippiam leviter confringere attentans, brachia fregerunt.

A Capivaccio commemoratum aliquando, quod quidam nucleum amygdalinũ pavimento illidere volens, fregit brachium.

Quemadmodum & alius quidam, tundens aliquid non graviter malleo itidem brachiũ fregit. D. D. Camerarius de observationib. Patavio acceptis & ad me missis.

OBSERVATIO IX.

Hiſtoria aciculæ de abſceſſu brachij poſt annorum aliquot dolorem exemptæ.

NArrabo cuius non ipſe ſolum, ſed etiam multi ſpectatores, una fuimus. Laboravit juvenis brachij labore annos aliquot, qui ſecundum longum ſentiebatur, & tumorem excitaverat, factusque eſt tandem abſceſsus, quo ſcalpello diviſo, acicula ærugine obducta forficulis inde educta eſt, eam ex ijs qui aderant nonnulli à puero una cum cibis devoratam fuiſſe credebant, tandemq; illuc penetraſſe, quod fieri non potuiſſe arbitror. Ego in ea re aliud conijcere non potui, quam puerum, dum petulantius laſciviret, vel procatius colluderet, brachio in aciculam impegiſſe, idque ſine dolore, quēadmodum in ira, vel magna animi contentione, mente alio ſpectante, dolor ſtatim non ſentitur, tum quia æruginem acicula contraxiſset, vi ſiccandi præditam: progreſſu tamen temporis dolor excitatus eſt, factuſque abſceſſus. Rondeletius Hiſt. Aquatil. cap. de Cancro fluviatili.

OBSERVATIO X.

Struma

Struma insignis magnitudinis ac molis Vetulæ è dextro brachio enata & Chirurgi opera exigua hæmorrhagia feliciter resecta, quæ glandulis tunicis conclusis referta fuit.

VEtulæ cuidam tumore quodam duriusculo, carnoso tamen, qui veluti insignis quædam moles sive saccus, è brachio dextro dependebat, sine ullo insigni sanguinis profluvio, per Chirurgum domus Morbi Gallici, apud Argentinenses, quem nostri (Blatterscherer) appellant, abscisso, nihil aliud in ea ipsa mole inventum fuit, nisi innumeræ, eæque satis insignis magnitudinis glandulæ omnes ac singulæ proprijs mębranis obvolutæ. Viuit hodierna quoque die salvis & illæsis plane ipsius partis actionibus. Quam autem multi graves & memorabiles morbi, in jam dicto Nosodochio, ab ipso Chirurgo, qui hoc ipso tempore ægris præest, felici ac pœne incredibili successu curentur, experitur illud ipsum, summa cum admiratione, ordinari⁹ Reipub. Argentoratensis Medicus, vocatus Mathęus Soltzer. Melchior Sebizius, suis ad me datis observationibus.

OBSERVATIO XI.

Brachium ab humero diductum.

COhęrere interdum membra exulcerata, vel protinus in utero, aut etiam actione, consueuerunt. Nos autem puellam vidimus & curavimus, cujus totum brachium, ferventissimæ aquæ effusione, humero cohæresçat. Cumque nemo ex prudentioribus medicis inveniretur, qui puellam curare auderet (periculum enim erat, ne dum membra ipsa scalpello discernerentur, nervus incideretur, & sanguis immodicus profluereț) ego solus, ut eram juvenis, hanc curam aggressus, paulatim cicatricem ipsam scalpello descindo, sanguinem supprimens, donec ad cubiti juncturam, ubi nervus est, devenio: tum separatim utrumque molliore emplastro circundo: & quoniam extendere brachium non poterat, jubeo ut graviore pondere sumto, manu id perferat, donec paulatim extendatur. Quod cum ipsa diuturnioris temporis spatio observasset, ad pristinum tandem statum reversum est brachiũ ipsum, sola gratia & munere illius, qui est benedictus in secula. Benivenius cap. 82.

OBSERVATIO XII.

Brachia & pedes, puellæ cuidã, vi morbi, à reliquo corporis trunco, qui salvus perstitit, exciderunt.

VIdi puellam quæ non diu laboravit, cui brachia & pedes de corpore deciderunt, perinde atque si ferro amputasses: trúcus permasit illæsus, & cito consolidatus est. Præterij ipsam sæpe, elemosynam in vijs emendicantẽ. D. D. Esaias Meuchsnerus de suis mihi communicatis observationibus.

OBSERVATIO XIII.

Erysipelas phlegmonodes dextri brachij exulceratum, cum copiosissimo saniei effluxu.

VIR quidam nobilis, annum agens 42. sanguineus, & obesus admodum, laute victitans, potationibus indulgens, & ad iracundiam pronus, sæpius Erysipelate corripiebatur. Idque aliquando dextrum brachiũ universum corripuit phlegmonodes, cum maximo dolore. Is edoctus fuit, à nescio quibus superstitiosis hominibus, ut consecratos ramusculos salicum, quibus loco palmarum in die S. Parasceves solent uti, prunis impositos accenderet, & supra ipsos brachium quam calidissime foveret. Quo facto, tanto calore & dolore brachium fuit affectum, ut non exiguũ esset periculũ de gangræ-

gangræna paulo poſt ſuperventura. Sed adhibitis remedijs convenientibus, tandem brachium fuit exulceratum, & ſpatio trium dierum, ad duas vel tres libras puris bene cocti effluxit, unde ſtatim melius ſeſe habuit. De obſervat. D. D. Ioach. Camerarij.

OBSERVATIO XIV.

Hiſtoria adulterini brachij.

ANno Domini 1525. Cum eſſem Andegavi ſtabat pro templi foribus vafer mēdicus, qui proprio brachio poſt terga revincto & abdito, in ejus locū ex ſuſpendioſi cadavere reſectum, thoraci adjunctum, furcula fulciente populo oſtentabat, quaſi igne ſacro correptum, quo prætereuntes in ſui commiſerationem magis incitaret. Latuitq; fraus, omnibus certatim ſtipem erogantibus, donec tandem haud fideliter adnexum, ſolutis omnibus vinculis, in terram procidit, ſpectantibus & obſervantibus multis. Comprehenſus & in carcerem conjectus, magiſtratus ſententia, alligato ex cervice, & in pectus propendente adulterino brachio, virgis publice cæſus eſt, & in exilium ejectus. Pareus operum ſuorum lib. 24. cap. 18. De monſtris.

DE

DE HVMERO.

OBSERVATIO XV.

Nata humeri, pondo septem librarum, feliciter exsecta.

PLerunque accidit superfluitas quædam in quibusdam hominibus, quæ vulgo dicitur napta, est apostema magnū, carnosum, & molle, ut plurimum sicut fungus: & non est cum ea dolor, neque calor, neque pulsatio, & fortasse ex eo est, quæ magnificatur adeo, ut superet omnes alias superfluitales corporis, & jam vidi quendam scriptorem, qui habebat naptam in humero suo, & cum vidissem eum habere pulvinar in humero. Deinde detecto loco vidi ægritudinem, & considerata ægritudine, fuit consilium meū, ut non tangeretur, sed remaneret cum domino suo, timui enim propter magnitudinē ejus, & moris mei semper est, consilium in incisionibus nunquam dare, ubi potest aliquod periculum in incisionib. evenire. Vir autem contemto consilio meo, accessit ad quendam Chirurgum mihi notum, & incidit eum, & peroptime liberavit: Extraxit enim naptam septem libras et amplius pōderantem. Verum scias quod est ex raro con-

tingentibus. Et modus curationis ejus est, ut incidatur, & excorietur ex omni parte cũ facilitate, & extrahatur, deinde locus cauterizetur peroptime, propter sanguinis fluxum, qui multotiens apud incisionem accidere consuevit, interdum etiam nisi fiat cauterizatio morbus redit. Si vero napta nimis grossæ radicis, ejus incisio verenda est. Verum incide circa medietatem ejus, & cauteriza residuum. Et quando radix ejus est valde subtilis, & pendet sicut testiculus, tunc nõ oportet excoriare ipsam, sed incidas eam circa radicẽ, & cauteriza vel liga eam cum filo serico vel simili sttingendo, quamdiu penit⁹ abscindatur. Et cave ne incidas naptam quæ est fusci coloris & pauci sensus, quoniam est apostema cancrosum. Theodoricus Chirug. Lib. 3. cap. 31.

OBSERVATIO XVI.

Nata seu ulcere sanioso calloso q; humeri inciso: pure confertim evacuato: ager Chirurgorum imperitia occisus.

QVendam pauperculum vidimus, qui amplissimum præter naturam tumorem supra humeros gestabat: erat autem ulcus cavum, & omnia ulceris labra & latera lapidea effecta erant, nempe tartari frusta vide-

videbãtur, quæ eximerentur, Chirurgici natam vocabant, qui illam extrahere tentarunt, Sextarium vero noſtrate magnitudine æquabat. hic pauperculus nullo alio incommodo afficiebatur, quam labore gerendi id pondus. At Chirurgici illi cum ſanitatem ſpoſpondiſſent, & ſemel univerſum pus extraxiſſent, illico is paupercul⁹ morbo & anima orbatus eſt. Interim hi Chirurgici jubebant nonnihil in hujus pauperculi os imponi, ut reficeret, at ille obierat. Si tunc eo officio functus eſſem, quo nunc fungor, nunquã hi tam publici atq; domeſtici carnifices impunes evaſiſſent. Ant. Muſa Braſſ. Cõment. ad Aph. 27. lib. 6. Hipp.

OBSERVATIO XVII.

Vulnus ſinuoſum ab humero ad nates uſq; extenſum, fruſtra tentatis aliis medicamentis, braſſicæ folio conſolidatum.

SCio in longum protenſum ſinuoſum vulnus, ab humero ad nates propemodũ uſq; ipſas, qua in parte apertum: extrema ea ora plurimum ſemper remittebant ſanioſæ materiæ cujuſdam, nec profundam tamen, neque ultra carnoſam membranam valde adactum, cum remedijs alijs conſolidari non poſſet, ex foliorum braſſicæ, vino nigro, atque auſtero incoctarum applicatione,

reſiccatum, coaluiſſe intra paucos dies. Factumq; id eſt ex conſilio præſtantiſſimi medici, Maffœi Fracazini. Iul. Alexãdrinus. Annotat. ad cap. de Braſſica. Lib. 7. de ſimpl. Medic. Facult. Galeni.

OBSERVATIO XVIII.

Humeri luxationem crebro & facile incurrebat quidam.

VIdi adoleſcentem junctura humeri cujus lubricabat ſemper propter humoré unctuoſum, qui aggregatus erat in pyxide ejus: & converſabatur in occupatione ſua, cũ ergo accidebat ei diſſecatio, tenebat brachiũ ſuum: & præcipiebat, quod reducerent eum in locũ ſuum, deinde redibat ad occupationem ſuam. Hali Rodoham Comment. ad Text. 68. lib. 3. Tech. Gal.

OBSERVATIO XIX.

Ex vulnere cum fractura oſsis ad cubitum, diæta carnium cum vini abſtinentia imperata: unde ager narium hæmorrhagiam & magnam corporis imbecillitatem incurrit, à qua non niſi diæta primare-ſumta, liberari potuit.

VIdi Peruſię juvenem quendam nobilem, nomine

nomine Cæsaré Andrianæ, cum vulnere, & fractura ossis supra cubitum, cui sic ægrotanti peritus Chirurg⁹ abstinere à vino & à carnibus (ut decet) injunxerat, observantique ei hanc diætam, supervenit post quartam diem fluxus sanguinis colore & substantia laudabilis, cum magna virtutis prostratione. Quia urgente causa vocatus ego ad ipsum curandum, cœpi in primis rem hanc admirari, judicavique fluxum illum omnino esse cohibendum, tum quia (ut dixi) sanguis laudabilis erat, tum vel maxime, quoniam virtus continuo deficiebat. Mihi autem talia cogitanti dixit ingenio suo infirmus: Magister rogo ut me audias: passus fui ego alias vulnus in capite, & cum medicorum præceptis à carnibus & à vino, sicuti & nunc, abstinerem, incurri identidem puri sangvinis fluxum, à quo nullo quovis ingenio sanari potui, nisi prius restitutis mihi carnibus & vino: super quo parumper cogitans, dixi, & ego carnibus & vino nunc te restituo, cœpitque infirmus ipsa eadem die carnes comedere, vinumque potare, & in fine sequẽtis diei (vera loquor) fluxus suppressus est. Hæc verissima & consideratione digna placuit recensere, ut cognoscant qui legent quantum virtutis instaura-

tio,

tio, cum rebus etiam ęgritudini repugnantibus, admirabiles ſæpius produxerit effectus. Hieronymus Acoromb. Eugub. Libel. de lacte.

DE CVBITO.

OBSERVATIO XX.

Ancyle in dextro cubito curata.

PRincipi Lotaringo, magno priori ordinis Rhodiorū Equeſtris, ancyle in dextro cubito ſequētib⁹ remedijs curata. Poſthabitā toti⁹ corporis rationē vict⁹ & domicilij, hęc ordine ſunt inſtituta. Frictio partis è molli manu: ex quo vapor è decocto mollicnte: immerſio in idē decoctū partis ęgrę: ſiccatio loci: inunctio ex axungia humana bene purgata, colata, lota in aqu. miſtura. Ceratum ex cera molli, pingui, mollita ad ignem, manibus intinctis butyro, deinde liquata cum butyr. recent. & axung. humanæ ſupra dictæ æqua quantitate. Ab unctione ſuperdatum molle goſſipium.

Decoctum inſtitutum guajaci ex unguinoſa, odora, & media parte ligni, initio. Intervallis acetum album, aqua vitæ decocto vaporationis intermiſta. Ex quo ceratum œſipi deſcriptione Philagrij. Capiti tonſo goſſipium cōſperſum pulvere caryophillorum.

Er-

Errhina, masticatoria. Salvia in sartagine cõcalfacta, & consperſa aqua fœniculi, vel salviæ, frictio capitis & spinæ. Immersio totius brachij in animal recens mactatum. Exercitium molle partis. Effectum fotu & axung. ut octo diebus dissoluto tumore, liberatis nervis omnino, sanus evaserit, liberis omnibus motionibus totius membri. Holleri⁹ Observat. XV. Lib. proprio.

OBSERVATIO XXI.

Ex leviſsimo cubiti vulnere qdã extĩctus.

TRadunt Marcũ Antonium de Luna Bononiensem, ex leviſſimo vulnere cubiti perijsse. Horatius Augenius. Lib. 9. Epiſt. 2.

OBSERVATIO. XXII.

Cubito, manu, digitis & cruribus monſtroſus puer.

Anno domini 1573. vidi Lutetię ad D. Andreę ędẽ, puerũ novem annos natũ Parpauillæ pago, sex à Guisio oppido miliarib⁹, Petro Renardo, & Matre Margreta genitũ. Huic tantum duo digiti in dextra manu erãt, brachium haud invenuste à summo humero ad cubitum usq; deformatum erat: at inde ad extremos digitos duos valde deforme visebatur, cruribus carebat, quanquam à nate dextra, pedis imperfecta veluti figura, quatuor tanquam digitis distincta, proterto

se videbatur, à sinistræ vero natis medio duo digiti prosiliebant, quorum unus genitali virili haud erat absimilis. Pareus operum suorum lib. 24. cap. 6. qui & iconem ejus exhibet.

OBSERVATIO XXIII.

Sine manibus nati.

NAtos infantes vidimus, defectu membrorum, mutilos, manibus inquam carentes. Iacob. Rueff lib. 5. de Comment. & generat. hominis.

OBSERVATIO XXIV.

Inversis manibus & pedibus nati.

NAti sunt quidam retroversis manibus, & in obliquum transversis pedibus. Idem jam citato libro.

Infantis qui à prima in uteri conformatione, situs materni vitio, pedibus manibusque distentis evasit, iconem exhibet Pareus operum suorum lib. 23. cap. 9.

OBSERVATIO XXV.

Puellæ cujusdam sinistra manus enormis formæ visa.

VIdimus nos puellę cujusdam, annum decimum

cimum tertium agentis, manum ſiniſtrã, nõ quidem natura, ſeu prima ex uteri conformatione talem, ſed poſt octavum ætatis ſuæ annum, à poſtbrachiali ad digitos & ungues uſque ſenſim in tantum auctam, tumidã, ſordidi luridique coloris, ſubalbidis etiam maculis reſperſam, adeoque fœdam evaſiſſe, ut primo cujusvis aſpectu, grandis alicuius bufonis imaginem referret: nullo prorſus dolore aut manus uſus offenſa, ad tactum mollem, velut ſubſtrata cuti ſpongia, articulis digitorum ob laxam elevatamq; cutem minime conſpicuis. Quæ in eadem ſemper magnitudine & enormi figura conſiſtens, ad lunæ aut aëris mutationes nec increſcebat, nec imminuebatur. Mater puellę, neſcio unde perſuaſa, ſubſequẽtibus annis, una cũ menſiũ profluvio malũ ſua ſponte ceſſurũ ſperabat. Ego año 1555. 26. ſeptẽb. quo hæc añotavi, accepta à Clariſs. & celeberrimis Viris D. D. Leon. Fuchſio, Iacobo Schegkio, & Mich Ruckero præceptoribꝰ meis perpetua reverentia colendis, Laurea medica, Tubinga diſceſſi, nec qs effectꝰ ſublecutꝰ ſit, ſcire hactenus potui. Puella erat alias liberalis formę, facie vivida, & florida, Ioan. Dotzingeri Chirurgi filia, apud quẽ aliquãdiu una cum aliquot nobilibꝰ victũ mihi tum paraveram. Ioan. Schẽckius.

OBSERVATIO XXVI.

Manus mulieris cujusdam altera duplo major.

MAnum fœminæ duplo altera majorem vidimus. Iul. Cæs. Scaliger Exercitat. 199. numero 2. ad Subtilitat. Cardani.

OBSERVATIO XXVII.

Puellæ cujusdam manus à nativitate trunca & tuberosa.

PVellã vidi, non ignobilem, trũca ac tuberosa manu, quã cũ contrectandã mihi exhibuissent parentes, deprehendi digitorum contactu articulos, qui naturæ munere erupturi erant, intus convolutos atque in se retortos, ita ut nullum digitorum effigiem exhiberẽt, siquidem oẽs membri hujus partes, tam ossiculorum series & connexus, quibus manus complicari vel expandi solet, intro delituisse comperti sunt; Stompen, nostri vocant. Ita errorem hunc, ac naturę vitium inde contractum pronunciari, quod ea vis, ac facultas, quę formationi fœtus insistit, omnibusq; suis partib⁹ cõsummare hominẽ nititur, aliquo impediméto phibita sit, quo minus articulos potuerit pficere, atq; in speciosam decentemq; manus formam producere: cum enim mater splenis duritiej esset

obno-

obnoxia, ac fœmellæ in id latus, nempe ſiniſtrum, declinent, ex affectu ejus viſceris, cui partes illæ tanquam ſcopulo ac cautibus illiſæ incubuerunt, informem atq; indecoram ſpeciem ſunt conſecuta. Levinus Lemnius Lib. 4. cap. 7. De occult. Nat. Mirac.

OBSERVATIO XXVIII.

Monſtrum manibus pedibusq; anſerinis & capite enormi natum.

IN Germania prope Lauffenburgum oppidum, in finibus Helvetiorum ad Rhenum fluviũ ſitum, natus eſt infans manibus ac pedibus anſerinis, horrendo capite. Lycoſth. Prodig. & Oſtent. lib. Anno Dñi 1274.

OBSERVATIO XXIX.

Præciſa manus intra annum renata.

ANno Domini 937. Leone VI. Romanæ Eccleſiæ pontifice ſedente, hominis cujuſdam ſiniſtra manus ferro amputata, poſt annum pene ad integrum ei dormienti reſtituta eſt, cui pro ſigno miraculi quaſi ſanguinea linea loco conjunctionis notabatur. Con. Lycoſth. lib. de prodig. & oſtent. Anno Domini. 937.

OBSERVATIO XXX.

Ex despicabili volæ manus vulnere mortuus quidam.

AB exiguo & plane despicabili vulnere, in vola sinistræ manus accepto, quod vix subditam cuti carnem contingeret, Ludovicum Vives Senatorij ordinis hominem, ea in curia, quæ apud Monspessulum est, quam vulgo generalium vocant, intra septimum diem convulsione derepente orta concidisse vidimus. Valleriola lib. 3. Enarrat. 8.

OBSERVATIO XXXI.

Brachialis ossa de facili cariei obnoxia esse: exemplo memorabili.

BRachialis ossa cariei maxime opportuna sunt: & erosis à putrente materia eorum vinculis, plerunque fiunt inutilia, excernendaque veniunt. Id nos primum docuit apertissime effectus plane admirãdus, testãte magistro Tannequino Guilhaumeto, Nemausensi Chirurgo prudẽtissimo & peritissimo. Adolescens annos circiter quindecim natus, Dorilhac nuncupatus, Domini Vallebrisij filius, cecidit in manũ sinistram. Tumor inde excitatus, per octo vel novem menses repellentibus & resolventibus, nec non

nec non malacticis frustra curatus est. Ille tandem cauterium adhibuit metacarpij dorso, inter minimum digitum & annularem. Mox cum pure ipso erupit unum os carpi, sua sede motum: & deinceps reliqua omnia, tum carpi, tum metacarpij ossa per vulnus reiecta sunt sponte, ligamentis suis plane solutа, & carriosa. Vlcus postremo sanatum, eum nihil jam pręter naturam corruptumve haberet. Iubert. in Annotat. ad Tractat. de Apostem. Guid. de Cauliaco.

DE DIGITIS.

OBSERVATIO XXXII.

Monstrosæ digitorum manus conformationes, & numerus.

BEllum accidit in Geth, in quo fuit homo longissimus, senos habēs digitos, id est, simul viginti quatuor, qui & ipse de Rapha fuerat stirpe generatus. Paralipomenon lib. 1. cap. 20.

In numero partium simplicium, ex quibus singula instrumenta constituuntur, duplices inveniuntur morborum differentię: aut enim deest, aut abundat pars aliqua. Atque in harum utraq; rursus aliæ deprehenduntur differentiæ. Nam earum quæ abundant, aliæ ijs quæ naturali sunt habitu adnumerantur:

ut si cuipiam sextus expullulat digitus, aut in oculo πτερύγιον, id est ungvis, aut in naribus corpulentum tuberculum, aut in alio quopiam meatu id genus aliud. Sed horum aliqua inter morbos reputantur, ut πτερύγιον: nam cum plurimum increverit, & pupillam obscuraverit, visum impediet. Aliæ vero causæ morborum sunt, ut tubercula, quę meatus obstruunt. In primis enim obstructio morb⁹ est, quippe quæ primo functionem offendit. Gal. lib. de diff. morb. cap. 8.

Si quippiam oriatur in corpore, quod numerum à natura institutum excedat, id quoq; ad morbum qui in numero partium cõsistit referri debet. Quod si id quod supercrevit naturali sit specie, causam ejus existima fuisse materię utilis multitudinem. Si vero à naturali specie evariat, materiæ quoque qualitatem præter naturam fuisse, necesse est. Atqui vires uttobique validas esse oportebat: alioqui neq; conformari potuisset quod utile, neq; extrudi quod erat vitiosum. Igitur natura conformat quidem in fœtu, quum vel sextum digitum, vel quippiam aliud hujusmodi molitur. In his autem qui jam in lucem editi sunt, ac perfecti videntur, cum supercrescẽtem carnem in ulcerata parte producit aut pterygion, id est, unguem, in oculis.

lis. Deponit vero id quod redundat in ganglio, melizeride, ſteatomate, atheromate, & reliquis hujuſmodi omnibus. Galen. lib. de cauſ. morb. 2. cap. 8.

Digiti quibuſdam in manibus ſeni. M. Curiatij ex patritia gente filias duas ob id ſedigitas appellatas accepimus, & Volcatium ſedigitum illuſtrem in poetica. Plin. Nat. Hiſt. Lib. 11. cap. 43. Ex eodem repetit Pæt. Ciriſitus. lib. 3. de Poetis cap. 65.

Vidi digitum additum multoties. Haly. Rodoham Comment. ad lib. 3. Tech. Galeni, numero 177.

Sunt in manibus pedibusq; παρεφύσεις, id eſt, agnationes, ubi ſuperveniens adnaſcitur digitus ratione materiæ exſuperantis. De quare ſic Plinius: membra animalibus agnata inutilia ſunt, ſicut ſemper ſextus in homine digitus. Quod ex illo forſan Ariſtotelico videatur ſumtũ, libro de generatione quarto: Quibus autẽ habere gemina cõtingit genitalia, alterũ maris alterũ fœminæ, ijs ſemper alterũ ratũ, alterũ irritũ redditur. Ipſe vidi Bononię quendã de plebe inopẽ, ſenis in manu utraq; digitis; imo in pedibus quoq; ſupfluẽs digitus inter auricularẽ annularemq; interſitus agnoſcebatur, magnitudine ad reliquorũ

reſponſum, mobilis præterea & ad omnem uſum, ut aſſoleat, accommodus. Manus inſigni erant latitudine: nihil præterea quod deceret minus. Hoc eo adnotaſſe libentius volui, ut ſciremus, decretorium nō eſſe, agnatas membra inutilia haberi, & irrita. Alioqui apud Paulum Aeginetam legimus, ex digitis qui παραφυέμενοι dicuntur, alios eſſe carnoſos omnino, alios oſſa habere & ungues quandoque. Horum autem alij ex articulis prodeunt, à ſcythale alij. Sed hi prorſum ἀκίνητοῦσι, hoc eſt, immobiles ſunt: cæteris mobilibus quandoque. Cælius Antiqu. lect. 17. cap. 12.

Nati quidam abundantibus membrorum partibus, alter quidem ſingulis pedibus manibusque digitos habens duodecim. Iacob. Rueff. de concept. generat hom. lib. 5.

Puer monſtroſus annorum circiter quindecim Arelatę viſus anno 1561. menſe Iulio, cui in utroq; pede ſeptem inerant digiti (pollex namque pede in utroque duplex erat) & in utraque manu digiti ſex. In ſiniſtra vero manu annularis & medius conjuncti abſque ullo interſtitio erant. Pedes vero admodum latos perinde atque manus puer habebat. Franciſ. Valleriol. lib. 4. obſervat. 2.

In

In pago Dirliſtorf, ſexto die decemb. qui D. Nicolao Epiſcopo ſacratus eſt, natus eſt puellus, corpore quidem bene compacto, cui tamen brachia pedeſque ob naturæ defectum non conveniebant. Dextra enim manus cum omnino deeſſet, eo loco, quo pollex eſſe ſolet, carnoſus tumor, inſtar verticuli aut nucis parvæ eminebat. Siniſtrę autem manus pars dimidia, in tres tantum digitos ſed plane coniunctos, ut quoque pedes in totidem digitos deſinebant. Educatus autem, non tantum cibum potumque monſtroſis manibus capere, ſed numerare pecuniam, ſubducere rationes, eaſdemque elegantiſſimis literarum caracteribus rationum libro aſſignare potuit, quemadmodum alia omnia, quę alias manuum auxilio ab hominib. fieri ſolent. Vivit adhuc domini ſui liberalitate adjutus, anno 1557. quo hæc ſcribimus, jam natus 60. annos, vidimus adhuc ac obeſo corpore ſenex. Con. Lycoſth. lib. de prodigijs & oſtentis. An. Domini 1497.

In oppido quodam Franc. Orientalis, Kittinga dicto, honeſtam matronam vidi quæ ſenos habebat in manib. & pedib. digitos, totidemque habentem digitos, filiolũ pepererat. D. D. Ioan. Poſthius, ſuis ad me datis obſervat.

M. Ioan. Helcher φιλιατρῷ heri retulit, hîc ſtud oſum eſſe qui indicem digitum manus ſiniſtrę circumferat in tres acies quidem diſtinctum, & ungue præpilatum: Cæterum unciali mole altero compari digito minorem. Iacob. Moccij Acroama.

OBSERVATI'O XXXIII.

Punctura acus inter unguem & pollicis carnem quidam extinctus.

PEtrum quendam ſutorem, ex punctura acus inter unguem & carnem pollicis dextræ manus inflicta, obijſſe Ludovicus pater teſtatus eſt. Horat. Augenius lib. 9. Epiſt. 2.

OBSERVATIO XXXIV.

Paronichia pollicis ſæviſſima inciſa, convaluit.

FVi vocatus pro quadam muliere Taurini, quæ jam duodecim noctes cum clamoribus duxerat inſo nnes, occaſione panaritij in pollice manus prope unguem lateratiter, nullo tumore nullaque digiti inflatione exiſtente. Quidam chirurgus curam hujus paſſionis penit⁹ ignorans, bis fecerat quoſ-

quosdam superficiales incisiones, in quibus caro excreverat. Rogavit me instantissime, ut ejus curam susciperem. Crastino die feci incisioné cum rasorio lateraliter ab ungue usque ad os, à summitate digiti ad junctură exclusive: deinde applicavi album ovi cum vitello simul agitatis, intus & extra vulnus. Statim cum recessi, cæpit dormire, & dormivit tota die usque ad noctem, absque ulla comestione: cessavit omnis dolor, neque unquam postea doluit ea causa, sed brevi temporis spatio, Deo favente, fuit sanitati restituta absque digiti deformitate. Vera igitur curatio huius ægritudinis est, facere incisionem secundum modum dictum, profundando usque ad os inclusive: quia statim cessat omnis dolor, neque est aliud remedium, quin os & junctura perdatur. Petr. Bayrus Pract. lib. 20. cap. 9.

OBSERVATIO XXXV.

Pollicis tendo præcisus ut arte ad usum restauratus.

NErvo tẽdineve penit⁹ resectis, actio illa cujus in parte authores erãt una plane abole-

aboletur: itaque flecti intendive membrum inhabile eſt, niſi ipſi opis aliquid arte chirurgica allatū fuerit. Id ego præſtiti nobili cuidam e familia Annæ Monmorentij Galliæ equitum magiſtri, cui in prælio ad Vrnidas commiſſo vulnus tantum gladio militari ad dextræ manus externa parte articulum inflictum erat, ut tendinibus, qui pollicem erigunt, plane reſectis, etiam conſolidata & perſanata plaga, pollex intro inflexus, & in manus volam demiſſus maneret, nec extendi & ſurrigi poſſet, niſi forte vi revulſus ab altera manu, ſed tum etiam ſtatim revolvebatur. Itaque nec enſem ipſe nec pugionem nec haſtam capere aut tractare poterat, armis omnino inutilis, ſine quibus vitá nullam putabat. Cum igitur de amputando inutili illo & comprehēſioni officiente pollice me conſuleret, negavi facturum: aliam enim rationem comprehenſam me animo habere qua pollici afflicto ſuccurrerem. Itaque thecam ex ferro albo ipſi deformandá curavi, in quam pollicē ipſum inderet; duobus loris ad armillas duas ſupra manus articulum ſic artificioſe theca illa vincta & colligata erat, ut intentus erectuſque pollex maneret, ideoque militarium armorum genus omne captare & tractare ille poſſet. Pa-

reus

reus operum ſuorum lib. 22. cap. 10. De deficientium ſupplemento.

OBSERVATIO XXXVI.

In apoſtemate medij digiti manus, vermiculus albus ac piloſus natus & extractus, intenſiſſimum ejuſdem dolorem ſolvit.

RECordor, me dum Medicinam facerem inviſiſſe Franciſci Burſati Iuris conſulti ſervum, cui nomen erat Federicus: hic cum laboraret apoſtemate in capite medij manus digiti aſſociante dolore intēſiſſimo, tandem pure confecto, aperto apoſtemate, ex ſe ipſo exivit vermiculus albus & piloſus, demto capite, quod nigerrimum erat, magnitudine perſimilis illis, qui in caſeo reperiri ſolent, quo excreto, omnis dolor penitus ademtus. Vnde non immerito legimus apud Erotim de paſſionibus mul: auxilia ad vermes manuum & pedum cap. 54. & cap. 61. Marcell. Donat. Hiſt. Mirab. lib. 4. cap. 26.

OBSERVATIO XXXVII.

Vulnere minimi digiti quidam mortuus.

Obſer-

OBſervavimus Patavij ex vulnere minimi digiti Ioãnem Baptiſtam Argentinum deceſſiſe. Horat. Augenius lib. 9. Epiſt. 2.

DE CERVICE.

OBSERVATIO XXVIII.

Tuber rotundum capitis humani fere magnitudine cervici cujuſdam agnatum, imaginem bicipitis hominis præbuit.

BVbulcum Haganoæ ãnos ſupra triginta natum novimus, parte capitis poſtica ad cervicis vertebras tubere rotundo inſignitum magnitudine capitis, reliquæ cuti concolore, depili, poroſo, ſubſtantia ſupra flaccidam paulo duriore, atqui, ut ad compreſſum conijcere licebat, exoſſe: doloris quidem experte, cæterũ ſenſus haud obſcuri. Vt qui cum armenta ad paſcua educeret & reduceret, hyemis tẽpore, id adverſus frigus, vel alias quoque aëris & cœli injurias, non minus quam caput ipſum duplicata vitta alba, ad collum religata, contectum muniebat.

niebat. Huic si oculi, aures, nasus, os & capillitium accessissent, hominem bicipitem affabre retulisset. Congenitum, an vero ex casu vel ictu earum vertebrarum, aut sua sponte ei provenerit, incertum habeo. Ego strumis congenerem tumorem facerem, si ille subinde in majorem amplitudinem excrevisset: Sed quia in eadem magnitudine substitit, ampliandum censeo. Ioan. Schenckius.

OBSERVATIO XXXIX.

Lupia ponderis octo librarum, capitis magnitudine, è cervice enata & exsecta.

ALiquando in tantam molem crescunt lupiæ, ut remedijs descriptis sanationem recipere nequeant, quare manu & & ferro radicitus sunt revellendæ modo vicinis partibus non hęreant arctius, modo majoribus venis & arterijs nimium vicinæ non sint, satius enim erit in tali casu eas esse sinere. Amputandarum vero & revellendarum ipsarum hæc ars fuerit: Parva incisio ad cystim usque facienda est, qua

qua ſpecillum demittatur dimidium digitũ craſſum, in medio cavum, in extremo rotundum quantum res exiget longum: id inter cutem, cyſtimque ſæpius circumducere ad lupiæ uſque radicem oportet, quo ſic ſecundum ipſius longitudinem cutis dividatur, iterum aliam inde inciſionem per tranſverſum ſic facere oportet, ut decuſſatim ſe interſecent, mox à cyſti cutem diſtrahere ab angulis lupiæ radicem verſus convenit, idq; digitis tenui linteo involutis, vel etiam novacula, ſi ſit opus. Notandum vero in lupijs, quædam ſemper ſubeſſe vaſa, quæ initio parva, mox progreſſu tẽporis aucta ſunt, ad lupiæ incrementum, cujus ſunt velut radices, quare inter ſecandum, ſi quæ ſuboriatur hæmorrhagia, ea ſiſtetur, vinctis ad ſua capita & radices vaſis, vel ſtricta ligatura ad radices lupiæ fiet cum funiculo torto vel filo pluries duplicato, cujus extrema & veluti capita extrorſum pendeant, quouſque nodus ſua ſponte decidat. Nec vero ſufficiet totum hunc tumorem amputaſſe, ſed & cutis portionem, qua moles ipſius tegebatur, reſcindere oportebit, ejuſque tantum relinquere, quantum tegendæ parti ſat erit, hinc acu filum ducente inciſionis labra in unum addu-

adducentur, interim vero ad perfectam usque deterſionem linamenta in ulceris fundum demittentur, & reliquum curationis ad obductam usque cicatricem complebitur. Hac chirurgus Collo & ego methodo usi, præsente domino Violanio Doctore Medico, lupiam amputavimus, Martiali Colardo prætori Barbonensi: pendebat illi ex cervice, capitis humani magnitudine, ponderis octo librarum: Ex quo sic ipsi onerosa & molesta erat, ut eam ex mantili tanquam pera revinctam humeris gestare cogeretur. Certe si hujus generis tumores basim habeant tenuem & latum fastigium ligandi sunt, & à radice amputandi. Omnino vero difficilis, & aleæ periculosæ plena est lupiarum, quæ in jugulo juxta jugulares venas, quæ in axillis, quæ in inguinibus, & quæ sub poplite exurgunt, extirpatio, propter funestã eorum quæ inde emergere possunt accidentium vim. Conijcere tantum possumus, non certo prædicere, qualis ipsis contineatur materia. Scire tantum licet qualis sit, vbi exciſione facta, oculis patet. Pareus operum suorum lib. 6. cap. 10. De tum. contra nat.

OBSERVATIO XL.

Struma pediculis referta.

STruma in collo, ad ovi magnitudinẽ casu sense (altercantibus militib°, cũ vir ille qui strumã haberet intercederet) vulnerata, patre meo Iordano Foresto, viro nobili spectãte, qui & casũ mihi narravit, pediculis referta erat, ijsque viventibus. Homo autem cum longo tempore strumam in collo habuisset, neque Chirurgus aliquis hujus curam aggredi auderet, casu sic vulneratus opera deinde Chirurgi indigens, & necessitate compulsus, fortuito à struma curatus est, & evasit. Petrus Forestus.

DE SCAPVLIS.

OBSERVATIO XLI.

In tumore sinistræ scapulæ, internæ partis, Lapis quadratus inventus.

ANno 1567. 2. Iunij Illustris. Vir Carolus Tirecelin, Dominus à Rupe cenomana, majoris ordinis Regij eques; cum diem extremum obijsset: corpore ejus dissecto

fecto, in scapula sinistra tumorem insignem habere repertus est partibus internis: qui novacula apertus, lapidem quadratum durissimumq; continebat, qui à sanguine coagulato ex lanceę ictu genitus fuit. Chirurgus qui secuit dictum virum, vocatur vulgo le naure, apud Pictavos Chirurgiam faciens. Dictus dominus erat annorum 86. natus. Ferrandus Senior lib. de Nephritide pag. 8.

OBSERVATIO XLII.

De fractura Omoplatæ, qua docetur, naturam sua sponte viam sibi moliri peregrina corpora, & materias etiam ex consanatis jam vulneribus propellendi.

SI scapulæ non cohærent, aut subtensas carnes pungant, incidi contra caro debet, ut rostro corvino eximantur, & inde avellãtur. At quantũvis nurent, si tamẽ periostio & ligamẽtis adhuc cohęreãt, modo ne pungẽdo musculis molesta sint, eximẽda nõ sunt: nã non semel animadverti ea aliquãdiu post vicinis ossib⁹ coalescere. At si penit⁹ se-

creta, ne perioſtio quidem adhæreant, neceſſario avellenda ſunt, alias non naturæ vi propellentur: quia communi cum toto vita amplius non fruũtur. Quod vero vivũ eſt, ait Hipp. mortuum procul à ſe mandare ſolet. Cujus rei patuit veritas in Marchione de Villars. Huic in conflictu ad Druidas ſclopeto manuario in ſcapula vulnerato, fracti oſſis quædam ſchidiæ cum depreſſæ loricæ & intruſæ glandis plumbeæ fruſtis evulſæ ſunt, ac non multo tempore poſt vulnus ad cicatricem perductum, plane & perfecte coaluit. At pluſquam ſeptennio poſt ex labore in armis & loricę gravitate ad pugnam Moncontortiam oborta ſecundum cicatricem fluxione & inflammatione, vulnus recruduit, adeo ut erupta & reſerata cicatrice, multæ oſſium teſtulæ & reliquiæ, ac reſides glandis portiones ſponte naturę prodierint. At ſi fractura in omo platæ cervice, aut humeri dearticulatione contigerit, vix inde datur convaleſcere, quemadmodum in Anto. Borbonio Navarorum Rege: Franciſco Lotharingo duce Guiſio: comite Ringraffio Philiberto, alijſque permultis bellis hiſce civilibus ipſi vidimus. Nam circum hanc dearticulationem multa extant vaſa inſignia, nempe venæ & arte-

arteriæ axillares, nervi ex cervicis vertebris erti, qui inde in omnes brachij musculos dissem inantur. Sed & suborta illic inflammatio atque putredo cordi, alijsque principibus partibus vicinię jure facile communicantur, unde graviſſimorum symptomatum, ac mortis sæpe consequutio infertur. Pareus operum suorum lib. 14. cap. 9.

DE DORSO ET SPINA.

OBSERVATIO XLIII.

Sinuosum ulcus dorsi.

IN nobili Borchtoldo Huglin, immensos dorsi cruciatus longo tempore passo, abscessus in spinæ medio obortus est, qui in sinuosum ulcus, universum spinæ longitudinem excavans degeneravit, è quo utrinque in cervicis regione, tum juxta os sacrum foraminibus aperto, supra infraque pus maxima copia profluebat. Quo affectu, alijsq; multis, diu afflictus, expiravit. D. D. Felix Platerus de observat. proprijs.

OBSERVATIO XLIV.

Spina vertebra thoracis abrupta.

IN lanione quodam similiter dorsi doloribus gravissimis diutissime afflicto, tandē abscessus in media dorsi regione prodijt, quo rupto pus aqueum adeo copiose, ut totum sæpe lectum commadefaceret, ipseque ad extremum marcorem perveniret, multis septimanis effluxit. Ac demum processus spinę thoracis vertebrę posterior abruptus, illic quoque prodijt: quo ablato, præter omnem spem iterum convaluit. Cujus affectus diuturni non aliam causam, quam osticulum hoc confractum, diuque latens & abstrusum, antequam cognosceretur, fuisse ipsummet prodiens declarabat; tum vero id quoque quod post luctam cum suis coequalibus, in qua aliquoties in terram dejectus dolorem primum senserit, manifestum certumque faciebat. Idem de suis observationibus.

OBSERVATIO XLV.

Trichiasis spinæ lethalis morbus.

TRichiasis dicitur rima circa spinam, in longum producta, sed adeo exilis, ut visum fugiat: quæ non raro mortem affert. Calep.

OBSER-

OBSERVATIO XLVI.

Abscessu in dorso aperto quinquaginta ova, tenuissima membranula inducta, intus aqua limpidissima referta, inventa fuerunt.

Bononiæ Fabro cuidam lignario maximus in dorso tumor, ita ut gibbosus videretur, exortus fuit. Cumque maturationis signa apparerent, Magius novacula abscessum istū aperuit. Quo aperto quinquaginta ova, tenuissima membranula obducta, intus aqua limpidissima plena, inventa fuerunt. D.D. Laurent Scholzius de Obs. proprijs mihi communicatis.

OBSERVATIO XLVII.

Abscessus in gibbo apertus, & pediculis refertus.

CVm Cornelius Heydius collega noster, Medicus Delfensis, in Burgundia praxim exerceret, se puellam gibbosam præmanibus habuisse testatus est: quæ cum in gibbo maximum pruritum sentiret, abscessum ibidem esse Medicus judicavit: ideo adhibito emplastro de muccilagibus, ut ad maturitatem veniret, tandem & accito chirurgo, in-

go, incidere mandavit & gibbo aperto, exivit materia aquosa & abscessus repertus est pediculis refertus. Lavabat autem decoctione vini centaurij minoris, lupinorum amarorum, dein ulcere mundificato & absterso ad consolidationem perduxit. Petr. Forestus.

OBSERVATIO XLVIII.

Puella semestris nata, cujus mater dum utero gestaretur è scalis prociderat, unde filiola lunata dorsi spina, & enata ad lumbos ovi magnitudine excrescentia, paulo post ex convulsionibus mortua est: corpusculo dissecto, desiderata duæ vertebræ, & spinalis medulla denudata conspecta.

PVella præfecti cujusdam in Marchionatu, cum septimanarum esset circiter 17 ante biennium aperta fuit. Mater dum utero gestaret, de scalis delapsa, super dorsum, dein terrore perculsa, ex conspectis cujusdam graviſſimis ulceribus, puellam hanc convenienti tempore enixa est, cui spina dorsi perfecte luxata erat. Supra vertebras lũborũ excrescẽtia magnitudine ovi mẽbronosa, mollis, diversi coloris, cui secũdinã applicarũt, cataplasmata apposuerunt, tandem

dem meum consilium triduo ante mortem expetiere. Cum viderem excrescentiã hanc vesicæ istar, humore repletam, & metuerem ne forte ex acriori humore ossa læderentur, ut aperiretur suaseram. Ipsis resistentibus jussi applicare ol. chamomæl. & rosatum, ad doloris & caloris mitigationem, quod cum ea nocte ter applicatum fuisset, rupta vesica, materia serosa purulenta, fœtida, effluxit, & vesica concidit. Altera die abstergentibus & anodinis uti jussi. Tertia die convulsionibus correpta interijt. Aperto ergo loco affecto, meatum nullum, qui ad abdomen penetraret, reperi, licet essent qui existimarent urinæ portionem ex vesica eo deferri: verum ipsam spinalem medullam denudatam reperi, ita ut ad duarum vertebrarum lumborum exteriores processus & ossa defuerint, interioribus integris existentibus. Ossa ne hæc ab ipsa materia fœtida acri fuerint putrefacta, dubium apud me est, cum nulla ossium frustula fuerint à me reperta, nec in reliqua vertebrarũ parte lęsionẽ observare potuerim. Facile ego patiar mihi persuaderi, naturale hoc fuisse vitium, idque ex casu matris. D.D. Casparus Bauhinus de observationibus pro-

OBSERVATIO XLIX.

De eximia phlegmonarum curatione, prope ſpinam dorſi.

NObilis Gabriel à Varaderia, Patritius Arelatenſis, vir nõ minus avita nobilitate, quam virtutũ & morũ candore inſignis, pagi divi Andeoli dominus, optimi temperaméti, boni habitus, ſucculento corpore, plurimis ac gravibus actionibus aſſuetus, laboribusq; exercitus: cum per ver præcedens, æſtatéque ſubſequentẽ plurimũ ſe exercuiſſet, varijs obitis in diverſa loca ꝓfectionibus: effectũ eſt, ut ab nimio motu agitatis humoribus (ſiquidem movẽt excrementa, autore Galeno, ſol, venus, balneum, motus) & in cutem proruẽtibus, in phlegmonem magnam, ſecundum dorſi ſpinam, inciderit. Qua ægre ſuppurata, nec dum perſanata, quum ſe viæ præpropere nimis credidiſſet, & ſe corporeis laborib⁹ exagitaſſet, ad Divi Aegydij pagum profectus: febre continenti atq; gravi æſtuoſaq; ibi corripitur, cum jugi bilioſorũ humorũ vomitu, tanta copia, ut vix credi poſſit. Aeſtus, labor, inquietudo, corporis confractio, animi deliquia hominem valde præmebant, mox iterũ gravis in dorſi muſculis dolor, tumor ingens, rubor ac tenſio cum renixu apparent, phle-

phlegmones alteri⁹ initiãtis primordia. Missio sanguine, perpurgatoq; corpore, adhibitis cõgruis ad phlegmonem auxilijs, in suppurationẽ tendit. Interea per consensum ad inguina humoris portione in dextrum inguen decumbente, bubo apparet cum ingẽti dolore. Discutitur porro bubo cõgruis remedijs. Suppurata tãdem altera phlegmone post multos dies, atq; dissecta, ingẽs intus cavitas apparet (siquidem magnum locum influens sanguis compleverat,) puris mira copia, quod cum libere effluere non potest, sinu deorsum consistente, ad puris effluxum sectione iterum op⁹ fuit, ita jubẽte Galeno. Cavitas adhuc magna suberat & ingens puris undiq; manantis copia. Ad curã plures accersiti tum medici tũ chirurgi: quos inter cum Chirurgorũ alter iterũ secãdũ ulcus pronunciasset, in suas partes chirurgũ alterũ doctrina cõspicuum traxit, qui & ipse in eam inclinavit sententiam, sine sectione cavitatis totius curari ægrum minime posse: quin & labia ulceris exterẽda, quæ paululum intumuerant, cãdenti ferro opus esse intrepide ac constanter affirmabat. Nobis contra sentientibus, cuncta prius tentanda, & pro Galeni doctrina, naturę familiaria semper, antequam ad extrema illa præsidia veniatur: nec nisi summa urgente necessitate

sirate, cum reliqua nõ prosint, ad sectionem properandum, præsertim tantum quantum fieri in hoc ægro oportebat, quam sine magno discrimine atque ægri periculo oboriri non posse sciebamus, quod magnæ discisiones mortem utplurimum adferre soleant, ita asserente Galeno, ad sectionem præsertim reluctante ægro: cujus animum consulendũ esse, ubi de sectione aut ustione agẽdum est, Galenus docuit. Itaque adversus Chirurgi sententiam nos detersorijs utentes per Syphones rectos, mox cavitatem implentibus & sarcoticis, ac tandem epuloticis, hominem citra sectionẽ integre Dei nutu curavimus. Id ut intelligatur, nihil quicquam absolute & asseveranter in re medica atq; medicis consultationibus proferendum, ne obijci id possit, Bonum quandoque dormitare Homerũ. Franciscus Valleriola lib. 5. Observat 1.

OBSERVATIO L.

Cornua dorso & juncturis nonnunquam agnasci.

AVdivi dici à patre meo, quod cuidam viro vidit nasci in dorso suo os ad similitudinem unius cornu, quod erat minoris duritiej ossis naturalis. Et ipse pater meus purgavit humores grossos in ipso, & postea posuit

fuit medicinas exiccativas super os ita q; cecidit dictum os, sicut cadunt cornua cervi in vere. Et mihi etiam fuit ortum os unum super dorsum, magnum mihi inferens dolorem: & purgavi me ab humoribus grossis, & posui super ipsum resolutiva, ita quod resolutum fuit pro majori parte, & illud modicum quod remansit, non impedivit me in aliquo in operationibus naturalibus excernendis. Ergo ubicunque inveneris simile, facias sicut dixi. Et cum purgas istos, noli ipsos purgare solum cum virtutibus medicinarum, sed cum ipsis medicinis proprijs. Et de melioribus mineris ad purgandum hos, est lapis Lazuli, sed in magnete est absq; dubio magnum juvamentum in hoc, sed ego ipsum non sum operatus, quia sufficit mihi lapis Lazuli, & ego commendo opera eius. Avenzoar lib 2 cap.5.

Cornua hominibus agnasci, ægritudo est non monstrum, de qua Principi Aboali, atq; maximo Viro Abumero narrantibus, equidé propter eorum authoritatem adducebar ut crederem, donec unum vidimus in dorso remigis cujusdam, qui in Ligurum triremi diu fuerat. Scaliger exercit. 199. 5. ad Cardā. Subtilit.

Vidimus in Creta, vulnerato genu sagitta, cornu

cornu nigrum rupicapræ capiti ſimillimum prodijſſe, materiaque quæ in oſſis ſubſtantiam conuerti debuiſſet in corneam naturam aëris afflatu facile converſam, concinneque gummi modo indureſcentem. Alex. Bened. Anat. lib. 1. cap. 14.

Sunt additiones ſpiſſæ vel denſæ, curvæ naſcentes ſuper juncturas in extremitatibus propter vehementiam operationis. Et cura eorum eſt inciſio, ut removeatur ex ijs illud quod non dolet, deinde adminiſtrentur ſuper reſiduum medicinæ vehementer acutæ ex medicinis verrucarum, donec cadat: deinde conſequatur butyrum coctum. Avicenna Canon. lib. 4. Fen. 7. tract. 3. cap. 14.

De cornibus quorundam capitibus agnatis, vide lib. primo hujus operis.

Interdum ceu cornu in integris oſſibus, non in fracturis naſcitur, quod quidem cornu excreſcit extra carnem & cutim: ut vidi Patavij in femore cujuſdam Nobilis, ex cujus crure excrevit quaſi paxillus longus. Fallopius de partibus ſimilaribus cap. 7.

Lect. à Coitero publicatarum.

OBSER-

OBSERVATIO LI.

In recens nato puello, tumor farciminis instar dorso agnatus visus: quo primum aperto & tandem in totum reciso, mortuus ille.

NVper puellus natus est, elegans & vividus, nisi quod in dorso paulo supra podicem tumorem farciminis instar adnatum habebat. Quo, chirurgi opera, aperto: præter saniem & puris modicum nihil effluxit. Eodem vero medicorum quorundam consilio in totum pręciso, puer quarto inde die extinctus est. D.D. Thobias Cneulinus.

OBSERVATIO LII.

Erisypelatis species rara & periculosa, circa dorsum tractum rubrum proferens, tum de ejusdem prognostico & curatione.

FIliolus meus Theodosi⁹ mortuus 10. Decemb. (post longiorem infirmitatem) subito specie quadam erysipelatis, quam mulieres Fluck vocãt: quia ruber quidam tractus in dorso ejus postea apparuit. Is morbus quãprimum foramen aliquod corporis occupat, hominẽ necat. Ideo croco foramen circumlinitur, ne ulterius rubor serpat. Mart. Crusius Annot. ad epist. 22. lib. 7. Turcogręciæ.

OBSER-

OBSERVATIO LIII.

Ignis sacri species rara Zoster appellata, medium hominem cinguli instar ambiens: ex qua, intempestive consolidato ulcere, mortuus princeps quidam: alius vero tempestivis remedijs adhibitis liberatus.

ERysipelatis species, alijs longe pernicioſior, Galeno & alijs Arabū medicis vel nō viſa, vel non cognita, de qua Plinius ille Polyhiſtor Lib. 26. Ignis, inquit, ſacri plura ſunt genera, inter quæ medium hominem ambiens, qui Zōſter appellatur, & enecat, ſi cinxerit, & certe merito à cingulo ζωστηρ appellatur: quoniam ob nimiam febrem continuam efferveſcentis choleræ copiam, inflammatione à lumbis umbilico & teſticulorum oſſeo uſq; ad genua hominē cingit, ſepit, & circundat. Hoc illuſtris princeps & Marchio Brandenburgēſis Georgius in Onelspachio correptus ex ulcere cruris intempeſtive à Chirurgo quodam conſolidato, quod idem Chirurgus, ne quid ad ulcus afflueret, faſcia arctiſſime ſtrinxerat, interijt. Deinde poſt biennio eodem erysipelatis Zoſtere, illuſtris princeps & comes Palatinus Ottēricus, Dux utriuſque Bavariæ, à lumbis ad genua uſque circumdatus, ac febre continua ad delirium uſq;

usque æstuabat: quem ego Heidelbergæ, incisa utriusq; pedis saphena, adhibitis quoq; quæ febrē restinguerent, Deo auspice, à morte vindicavi. Sic Scribonius cap. 106. Hiera, inquit, Pachi, ad sacrum ignem, quem Zonā vocant, bene facit, ex aqua mulsa, detracto prius sanguine. Langius Epist 32.

OBSERVATIO LIV.

In globum quorundam corpora incurvata & contracta.

JVvenculam & maritum vidimus, quibus instar globi caput ad genua attractum fuit, **seind zusammen gewachsen in die runde/ wie ein Kugel** obierunt. D.D. Esaias Meichsnerus de observat. proprijs.

OBSERVATIO LV.

Caro ex dextro latere enata propendens.

EXcreverat in dexteriore latere ejus caro, propendebatque adeo, ut ægre fascia substringeretur. Suetonius Tranquillus de Sergio Galbo numero 21.

OBSERVATIO LVI.

De Gibbo.

CVm vertebrę exterius luxantur, non ex acuto morbo fit Gibbus, si ad interiora ladosis species, alia fit etiam in utramq; partē, quā vocant obstipum, primam propriè vocāt

incurvationem etiam : fit & quandoque utrinq; quod tamen difficile est : vidi nuper in puella nobili, annorum circiter decem, obliquitatem in latus, seu genus id quod vocant obstipum, erat autem spina dorsi obliqua, sicut anguis, referens literæ S imaginem. Hoc volui adjecisse quod ad intellectum præsentis loci facit. Proponit ergo tria Galenus, primum noxa quæ accidit spinæ vel est per se, vel non per se, sed consequentia quadam noxam per se vocat abscessum seu inflammationem seu intemperiem; in hac si contingat fieri resolutionem, seu ex una parte, seu ex ambabus, necesse est omnia membra, quæ sunt infra illam partem spinæ quæ resoluta est, resolvi, seu ex una parte tantum seu ex ambabus. Si vero noxa sit ex consequentia tantum velut in gibbositate in qua spina dorsi non patitur aut parum, sed nervus qui facta luxaxione obliqua, seu ad unam partem opprimitur ab ea parte in quam spina deflectitur, quoniam vertebræ magis constringuntur, ex opposita autem nervi nimis distenduntur : ideo in hoc casu cum spina dorsi seu medulla non sit affecta prorsus, sed nervi tantum ab ea orientes, & ob id resolutio

non

nõ fit nisi in mẽbris quæ recipiunt nervos è regione partis medullæ lęsæ. Sicut in exemplo priore, in quo ob luxationem vertebrarum colli tantum manus resolvebantur, & non inferiora membra: hoc etiam fit minus, inquit, si luxactio fiat sensim, aut si fiat intus vel extra: & in lumborum vertebris minus quam thoracis, & thoracis quam colli: quia in cervice vertebræ inter se connexæ æqualiter conferunt foramini unde nervus prodit, sed in thorace magis confert fotamen inferioris vertebræ, & longe minus in lumbis. qui ergo noxam patiuntur per se in medulla spinali, his oẽs partes inferius resolvũtur, & quanto noxa fuerit major, & advẽt⁹ repẽtin⁹: q vero noxã patiuntur in nervo tãtum, ut in gibbositate, & obliquã, id est, in latus hi patiuntur resolutionem solum in parte quæ est è regione ubi nervi læsi sunt, si vel lęsio magna sit, vel repẽtina, ut in angina, in qua vertebræ luxãtur ad lat⁹: si vero luxatio vertebrarũ fiat sensim vel etiã repẽte, sed int⁹, aut extra nõ in lat⁹, his nulla cõtingit resolutio ob hoc ergo q fiũt gibbi p casũ aut iactũ si fiãt obstipi, resolvũt: sin autẽ incurvi aut repandi, non resolvuntur: qa tametsi repente fiat, non est obliqua luxatio: qui vero sensim fiunt gibbi, etsi obliqua sit luxatio,

non resolvuntur, quia non repente facta est, qui vero sensim facti sunt incurvi aut repandi, nullam patiuntur resolutionem, tum quia sensim vertebræ luxatæ sunt, & interim spinalis medulla, quæ mollis est, potuit extendi, & ita nihil passa est, tum quia luxatio recta est, in qua nervi neque comprimuntur neque justo plus extenduntur. Ex quo concluditur quod in luxatione recta, gravi, & repentina, poterit contingere etiam resolutio, quia licet in Angina nó fieret, contingit hoc, quoniam ex tribus conditionibus quæ faciunt ad resolutionem, scilicet quod sit repentina, magna, obliqua, non aderat nisi prima: si vero adsit & secunda, ut in vehementibus ictibus aut casibus, tunc resolventur membra inferiora, aut saltem quæ sunt è regione. Vertebræ autem luxantur quatuor modis, aut casu, aut ictu, aut crudis tuberibus, aut materia sensim influente: quamvis hæc non ut in proposito Galenus omiserit, cujus hoc est præstantissimum sane inventum. Cardanus parte tert. numero. 56. de Caus. Sig ac Loc. Morb.

DE HYPOCHONDRIIS.

OBSER-

OBSERVATIO LVII.

Durities Hypochondriorum.

PVellę cuidam, annorum 7. hypochondriũ dextrum atque siniſtrũ uſq; ad inguina adeo fuit durũ & renitens, ac ſi aſſeres ſubcute haberet. Antea febri laboraverat, & corp⁹ nõ fuerat purgatũ. Hunc affectũ mulierculę noſtrates vocãt den Fiebekuchen/Langius lib. 1. Epiſt. 39. vocat den Fiberkuchen. Purgato corpore adhibui balnea, fomentationes, unguenta, & emplaſtra molliẽtia & diſcutiẽtia, longo tẽpore, ſed ſine magna utilitate. Tandẽ elapſis ſex menſibus hypochondria facta ſunt paulatim molliora, & demum ad integrã ſanitatem redijt.

Eodem morbo nobilis cujuſdam filius, 4. annorum, laboravit, cui etiam utrumque hypochondrium valde durum fuit, & materia in hypochondrijs tanquam orbis ligneus delituit, & digitis undiquaque comprehendi potuit. Ventrem valde tumidum, pedes & brachia macilenta habuit. Affectio hæc diu duravit, & nullis medicamentis cedere voluit. Tandem muliercula quædam balneum præparavit, ex ſabina ſylveſtri, quæ ſelago Plinij eſſe creditur, vinica pervinca, ſummitate

pinaſtri, pyrola fruticante, & fungis ligneis in arboribus provenientibus, aqua coctis: in quo balneo cum puer, ſingulis diebus, horã dimidiam, vel etiam integram laviſſet, idque novem diebus cõtinuaſſet, materia reſoluta per ſedem exiit. Huj⁹ morbi nemo Medicorum (quod equidem ſciam) mentionẽ fecit, excepto Fernelio, qui cap. de Lienis morbis ſcribit: Lienis ſcirrh⁹ alias ſolã ſubſtãtiã occupat, alias quoq; in partes vicinas diffũditur, ut oẽm plerunque ventris ſiniſtram regionem impleat &c. De curat. nihil ſcribitur. Quam difficulter autem morbus iſte curetur, ego bis expertus ſum. De CL. v. Io. Franci Hildeſij Cameniceni Obſ. raris per D.D. Laur. Scholzium transmiſſis.

OBSERVATIO LVIII.

Lapis triangularis, ſilicis duritie, ex multis alijs piſiformibus coaleſcens, in œdemate ſcirrhoſo ſub hypochondrio nato, extractus.

RVſtico cuidã Pratenſi, ex nimio labore œdema in ſiniſtro hypochondrio iuxta coſtas nothas eſt obortũ, ꝙ cum à Chirurgis minus recte tractaret, in ſcirrhũ abijt, cũque nullũ inde dolorẽ peiperet ulteriorẽ, medicinã adhibere ſupſtitit; Año vero uno vix exacto, materia illa ſcirrhoſa adaugeri ſimul &

& do-

& dolere cœpit, quã chirurgi emplastris accõmodatis emollientes, ad aliqualẽ suppurationẽ deduxerunt, inde ferro locum aperiẽtes, lapidẽ triangularẽ quovis silice durioré, ex multis granulis quasi pisis cõflatũ, extrahũt, atq; sic rustic⁹ ille curatus fuit. Ex Italia, à Pet. Spererio sine expresso nomine communicatum.

DE ILIIS ET INGVINIB.

OBSERVATIO LIX.

Vermes in apostemate inguinis visi.

Vidi in puella tumorẽ magnũ inter ilium & inguinã, quẽ incidẽdo chirurgus quidã, me præsente, reperit plenum vermibus.

Quidã miles Mutinẽsis, in hospitali Carmelitano habebat multos tumores intrinsecos, & extrinsecos, quos vidimus post ejus mortem (nam ex illis mortuus est) qui tumores erant pleni vermib. parvis, qui videbantur pediculi. Fallop. cap. 4 de tumorib. præter naturam.

OBSERVATIO XXVII.

Carcinodes, ut credebatur, ulcus, mulieri cuidã, circa inguina, cũ horribili putrilagine & fœtore cruris q; tumore œdematoso, subortũ. Cũ recte curatũ crederetur, metastasi quadã, paulo post in altero inguine recrudescẽs, agram subito sustulit.

Pla, & honesto loco nata matrona quædam, affectu in inguine suscitato, & ad vicinas partes ad pudēda usq; pertingente, cum insigni fœtore ac putredine, totiusque dextri cruris œdematoso tumore, viriumque maxima imbecillitate, laborabat. Quorum potissimum, ut & aliorum difficilium symtomatum causa, ego quoque à Luca Arabe ad curationem ascitus fueram. Collatis itaque sententijs communi opera, ad difficillimi hujus mali curationem, singulari industria incumbentes; hoc tandem effecimus, ut corruptione & putredine omni sublata, carunculisq; illis innumeris, per pyrotica, cathęretica, & ferro domatis, œdematosoque crure percurato, omnia salva esse, ægrāq; pristinæ sanitati restitutā, omnes fere arbitraremur. Verum haud ita multo post tempore, idem malum, symtomataq; similia suscitans, in altero inguine recruduit, miseram ęgram cito absumsit. Melchior Sebizius, suis ad me datis observationib.

OBSERVATIO LXI.

In apostematibus inguinis & Ilij calculosi & castaneæ magnitudine nati.

EGo meo tēpore vidi, una cū magistro Benedicto egregio Doctore Veronę, apostema in inguine cujusdam mulieris, in quo erant lapides tres ad quantitatem castanez,

neæ, formæ tendentis ad rotundum,& diuritie gipsi, quod apostema me præsente secuit. Arculanus in cõment.ad cap.69. Avicénę de febre sextana,septana, & similib⁹.

Vidi in muliere quadam patiente apostemata in ilio lapidem ex apostemate rejectũ, nam exhibui ei Therebinthinam, & tum temporis ruptus est abcessus, & cum pure rejecit lapidem magnum ut ovum, & medici credebant mulierem illam laborare colicis doloribus. Fallop. cap. 4. de tumorib. præter naturam.

OBSERVATIO LXII.

Virgini Religiosæ ingens struma ad coxendicem enata.

CArneam excrescentiam ingentem coxę alligatã in Monacha D. Ioannis Mantuæ obsevavimus. Macell. Donat. Hist. Mirab. lib. 5. cap. 3.

OBSERVATIO LXIII.

Strumarũ, steatomatum, atheromatum, aliorumque ex Pituita abscessuũ, Hist. & cura prophilactica.

IN abscessuum de crudo aut partim putrescentis pituitæ lentore catalogo, quotum materia folliculis,aut proprię membra-

ne involucro coarctatur & coalescit, cẽsentur strume, steatomata, atheromata, & melicerides, quæ à materia qua eorum infarciũtur folliculi, græca sortita sunt nomina Nam quorum materia steati id est sevo vel adipi similis, steatomata, ab ἄθηρα id est pulte atheramata dicuntur, à viscido mellis liquore melicerides appellantur, ex horum miscellanea strumæ intra asperam arteriam in collo & cervice usque ad pectus pendulæ, ac supra adenas passim venarum in corpore fulcra coalescunt. In collo græcis βρογχόκηλα gutturis hernia & botia ac scrophulæ à scrophis i. porcis quibus hic morbus est peculiaris, ob id græci vel à porcis quoque χοιράδα, aut à scopulis in æquore instar capitum porcorum natantium prominentibus appellarunt, hos quippe χοιράδες græci dicũt æquoris scopulos eminentes, hæc digerentibus illita in scirrhum aut cancrum tandem mutantur, hæc quoque maturationi sunt adeo contumacia, ut ante suppurationẽ computrescant, in quibus sanguis concretus in carbones aduritur, villi vero & nervi carnis tabefactæ in rhombos conglomerantur, capillis in glomum complicatis ac setis porcorum assimilentur, pirnita siccata lapidescit ac ramentis ossium, & fictilium testis simili-

ma videtur.hæc delirum vulgus philoſopſiię imperitũ in apoſtemate præſtigijs dæmonũ aut veneficijs anus accidere credit. Hæc autem in diuturna ex alteratione putrefactione enaſci experimur, ut lignum quercinum ſub terra defoſſum mutatũ in cotem lapidcã hiſce manibus erui. Galenus quoque hæc & plura alia oſtentis ſimilima in abſceſibus ex atrabile & pituita ſubnaſci his verbis teſtatur: Humores inquit,ubi in abſceſſibus perduraverint,plures habẽt alterationes. Nam & lapidibus,& arenis, & teſtis,& lignis atq; carbonibus & limo & ſorditiei feci,& ſtipulæ & amurcæ & multis alijs in abſceſſibus ſimilia inveniuntur corpora. Hæc de affluxu pituitę apoſtemata diverſa corporis obſidẽt loca.Oriuntur, ait. Aëtius lib. 6.non in collo & cervice tantum ſtrumæ, ſed etiam in alis & ingvinibus ac lateribus, mãmis quoq; mulierum agnaras ſe vidiſſe Meges chirurg° auctor eſt. At Iulius quidẽ Pollux grammaticus (nihil enim refert cum bonis auctoribus verſurã facere) in meſenterio ſcrophulas quoq; enaſci prodidit. Tumores quoque inquit, intra carnem & adipem, vel omentum ſubſiſtunt, maximè circa bubones axillas & maxillas & meſenteriũ,citca quę chœrades & ſcrophulæ conſiſtunt. Verum nec

in his

in his tantum locis, sed plerisq; alijs hęc subnasci nostra quoq; ætate compertum est. Florentijs juvenculæ strumа pondo sexaginta librarū in coxendice accrevit, cujus moles cum progressum moraretur, mulier integrū quinquēniū in lecto decūbere coacta mortem tam inerti vita & decubitu potiorē testaretur, DEVM hominūq; opem, consiliū & subsidium imploraret, medici vero curā detrectarent, ex horum collegio junior natu misertus juvenculæ ejulantis, arctissima ex setis equorum impliciti laquei ligatura ferro & cauterijs strumam radicitus muliercula superstite felici successu avulsit.

Nec minoris ponderis strumæ moles Ambergæ, superioris Palatinatus metropoli Michaeli Aurifabro in genu accreverat. At is mori quod & accidit quam ferro curari maluit. Scripsit quoque ad me, Georgius VVirt Medicus consobrinus meus, generoso ipsius patienti, illustri principium stirpe nato, ex ingvinibus strumam, aut si mavis steatoma, pōderis plus minus quadraginta librarum succrevisse, & cum corpus plethoricum pituitoso redundet sanguine, veretur ne pro incremēto lunæ indies adaugeatur. Proinde enixe petit consilium, ut

docceam

doceam qua methodo illius & aliarū in collo vel alibi chiriadum incrementum impediri possit, chirurgicorum n. operam illustrissimā penitus aversari & despuere, malle n. ut aurifaber ipsum mori quam ligaturis, sectione & cauterijs curari, verum quandoquidem consilium operamque meam illustrissimo Principi ipsius denegare non potuerim nec debuerim, rem ab ovo hoc est à causa procatarctica & interna id generis ex pituita cruda aut marcida abcessuum auspicatus sum. Ex causatum enim cognitione & indicationibus partim morbi cognitio remediorumque indicatio, quib. curandi morbos Methodus constat, habetur, quę per cōtraria causę morbi eradicationē indicāt. Cōcors enim philpsophorū ac medicorū axioma est, ablata causa, illius quoq; effect⁹ pessum iri aut evanescere. Atqui clare constat hos abscessus esse pituitæ affluxus soboles, quæ cum ad colli cervicis & emunctoriorū adenas defluxerit intra membranas in strumæ abscessus concrescit. Hos defluxus Hydrargyri virulentia proritare solet, cujus genuina virtus est pituitam ab extremis & corporis ambitu arcere, & ad colli glandulas, gingivas, faucium adenas vel paristhmia regerere, quo malo plurimū infestātur qui-

alpes

alpes metallis fœcundas, aut istic metallorū venas scrutantur, aut aquas ex mōtibus metallorum scaturientes bibunt. Quippe cum Hydrargyrium una cum sulphure sit omnium metallorum parens & origo, par est ut derivatum resipiat naturā originis, nec idm digenis modo, sed etiam advenis accidere certum est, si has terras incoluerint, & hau per metalla ex montibus & fontibus aquarum scaturigines potaverint. Proinde Equicolos bellicosos de natione Medullorum equites, Tauriscos & Noricos, & qui ultra Salzburgum Oenospontem curiam Retiæ oppidum atque Stiriam & Carinthiam alpium versus incolunt metallis divitibus, colli ut taurorum palearijs bronchocelis turgere usque ad pectus pendulis nil mirum. Compertum ajunt si quis virgulta, aut scipiones rectos & enodes in harum aquarum fontib⁹ aut scaturigines defixerit, his intortis velut in oleis arboribus tubera adnasci. Altera illorum causa est vitæ luxus & crapula, in qua vitam plerique mortalium Sybaritarū more traducunt, qui Sardana pali exemplo malunt viuere ut edant, quam edere ut vivant. His de grege Epicuri porcis, porcus Troianus vix pro ferculo uno sufficeret, qua sagina corpus Nicomachi Schimienei ad tantam molem increvit, ut loco dimoveri non

posset, qua victus ratione pituita in corpore coacervata in strumas & steatomata coalescit & χοιράδας, quibus sues maximè ob voracitatem sunt obnoxij. Quare non illepide illis animam pro sale datam ne putrescerent Chrysippus existimat, ob id grandine quoq; in collo & sub lingua, non raro in tota humida corporis mole obortа infestantur. Sed sobria & frugi attenuante victus ratione opus, qua crebro genium defraudet patiens. Proinde opus est ut abstineat ab omnibus esculentis, quorum esu succi crassi & viscidi generantur, de quorum censu sunt, lac, caseus, quadrupedis pes, caro suilla, & pisces in stangnis limosis altiles, squamis quoq; ut Anguillæ carétes: saxatilibusvero inter maris scopulos captis libere vesci poterit. Evitet quoq; omnia ex caseo, alica, chondro, placentarum genera, ex lactis collustris quoque parata, quæ veteres lagona & rhiemata, ac communi nomine Itria appellarunt. Præterea omne ex tritico sine fermento pistorum opus ut panes azimos, ac pleraq; alia arte culinaria parata fercula, ut pulticulam ex decorticatis, & fesis leguminibus decoctã, quam Græci antiqui Ethnos dixerũt, & Lecython ex molitorum farina in aliquo pingui jure elixatã. Ob id quoque abstineat à musto, & omni vino rubro, bibat vino

Rhenensia, quæ in littore Rheni creverunt, quæ gutturosis pituitaque cruda laborantibus non parū conferent, si in illis libanotis, hyssopus, satureia, vel thymus macerata, dum ebulliunt aut feruent, fuerint, Melycratum quoq; in quo thymus & gingiberis radices incocta fuerint egregie illis prodest. Inter medicata vero pocula, sunt his saluberrima aquę minerales quædam, præsertim quæ vini feculam resipiunt, quæ, ut Arnold' tradit, non internos modo hosce strumosos & pituitosos abscessus, sed externos quoq; discutiunt. Nec hæc frugi victus ratio sola sufficit, sed opus est medicamentis quæ partim hæc ex pituita abscessuum fomenta, & crudas coctionis reliquias digerant, partim alvum ducant. Opus igitur erit, ut quavis hebdomadarum triade mane tempore antelucano, & iturus cubitū oxymellis squillitici & de radicibus compositi, una mixtis triduo integrum cōchlear absorbeat, quo humores lenti ad excretionem præparentur. Tandem tertia à cœna hora septem de drachma una pillulas deglutiat, quæ affluxum pituitæ per alvum divertant & excernāt. Ad hos ex phlegmate cōcretos abscessus in halitū resolvēdos & dirigēdos, inquit Gal. lib. 14. Methodi, medicamēta ex aro-

mati

matibus composita maxime prosunt, quorum laudatissima sunt antidotus ex viperis composita, quam Theriacam vocant, tum quæ athanasia, & Ambrosia dicuntur, atqui hæc magni constant. Viliorum inquit Galenus, optimum est nostrum quod calaminthe est coadunatum cujus compositionem docet. Gal. lib. 4. de Medica, de sanitate tuẽda. Hæc sane tumores, intra carnem & adipem vel omentum quoque consistentes, maxime circa bubones, & axillas & maxillas, & colli adenas & mesenterium χοιράδας, id est scrophulas dissipant, meatusque aperiunt, & expeditos servant. Pillulæ a. quarum supra meminimus constãt ex aloes rosatæ scrupulis quinque, agarici trociscati scrupulis duobus, turbith albi gummosi, drachma semis, squinanti, radicum asari singulorum granis quinq;, zinziberis scrupulo semis, cinamomi scrupulo uno, Rhabarbari, drachma semis, Trociscorum alhandal granis quindecim. Cum Oximelle fiat massa, dosis à scrupulis duobus ad Drachmam unam. De medicamentis topicis oleum subscriptum, cæteris est longe præsentius, cujus recta compositio arte Chymica est illa quam Evonimus ignoravit. ℞. Olei Philosophorum, laterini libram semis, thuris, masticis, gummi arabici,

terpentinæ singulorum drachmas tres pista-
ta simul per alembicum distillentur, tandem
distillationi addatur salis excinere cerri & i-
terū destilla, quod destillaverit in vitro serva
De cerra arbore glandifera præter Plinium
vide Ruellium lib. 1. destirp. cap. 66. & quo-
modo ex cinere cerri fiat sal norunt Chymi-
stæ. Hujus olei unctio dissipat & digerit stru
mas & scrophulas, quas græci napthas & glā-
des appellant. Ioan. Langius Epist. 4. lib. 5.

OBSERVATIO LXIV.

Ganglium, capitis magnitudine, inguini dextro adnatum: cum tuberculo.

NObilis Picto, cui paulatim ganglium ex
creverat in inguine dextro tam magnū,
quam pueri caput cum adnato crassiore tū-
berculo, in consiliū adhibuit medicos, Fer-
nelium, Sylviū, Holleriū, Chirurgos, Thier-
ryum, Rivierium, Ambrosium Pareum. Me-
dicis cum Ambrosio periculum declarantī-
bus, si excinderetur (nam hoc unum erat
remedium) alij contra senserunt sine peri-
culo incidi posse. Vicit consiliū plurimum,
quia metuerent hæmorrag. gangrænā ab in-
cisione, claudicationē. Post aliquot dies re-
vocat⁹ æger cum chirurgis de incidendo a-
genti-

gentibus, altero voluit rem lõga disputatione agitari. Tandem conventum, ægro impellente, & profitente se mori malle, quam diutius malum perferre, quia & armis ineptus esset, & coniugio atque coitui, oportere in circulum molem incidi, circulo longius ab ingvine & scroto circumscripto; deinde ad membranã tumorem paulatim exsecari, paulatim quoq; pellẽ separari quæ esset versus radicẽ: venas & arterias ut detegebãtur, cõtra hæmorragiã ligari. Quod post aliquot dies, Fernelio & Hollerio præsentibus à Theodorico Thyrerito & Rivierio, trib⁹ alijs chirurgis assistentibus, effectum fuit. Evulsa moles, cum tunica, glanduloſa, albicáns, intus sine sangvine & carne, multis cõstans glandulis, a sua pellicula seu pediculo facile separabilis, glandulam pinguem repræsentabat. Iam sanescente vulnere, febricula, oris amor, fastidia incurabilia, virulenta sanies, fœtida, dolor in altero inguine, pube, ventre. At tandem soluta alvo, liberatur amarore, & aeri comissus, ut ad suos rediret, perbelle habuit. Hollerius observat. 23. lib. proprio.

OBSERVATIO XLV.

Struma pondo sexaginta librarum coxæ innata.

MVlierem Olivam nomine struma coxæ innata multos annos miserabiliter uexabat. Ad eam enim jam magnitudinē excreuerat, ut occupante ea coxam ipsam ac crus, ambulare non posset. Quo factum, ut jam quinquennio misera in lecto jaceret. Nec ex medicis ullus invienebatur, qui aut ferro aut alio quovis medicamento tollere tam ingens malum auderet Quare omni spe destituta, me cum junior adhuc essem, ad se deposcit.

Lachrymis urget & precibus ut quamlibet miserabile, aliquod tamen ei præsidium afferam: mori se malle quam in tanta miseria & calamitate vitam ducere. Moverunt me, fateor, infelicis mulieris lachrymę, ac propterea rem sane arduam, & quam nullus qui saperet attętasset, aggressus, strumam ipsam ea potissimum parte, quam coxa pendebat, vinculo deligo. Et quoniam resecāda crassitudo palmo plenior erat, singulis quibusque diebus vinculum ipsum arctius necto, donec pars media resecaretur.

Tum

Tum candenti ferro quod supereſt scindo, sanguinem supprimo, & mulierem ferme mortuam resumens molli cubiculo recreo: ac curiosa deinde observatione, idoneisque medicamentis rite procedens, divino tandē auxilio eam in pristinam sanitatem reduco. Tanta autē fuit precisæ carnis moles, ut pōdus sexaginta librarū excederet. Benivemus cap. 14.

DE PEDE INTEGRO.

OBSERVATIO LXVI.

Tripedes & quadrupedes homines nati quidam.

P. Africano & Lælio coss. Amiterni puer tribus pedibus, una manu natus. Iul. obsequens, de Prodig.

Appio Claudio, P. Metello. Coss. Amiterni puer tribus pedibus natus. Idem eodē libro.

P. Africano, C. Fulvio Coss. Puella quadrupes nata. Idem

Constantinopoli puer natus quadrupes. Lycost. lib. Prodig. Anno Domini 595.

Puer quadrupes natus, Mauritij Romanorum Regis tēpore. Lycosten. lib. Prodig. An. Dom. 601.

Plura hujuſmodi exempla require ſupra obſervatione qui brachijs tribus vel quatuor nati ſunt.

OBSERVATIO LXVII.

Sine pedibus natus.

IN villa Nebritz, non procul ab oppido Vuutzenſi ſito ad Moldam, natus eſt infans ſine pedibus. Lycoſth. de prodig. & oſtent. Anno Domini 1537.

In Piceno abſque manibus & pedibus natos Romana tradit hiſtoria. Peucerus Teratoſcopiæ pag. 442. facie averſa.

OBSERVATIO LXVIII.

Monſtrum ſuperna parte hominis effigie ad umbilicum uſq; inferna ſyrenũ caudam, pedum loco referens.

OCtavo die Februarij, ãno Domini 1541. in Caſtro divi Amandi Alliferi inſolo Borbonico, ex juvencula quadam mihi notiſſima natum eſt monſtrum hominis effigiem à capite ad umbilicum uſque referens, ab umbilico infra crurum pedumque ac digitorum pedis loco ſubſtituta erat cauda ſyrenum modo, pyramidali figura, in latum tamen pedis magnitudine deſinebat. Tinctum fuit, hoc monſtrum chriſtianorum lavacro

vacro, horamque à partu duntaxat vixit. Nicol. Roche⁹ de morb. mulierū Curand. cap.

OBSERVATIO LXIX.

Monstrum pedibus caprinis.

MIchaëlis Parpinacei Imperio, natum monstrum, quod pedes habuit caprinos, in media fronte oculum unum. Peucerus lib. 4. Chronici Carionis.

OBSERVATIO LXX.

Monstrum sine pedibus natum, quorum loco cuspidemut & circa femora prominentias habuit.

VVidensbachi, quod distat miliare unum à Schleusinga, monstrum natum ex muliere, imagine infantis, absque pedibus, quorum loco habuit cuspidem demissam, à femoribus etiam cuspides prominentes habuit. Autor Iobus Fincelius de miraculis.

OBSERVATIO LXXI.

De pedis tumore, quem Arabes Elephantiam appellant.

ADolescens quidam circa xx. annos natus, in sinistri pedis tumorem cum dolore incidit: quo crassiore facto, sura extenuabatur. Medici acchirurgi de affectus genere patum convenerant. Ita xviii.

menſibus lecto affixus decubuerat, cum ad nos curationis cauſa adduceretur. Remedia huic adhibita talia, qualia Auicenna ac Rhaſis Elephantiæ ab ipſis dictæ adhiberi ſuadent, atque ita intra paucos menſes ſanitate pedis reſtituta, quocũq; libuit, ambulare ac ire potuit. Dodonęus lib. obſ. cap. 51

Affectum hunc Arabes eorumque ſectatores Elephantiam nominant. Differens vero à Græcorum Elephantiaſi multum eſt. Nam Græcorũ Elephantiaſis cutis fœditas ac vitium eſt, cum nonullo figuræ vitio, nimia craſſities. Cauſa non aliquis quatuor humorum, ſed ex optimo ſanguine in idoneam ad corpus nutriendum ſubſtantiam humor jam converſus nondum tamen agglutinatus: quo ad pedem copioſius affluente, craſſior ac veluti tumidus redditur, ſuperioribus partibus magna exparte extenuatur alimento nempe deſtitutis. Guido de Cauliaco, Chirurgus ſua ætate celebris, cum & hunc affectum non ex aliquo 4. humorum gigni animadvertiſſet, additionem carnis eſſe exiſtimavit: Elephantia, inquit, eſt additio carnis inpedib. ultra menſurã: addit vero & intibijs; quod quidẽ cõtingere poſſe quis nega-

negaverit, copioso admodũ affluente, alimẽto ? Sed nobis partes superiores extenuari observatum. Atque hic quidem affectus, si ea ætate superveniat, quando auctricis facultatis potentia desinit, curationem recipere potest, si idonea adhibeatur: ad minus ut non augeatur crassities & tumor intendatur, arte effici potest: veluti in adolescente, de quo scripsimus. In juvenili corpore vigente adhuc facultate auctrice, si copiosior hujuscemodi alimentarius humor ad pedes deferatur, non crassiores, aut tumidos reddit, sed subinde quantitatem iuxta omnem dimensionem, forma haud quaquam vitiata auget.

Puella nondum nata annos xv. pedes majores habuit, quam procera ulla mulier, interim optime formatos, cruribus admodum extenuatis, adeo ut mole pedum gravata molestum ei fuerit progredi. In provecta ætate, hujuscemodi humor ad nutritionem destinatus copiosior, quam par est accedens, articulares & podagricos excitat dolores. Si vero & diutius influat, ordinem ac situm ossium subinde perturbat, compagibus ac unitate patrium dissoluris. Veluti annosæ cuidam fœminæ accidisse recordamur.

Hæc aliquanto tempore dolore pedis laboraverat; cum vero humores probi as-

sidue affluere non desinerent, nec in pedis alimentum converti possent, tandem cutis unitate articulisq; dissolutis, ossium tarsi ordo ac positus ita pturbatus est, ut forma figuraq; pedis vix ulla reliqua fuerit. Effluxit autem humor non sanioſus, non purulentus, non fœtidus, sed glutini & albido ovi fere similis, lentus ac viscidus, ad pedis videlicet alimoniam destinatus. Crus vero hujus supra pedē omnino extenuatum relictū est, veluti de quo scripsimus, adolescentis. Atque vel ex hoc exemplo satis constat, non unum ex quatuor humoribus esse Elephantiæ hujus causam, sed humorem probum ad alimentū partis destinatum. Idem in Scholio ad idem caput.

OBSERVATIO LXXII.

De Elephantia Avicennæ.

QVm ex cōducto sim⁹ medici apud Cœnobiū divi Augustini, ad nos binatim monachi concurrerunt. Sed unus Augustinus nomine, facie tumida, corpore procero, præpostere gradu plusquam testineo ad me pervenit. Qui cum affectiones suas inveteratas, ac diuturnas enarrare cœpisset, pedes fere elephanticos, hoc est, ad genu usque tumentes, ut saccos quis diceret plenos, nobis

indicat

indicat. Super quos cruſtæ eminebant quędam rubigine affectæ, quas interpellatis diębus, ex decocto emolliente, madefactas deponebat. Nam aliter pruritu, & ingenti vellicatione perdurare nequibat. Quos cum intuerer, & univerſum ejus corpus exacte perpenderem, hunc Elephantiam apud Avicennam & Arabas deſcriptam pati reprehendi. Sic enim Auicenna Fen vigeſima lib. tertij ſui Canonis, tractatu primo, elephātiā ſuam deſcribit, Elephantia eſt additio in pedibus ſecundum modum, qui accidit in venis varicum, quare incraſſat pedem cum æqualitate ſua & plerunque fit, propter melancholicum humorem, & aliquando ob phlegma craſſum. Rāſis præterea lib. 9 de morbis curandis ad Regem Almanſorem, capite nonageſimo tertio, nō aliter Elephātiam deſcribit, quam crurium cum varicibus intumeſcentiam, cum totius corporis habitu colore atro perfuſo. Qui affectus interea dum recens eſt, debitis applicitis remediis reſtitui, utcunque poterit, vel ſaltē, quod non invaleſcat, aut augeatur, intercipi. Cum vero penitus radices infixas habuerit, tunc curationem nunquam malum hoc admittit. Is enim Monachus, de quo ſermo agitur, malum hoc inveteratum cum totius corporis

quadam

quadam præternaturali obesitate ac prurigine patiebatur. Qui sudore resolutus, à cõsortio fratrum recessit, & ad patres suos migravit, non sine tamen cœnobij commodo. Dives nanque erat, & opulentus, omnia sua bona illi reliquens. Proximum hic erit citarem Petrum Simonem Anconitanum, qui præter varices, quas in utroque patitur crure, œdematosos tumores. in ipsis pedib⁹ habet. Quos pedum tumores, cum varicibus Arabes proculdubio Elephantiam appellant. At is cum optime per pharmaca purgatus esset, & ad opus manuale conscendere decreveramus, curationem renuit & incuratus mansit; veluti Caio Mario ex altero tantum crure curato evenit, vt citat Plinius lib. xi. cap. xLv. & ante eum Cicero libro Tusculanarum puæstionum. Ammat. Lusitanus Cent. 2. Curat. 34.

OBSERVATIO LXXIII.

Magna suræ ossis parte resecata, puella convaluit.

HYeronimi Corbinelli filia, octavum agens annum elephantico morbo affecta est, ita ut surę os vitiari cœperit. Summa enim cutis maculas, crebrosq; tumores habebat, & rubor paulatim in atrum elevari ac con-

converti cœperat, adeo ut facile judicares vitium in osse consurgere: præsertim quod & ingenti dolore afficeretur & nullum in carne puris signum appareret. Quare soluto ventre & sanguine cucurbitulis misso, detegere os decernimus: quo detecto, quicquid putrens ac carioſum inerat abscidimus, sicque magna ossis parte resecata, puella (q multis impossibile videbatur) tandem rite convaluit. Benivenius cap. 25. de Abdit.

OBSERVATIO LXXIV.

Claudus ex loco eminentiori cadens liberum recipit gressum.

Nicolaus Architectus, cum de eminenti turri præceps ruisset, tantum abfuit ut ex tam ingenti casu incommodum aliquot reportarit, ut cum antea altero claudicaret pede, recte deinceps ambulaverit. Quin & puerum vidimus, qui pestilenti morbo correptus curatusque, idem malum effugerit. Nam ubi prius utroque pede claudicaret, ut nisi duobus fulcitus baculis omnino incedere non posset, curatus libere, id est, sine aliquo adminiculo incedebat. Idem cap. 55. Abditorum.

OBSER-

OBSERVATIO LXXV.

Vtroque pede claudus sustentaculis ligneis rependo quasi corpus de loco ad locum promovit.

BAsileæ Rauracorum, magistratus nostri liberalitate victum habuit vir jam grandęvus, qui cum utroque pede claudus esset, atque erecto corpore inambulare nequiret, sustentaculis ligneis adjutus, repēdo ab uno loco in alium totum corpus traxit Lycosth. lib. Prodig. Anno Domini 1533.

DE FEMORE.

OBSERVATIO LXXVI.

De femoris fractura, articulo seu ossis capiti superiori propinqua.

COntingit nōnunquam ad coxæ articulū in ossis femoris cervice fractura, qualē ego in honesta matrona animadverti. Ad eam igitur vocatus, cum statim animadvertissem crus ægrum sano esse brevius, cum trochanteris externa prominentia supra ischion, quam primo aspectu ab ossis femoris capite esse rebar, luxationem, ac non fracturam subesse facile mihi persuasi: tum itaque exten-

extendi os, ejusq;, ut mihi videbatur, caput in suam cavitatem compuli. Augebat istam de luxatione persuasionem, utriusque cruris in magnitudine ad factam à me extensionem subsecuta paritas. Itaque reliqua feci quæ in luxationibus fieri solent. Postridie secundo invisi, graviter dolentem comperi, crus partis affectæ brevius, pedem intro contortum animadverti. Tum deligationes omnes resolvi atque prominentiam qualem antea cõspexi. Conatus itaque caput ossis rursum ut primo feceram compellere. Sed id dum conor ipsius strepitum subaudio simulq; cavitatem seu depressionem nullam in junctura subesse considero, ex quibus fractum esse os, non luxatum, certo mihi persuadeo: neque vero ejusmodi tantum fracturæ species opinionem facit luxationis, sed & epiphyseos, seu capitis hujus ossis è sua sede divulsio: quæ res minus cautis chirurgis aliquando imposuit, non epiphyseos è summo osse femoris divulsionem & separationem, sed luxationẽ subesse reputantibus. Tum igitur, ut ad institutam narrationẽ redeã, os complanatis ejus fragmẽtis restitui, ferulas appositis plagulis circumposui, fascia duobus capitibus prædita supra junctura, & circumcorpus discussando obvoluta,

voluta, deligationem feci, arcula pedem, ne quid integumentorũ ipsum premeret, munivi. Funem ex laqueari in medium cubile propendentẽ multis modis ad compræhensionis & subnixus oportunitatem intortum appendi, quod semper in femoris crurisque fracturis & luxationibus est faciendum, ut habeant ægri aliquod adminiculũ, ad quod manus adniti possint, quoties assurgere, & se aliquantulum è cubili erigere volunt, seu ad alvum exonerãdum, seu ut lumbis, natibus, coccygi, alijsque partibus longo decubitu cõpressis & lassatis, perspirationem & quasi flabellationem præbeant: cujus defectu dolore & calore præter naturam corripiuntur: unde ulcera quæ sæpe tanto ardoris & doloris cruciatu ægrum divexant, vt subborta febre, vigilijs & inquietudine cõficiantur. Hæc excitandi e lecto corporis opportunitas, tãto magis hic necessaria est, quanto fractura iuncturæ proprior est: illic enim quam in medio femore periculosior est, adeoque curatu & sanatu difficillior est, quia pars est exanguis, & propter nervorum, tendinum, atque ligamentorum multitudinem multis malignis symtomatibus obnoxia. Cæterum in hac fracturæ specie diligenter chirurgo cavẽdum est, & sæpius intuenduu, ne os re-

stitu-

stitutum mox excidat: quod hic facile fit, levi aliqua corporis commotione, & simili occasione, quia os femoris unicum est. Itaq; quoties delegationes resolventur, & fractura curabitur, intuēdū acute in ossis figurā, & partis ægrę, facta cum sana collatione, magnitudinē: nā restituta & cōposita fracti ossis fragmēta denuo excidere vix possūt quin aliud super aliud efferatur. Sed & antequam callus fiat, sic extendenda & suo statui reddēda pars est, ut ne in vitam reliquam æger claudicare cogatur. Proditum enim ab Avicenna legimus, vix cuiquam tam feliciter succedere fracti femoris curationem, ut clauditatem effugiat, itaque ægro id etiam curandum est ut se, corpusve suum quam minimum commoveat. Veterum permulti consolidationis hujus ossis temp° quinquaginta dierum numero definiverunt: Sed istius, ut ante diximus, rei nullus certus terminus esse potest. Cęterum quantocunq; tempore os hoc firmavit callus, non tamē ipsi inniti vel ingredi æger statim à consolidatione poterit: quia parti etiam diu post superstes remanet imbecillitas: ut interim cogātur ęgri fulcimentis subalaribus ad incedendum uti. Pareus operum suorum lib. 14. cap. 21. de Fracturis.

OBSERVATIO. LXXVII.

Ex tumore, in femore, post puerperium ob-orto, extractus lapis ovi gallinacei magnitudine.

VXori Franciſci Fantini, poſt puerperiũ excrevit tumor in femore ſatis notabilis, qui quum quotidie major evaderet, poſt varia appoſita medicamenta topica diſſectus eſt tumor, extractusque lapis albus, magnitudine ovo gallinaceo proximus, cujus rei teſtem adducimus excellentiſſ. Franciſcum Valerium Mantuanum, qui curæ non ſolum interfuit, ſed præfuit. Marcell. Donat. Hiſt. Mirab. lib. 4. cap. 30.

OBSERVATIO LXXVIII.

Ex vulnere femoris claudicans eadem parte denuo vulneratus reſtitutus eſt.

PEtrus Meſſias parte 3. variæ lect. cap. 15. ſe quendam vidiſſe teſtatur, qui cum in femore vulnus ſuſcepiſſet, ſanatus claudicabat: at poſtmodum alia in rixa eadem in parte ſauciatus & ſanatus, rectus in poſterum inceſſit. Idem eodem lib. cap. 5.

OBSER-

OBSERVATIO LXXIX.

Historia femoris luxati & male restituti, unde perpetua claudicatio inducta: quam jam à multis annis occallescentem corrigere volens Chirurgus, ægrum infami temeritate necavit.

VIdi senem Lxx. annorum: cujus ancha fracta fuit: & restaurata secundum tortuositatem restauratione firma. postquam ergo vidi eum: præcepi ei ut embrocaret cum aqua calida: & poneret super ipsam quod leniret eã: ut alleviaretur grossities & durities quæ erat in loco fracturæ. fecit ergo illud: & ambulavit super pedes suos ambulatione debili secundum claudicationem. & iste quidem senex fuit multi census: quare non placuit sibi ambulatio eius. vocavit ergo unum restauratorem: & interrogavit eum si esset ei evasio à claudicatione. estimavit ergo ille restaurator quod rectificaret eum postquam frangeretur ancha ejus denuo: deinde restauret eam. & convenit cum eo super L. aureos. postea senex misit ad me ut faceret scire me illud quod fuerat inter ipsum & restauratorem. Dixi

ergo ei: tu es vir multi census: & nō remanet ex vita tua in quo expendas censum tuum : & non est tibi necessarium ut fias cursor & ambules via longinqua : sis ergo contentus in claudicatione tua : & non decipiat te sermo hujus restauratoris : & recessi ab eo. & venit post me restaurator & strinxit in ancha ejus funes constrictorio forti: & strinxit eum , & contusa fuit ejus coxa. fuit ergo illud causa mortis suæ festinę antequam compleretur pars operis restauratoris. Hali Rodoham, Comment. ad text. 153. Lib. 3. Tech. Galeni.

OBSERVATIO LXXX.

Femori & tibiæ processus palmi longitudine agnati.

IN femore processus quosdam ad palmi longitudinem, acutosque: itidem in tibia, sed non tam proceros, vidi. Columbus lib. 15. Anatom.

OBSERVAT. LXXXI.

Ex intempestivo refrigerantium & astringentium in Erysipelate usu, scirrhus in femore obortus & curatus.

Cer-

CErcyllij puerum curavi, qui ob erysipelas nimis astrictum & refrigeratum, scirrhosum tumorem toto femore habebat. Videbantur autem tenuium partium remedia ad curationem ejus requiri, ideoque oleo femur fovebam, puello in labrum collocato, quod olei Sabini plenum erat, cujus præ cunctis tenuissimas esse partes scio. Balneis vero uti non permittebam, nisi plurium dierum intervallo, idque curandi gratia totius corporis. Post prędictam olei irrigationem, ex medullis & adipum genere, ut dictū est, applicabam remedia mixtis quandoque Scythico bdellio, & Ægyptia mastiche, & Ammoniaca lachrima, nempe pingui, & nō vetusta, itidemque galbano. Ita ex his apparato pharmaco & Ammoniaco pinguissimo aceto valde acri dissoluto, totum undiq; femur inunxi. Deinde rursum post aliquot dies pinguissimum opopanacē aceto solutum acerrimo adjeci. Erat autem recens: alias enim non manet pinguis, ut neque bdellium, neq; Ammoniacum, neque galbanum. Ad hæc super altero crure salire puerum jubebam, ut ad ipsum major alimenti pars ferretur. Postea vero cum durus ille tumor jam repressus erat, metuens ne quæ supersent reliquiç, diversa ratione sum usus, inun-

cto femore pharmacis è pice cõpositis. Cæterum evidenter illito aceto scirrhus minuebatur: usu vero laxantium mollior, non minor, fiebat: sed moderatus ipsorum & alternus usus puerum curavit. Quod si quis alterutro tantum pharmacorum genere eum suscepisset, scirrhum sane nunquam solvisset. Galenus lib. 2. artis curativæ ad Glauconem.

OBSERVATIO LXXXII.

Femur tibia & mola connata, eademque in ingentem tumorem producta.

VIdi femur cum tibia molaque uniri: femur, tibiã in incredibilem tumorem excrevisse. Columbus lib. 15. Anatom.

DE GENVBVS.

OBSERVATIO LXXXIII.

Struma ingentis ponderis in genu oborta.

STruma ingentis ponderis, Ambergæ, superioris Palatinat^{us} metropoli, circa genu Michaelis aurifabri (qui cum auro argentea supellectilem obduceret, nõ semel hydrargyri vapore fuerat læsus) concreverat: sed is mortem potius, quã cum cauterijs & sectione curam ferre maluit. Ioan. Langius Tom. 1. Epist. 43.

OBSERVATIO LXXXIV.

Calculus in abſceſſu aquoſo in genu invẽt⁹.

ANno Domini 1558. Ioanni Bourlierio, ſutori veſtium in ſancti honorati vico, aquoſum in genu abſceſſum aperui, in quo calculum reperi album, durum, & levem, amygdalæ craſſitiei, quo extracto convaluit. Nulla certe corporis pars eſt in qua calculi non facile cõcreſcant. Pareus lib. 24. cap. 19. de Monſtris & Prodigijs.

OBSERVATIO LXXXXV.

Duo poplitem flectentes tendines ex vulnere reciſsi citra claudicationis noxam, convaleſcente ægro.

STephanus Tẽſſierus, Chirurgus Aurelianenſis, narravit mihi non ita pridem curaſſe ſe Carolum Veriguellum apparitorem Aurelianenſem ex vulnere in poplite accepto, quo duo tendines poplitem flectentes penitus reſciſſi erant. Curationis vero hanc rationẽ iniviſſe, juſſiſſe ſcilicet ęgrum ut crus flecteret, tum reſciſſorum tendinũ extrema extremis oppoſitis aſſuiſſe, inde membrũ eo ſitu collocaſſe, & ea arte tractaſſe, ut vulnus tandẽ ad cicatricẽ perduxerit, ægro nullatenus claudicante. Facinus profecto memorabile, & tyroni chirurgo caute imitandum. Idem jam citato loco.

OBSERVATIO LXXXVI.

Acus mulieris cujusdam genu insçie & per imprudentiam infixa graviſsima ſymtomata intulit.

MVlier juvenis, cum multum ſe domi exercuerat pro domeſticis obeũdis muneribus; ecce die ſequenti, cum ex cubili ſurgeret, ita acriter, & ſæve circa genu doluit, ut ſe emortuam alta mente clamaret. Ad quam accitus medicus, locum dolentem advertit, tangit & conſiderat, ſed nihil notatu dignum invenit, præduriuſculi tamen neſcio quid particulam præ ſe ferre ajebat. Qua de re, contra dolorem anodynis remedijs ſuprapoſitis, invadit, & ſanguinem ex iecoraria brachij male affectum locum reſpicientis abunde extraxit, tandem poſt triduum hujus agonis & infortunij, non ſine ipſius ægrotantis & omnium aſſiſtentium ingenti admiratione, acus cujuſdam intus latitantis ſupremus apex apparere cœpit, quam tunc Chirurgus integram extraxit, merito namque hujus rei omnes admirabantur aſſiſtentes, ut quæ acum totam infigi nõ præſentierat ægrotans, forte ſomno pre-

no profundiore detenta, demum extracta acu, quæ directe & profunde sævierat, medicus convulsionẽ timens, de loco aperiendo dilatandove conten debat. Cæterum hæc etsi renuit, remedijs tamen adjuta sanata est, præcipue hoc uno constante euphorbio, resina, & pice. Sed quis precor, latitantem acum eo in loco diceret, præsertim cum puella eam præfigi, profundiori somno oppressa, non persentierat. Haud dubie morborum causæ sæpe abditę & difficiles sunt & habentur. Lusitanus. curat. 58. Centur. 7.

OBSERVATIO LXXXVII.

Vtraque mola seu patellæ genuum perfractæ, ut ad usum restituta.

SEcretarius Marchionis Badẽsis binis, sed alternis casibus molẽ vel patellã utriusq; pedis genu perfregit ac si cultro per medium dissecasses: meo consilio cervinis corijs ligatus promte incedere potuit. Ita fortunæ etiam fortissima ossa non resistunt. D. D. Esaias Meuchsnerus de obs. prop.

OBSERVATIO LXXXVIII.

Difficultas motus cruris ex suppuratione orta in altera nate.

Vidi-

VIdimus quēdam, cui magna oborta ſuppuratione in altera nate, iuxta cruris initium, nervi ejuſdem cruris per inciſionem nudati ſunt, ſed ea parte ſanata toti membro movendi difficultas accidit. Itaque conjicēs durum quidpiam à prioti inflammatione in nervo derelictū, quod hujuſmodi diſpoſitionem induceret, affecto loco idoneum medicamen adhibendo hominem perfecte ſanavi. Quod autem de partibus faciei dictum eſt, id dereliquis quoque omnibus eſt intelligendum. Quippe unica duntaxat pereunte actione, ſolum muſculum, qui ipſam efficere ſolet, aut nervum ipſius affectum eſſe putandum eſt. At ubi plures actiones vitiatæ ſunt, non eodem in loco, accidit interdum omnes ejus muſculos à communi aliqua cauſa lædi. Fieri etiam poteſt ut nerv' aliquis qui muſculis ipſis communis eſt afficiatur. Galenus lib. 5. de loc. affect.

OBSERVATIO LXXXIX.

Malignæ vel inveteratæ ſcabiei in cruribus curatio.

RRegina Guthin 23. annos nata, cum Baſileæ, ante annos circiter viginti gravi ul-

vi ulcerosaque scabie per multos menses in tibijs & pedibus cruciaretur, cum tumore rubro, nec ullo remedio à chirurgis (quibus jam læprosa videbatur) sanari potuisset, à me divina gratia unico & solo oleo ex malis aureis (quæ Itali pomi d'amor appellant) per elixationem parato, quatuor septimanis integre sanitati restituta fuit. D. D. Ioannes Iacobus VVeckerus de observat. proprijs.

OBSERVATIO XC.

Antiquatum ulcus cruris cum alijs symtomatis.

CVm in urbe esset Branda Scotus, frater Octaviani illius amici nostri & ipse mihi familiaris, deduxit me in viam Sozze numeratæ. ubi ingressus ad mulierem natã circiter annos 30. quæ jam 13. (ut ipsa referebat) annis super cathedra sedebat, quoniam ulc' in crure sinistro patiebatur, quod etiã tabefactũ erat, atq; debile adeo, ut nullo modo sustinere posset. Eratq; in ea tabes alia quædam totius corporis, & dolores per circuitus eam vexabant, vocabatur Martha Motta quæ etiam nunc vivit: cum jam exacti sint anni plusquam 20. habitatq; extra portam orien-

orientalem, nunc marito conjuncta. Eam curare aggressus, biennij spacio sanavi: atq; in posterum ambulavit, nuncque crus elongatum est, non tamen adeo ut non claudicet aliquantulum, peperitque filium, quamvis parum supervixerit. Dices, quomodo laborabat qaudruplici morbo: corruptione, & retentione mensium, febre inordinata, qua etiam corpus siccabatur, contractione nervorum, & ulcere. Menses prolicere tam inveterato affectu non potui: sanguinem fumaria & lupo salictario, in aqua lactis, victuque humidiore meliorem effeci: ulcus ob id sponte sanatum est, nervum extendi in unctione pingvedinis asini, & fotu vinacearum. Sensim curavi reparare, quod longo temporis cursu corruptum fuit, aut vitiatú, aut tabefactum, Hier. Cardanus Curat. admirand. 2.

OBSERVATIO XCI.

Admirandũ verrucosum in crure ulcus.

MIrandum sane ulcus verrucosum in Carolo Selario, urbis nostræ cive, observavimus. Hic cum per multos annos ulcus in crure passus fuisset, quod multoties sanatum, rursus reversum est, demum cum ad gangrenam devenisset, à chirurgo rite tractatum

ctatũ, firmataque fluxione, dum carnis generationi, ut impleretur ulcus, ſtuderet, verrucæ plures in carne ſupercreſcere interiore cœperunt, adeoque multiplicatæ ſunt, ut univerſum ulcus ita opplerint, ut cicatricem obductam putarent ignari. Harum exſtirpationi dum ſtudet chirurgus, nullo (quamvis validiſſima applicata fuerint) cauſtico medicamẽto id aſſequi potuit, unde ignitis ferramentis ferè centies inuſto ulcere vix eas evellere potuerit, in uſta parte eſcara ablata, digeſto ulcere, oſſe optime abraſo, non ſolum in labijs ulceris, ſed & ab oſſe caro verrucis undique ſcatens pullulare cœpit: multoties corpus expurgatum, guaiaci decoctũ ac ſarſæ parillæ exhibitum, ratio victus exactiſſima præſcripta, nec tamen unquam aſſequi potuit ut ab ulcere adimerẽtur verrucæ, donec ſuperveniente febre valida, poſt annum & dimidium elapſum, vitã cum morte commutavit. Marcellus Donatus Hiſt. Mirab. lib. 3. cap. 5.

OBSERVATIO XCII.

De villico qui poſtridie phlebotemiæ onus geſtavit, & paulo poſt maculæ rubicundæ cum livore in cruribus eruperunt.

Ante

ANte annos aliquot acceſſit me quidam ruſticus, qui jam aliquādiu haud ita bene valebat, nec tamen de aliquo manifeſto morbo cōquerereretur, is ſine Medici alicujus conſilio ſanguinem ex venis utriuſque manus, qnę ad minimum digitum ſunt, uti apud nos ruſtici ſolent, ſanguinem miſit. Sequente ſtatim poſt ſanguinis miſſionem die onus humeris ſublatum ſatis ponderoſum aliquot paſſus geſtavit, idque ſine ulla evidēti noxa. Sequentibus vero diebus ſymptoma non tam moleſtum, quam inopinatum & indecorum ſupervenit: fœdus nempe extremarum corporis partium color. Apparebant à lumbis per femora & tibias ad pedis calcaneū uſque creberrimę maculę rubicundę, cum livore tali, qualis apparere ſolet poſt ſanguinem miſſum, quum refrigeratus eſt, & quaſi demortuus, magnæ & parvæ: nempe, cum pedibus inniteretur ac erectus ſtaret, ſubito undiquaque ſeſe oſtendebant, erūpebant, multiplicabantur, & intendebatur eorum color magis magiſque ad ruborem, cum quadam quaſi nigredine. Quādo vero in lecto ſcamnove decumberet, pręſertim ſi crura paulo reliquo corpore altiora teneret, vel omnes ejuſmodi maculę evaneſcebant prorſus, vel perpaucę perdura-

durabant. Ita ut prædictarũ rubicundarum cum livore macularum materiam fluere & refluere manifeste animadverteres. D. D. Casp. VVolpius de obs. prop.

OBSERVATIO XCIII.

Erysipelate in dextro crure laborãtis, historia: qua errores medicorum in curando detecti, & vera medendi ratio tradita.

OStendam exemplo quod nuper mihi contigit quantum aberrent quidam dum in hujusmodi curationis genere versãtur, & quod maxime mirum est, quomodo sub optima medendi specie ægri pericliten-tur. Laborat Vincentius Balzanus, vir haud plebeiæ sortis, erysipelate in crure dextro, cum dolore & febre, à diuturno morbo convalescens, curatus more isto vulgari quem appellãt honestiore nomine practicã veriore empiricẽ: iubeo è talo sinistro sanguinẽ mitti tonsor alijs medicis assuetus, qui non curant qua ex parte, ne dũ qua ex vena sanguis mittatur, postquam bis pertusa vena pedis sanguinẽ educere non potuit, iecoriã dextri brachij secuit. Adveniẽs ergo vesperi, leviter dãnavi factum, ne terrerẽ ægrũ adhuc febre non levi laborantem, sed ad L. Noni-

Noniũ Faventinum juvenẽ medicum conversus dixi, uno errore multa damna attulisse, non eduxit peccantis materię quicquam, non avertit à jecore, sed ad illud attraxit: & bonum fudit atque inculpatum sanguinem. Curavi ergo ut non leviter crus sinistrum totum deorsum trahendo fricaretur: emplastrum acopum & frigefaciens tepidum parti patienti adhibui: carnes, vinum, ovaque inhibui, exactis duobus diebus, cum res satis ex voto cederent, (nam inæqualitas pulsus, quæ secũda à sectione venæ die apparuerat, cessavit) dolor est imminutus, crus ipsum cum sura intumuit satis, sed molle & rubrũ absque vehementi calore: dixi hic vides Noni, & quam pernitiose peccent medici, & quam facile sit perdere hominem per ignorantiam: & quomodo nihil tam probetur à populo in arte quam quod pessime fit: tum ille arrexit aures dixitque quomodo? Quoniam (dixi ego) si quis medicamentum validum nunc exhibeat, videatur sanasse ęgrum & tamen perimet, aut in maximum saltem discrimen adducet: namque eo exhibito strenuum aliquid facere videbitur, & maxime cum purgaverit egregie, & materiam revocavit à loco, unde dolor & rubor cessabit: materia enim in venis dum fuerit dolo-

rem

tem non excitat, cum venæ ſenſus ſint expertes, ceſſante dolore, totum quicquid eſt ephemeræ ceſſabit, febriſque ob id alleviata adeo videbitur ut vix quiſquam febrire illum percipiat. An non ergo ſibi ipſi & aſtantibus longe melius ſe habere ex hoc pharmaco videbitur? tum Nonius imo plane ſanatus multis qui non intelligunt. Sed unde diſcrimen illud vitæ tam magnum? cui ego imo non diſcrimen ſed jactura certa: namque materia quæ eryſipelas facit, cum non amplius crus patiatur, ſi non educta eſt pharmaco, in corpore adhuc erit: ſecus fieri nõ poteſt, inquit ille, at eductam eſſe vel minimam quidam ejus oſtendam plane eſſe impoſſibile: primum tam multa ut pluribus indigeret evacuationibus, & tam procul ut quaſi totum corpus permeare cogeretur, & maxime in tam brevi tempore: poſt adeo cruda & minime naturæ ægrotãtis ſubjecta: Demum fac ut nihil horum adſit quomodo ex gibba jecoris tam craſſa cum ſit permeabit in cauam, ubi venæ tam anguſtæ ſunt, ut dubium ſit an penetrent & invicem conveniant: adeo ut cum hæc omnia in hoc ægro adſint, dubium non ſit ne guttam quidem evacuari. Sed unde tanta tamen, inquit ille, materia in purgationibus ejuſmodi

prodit,& ũde alleviatio illa adeo manifesta? dixit Nonius. Evacuantur materiæ crudæ, quæ in mesaræo undique sunt,& colliquantur sana, ut inquit Hipp. At alleviatio illa erysipelatis in crure fit, tota materia per consequentiam attractionis revocata ex venis magnis ad parvas, ita ut relicto mẽbro jam læso, & nondum traducta ad jecur, quod tempus quatuor vix dies implere potest,ubi adsit febris: ubi latuerit per multos. Per totum igitur id tempus quasi quiescit morbus,& ęger melius se habere videtur. Relinquuntur tamen urinæ crudæ,sitis,vigilia, & appetitus non integer,quædam molestia, & pulsus, si quis eum recte tangere norit, inæqualis. Deinde superveniente febre, medici causantur ægrum edisse pomum aut iratum esse, aut surrexisse nimis tempestive. Video,inquit Nonius,statum ægri, sed quomodo tanto sit in discrimine non intelligo, cui ego ostendam: revocata ea materia ad jecur, ibi excipitur multa cruda facta maligna exitu illo ad cutim ne potens permeare venulas illas capillares jecoris,& retenta, ibi totum corrumpit sanguinem, coctionem & nutritionem impedit, inflammat jecur, febrem accendit, persæpe etiam phleg-

phlegmonem in ipso jecore excitat: aut resoluta parte tenuiore scirrhum in eo facit, aut etiam putrefacit illius substantiam. Hi sunt fines illius glorioſæ alleviationis ex quibus plerique intereunt: aliqui quorum materia tenuior & paucior, venæ latiores, ætas florida, plurimum conflictati, tandem evadunt, exhausti omnibus bonis, animæ, corporis & fortunæ. Atque hic modus non mortis unius, sed infinitorum, cum omnes qui phlegmone in aliqua parte viscerum laborant, qui totidem ferme sunt, quot qui febrem habent continuam, acutam, aut si diuturna sit cum tumore duro, aut molli eidem periculo atque alia subijciantur. Cardanus Consil. ad Illustriss. Alciatum Cardinal. excusum, cum comment. authoris ad Hipp. de aëre, aquis & locis.

OBSERVATIO XCIV.

Cruris fistula cum ossis corruptione crurata.

Dicam hoc loco insigne exemplum, quod volo tibi propositum esse, ut in curandis fistulis respicias ad illud; fuit vir juvenis ætate circiter triginta annos,

cui accidit dolor in crure à causa quæ incœpit & mota est intra corpus donec pervenerunt materiæ ad crus & apostematum est a apostemate magno & nón fuit ei causa extrinseca. Extensum est ergo cum eo tempus cum errore medicorum, donec apertũ est apostema & effluxerunt ex eo materiæ multæ, & dilata est curatio ejus donec fistulatũ est crus, & facta sunt in eo orificia multa, quæ omnia emittebant pus & humiditates corporis. Curavit ergo ipsum multitudo medicorum, & nullus potuit: tandem & ego vocatus sum, vidi igitur crus ejus & materias quæ effluebant ex iis orificijs copia magna, & corpus jam tabuerat, & color ejus citrinus erat. Intromisi ergo tentam in unum illorum orificiorum, & pervenit tenta ad os alterius orificij, deinde perscrutatus sum orificia omnia, & inveni ea convenire ad se invicem ex omnibus partibus cruris, probavi ergo & secui unum illorũ orificiorum donec detexi partem ossis, & inveni ipsum corruptum, quod jam corrosum erat, & denigratum, & putruerat, & perforatum erat, penetravitque putredo usque ad medullam, servavi ergo quod derectum erat ex osse corrupto, & ego putavi quod nó essent in osse nisi illa corruptio quam abscidi & abrasi

rasi,& credebam me eradicasse omnem corruptionem,deinde deposui restaurationem vulneris cum medicinis consolidativis,& est consolidatum vulnus.

Postea iteravi & detexi os secundo super detectionem primam, & inveni corruptionem continuam cum osse, & serravi quod apparuit mihi etiam ex illa corruptione,deinde conatus sum restaurationem ejus & non est restauratum, detexi ergo ipsum iterum, & non cessavi incidere os particulatim, & moliri restaurationem ejus, & non est restauratum, donec incidi ex osse circiter palmum vnum,& extraxi illud cum medulla sua,deinde restauravi ipsum medicinis & consolidatum est celeriter, & sanatum. Et nō fuit necessaria hæc iteratio curationis & sectionis,nisi propter debilitatē & dispositionē infirmi & infirmiores vires ejº, nam videbam esse periculū, ne moreretur antequā curaretur vulnus,quoniam accidebat ei in omnibº horis ex superfluitate evacuationis syncopis mala. Sanatº est ergo sanatione integra,& nata est in loco ossis caro dura, & bona facta est dispositio ejus in corpore hominis.& redijt virtº ejus,& conversatº est in dispositionibº suis, & nō fecit ei cōtrarietatē in ambulatione, neq; nocumentū omnino. Albu cases chirurg. lib. 2. cap. 86.

OBSERVATIO XCV.

Vomica in tibia oborta, mortua mulier.

MVlieri cuidam natæ annos 28. tibia posterior vehementer intumuit, ut inde dolor gravis, præcipue noctu, excitaretur, & tendines crurum extensi nimium membrũ incurvarent. Initium morbi quatuor ante annis. In uteri gestatione puerperio minuebatur. Mansit tamen reliquum quid, & tertio conceptu plurimum intumuit. Minuebatur resolventibus malacticis: parit. Apertus tumor cauterio frigido. Nihil exiit præterquam cruenta sanies. Caro emortua, inania quædam loca, nullus ea parte sensus. Cataplasma è farina hordeacea & oxymelite, quæque putredinem arcent, admota. Expuit sanguinem: commota alvus multa dejecit mala, biduo priusquam moreretur pulsus vehemens fuit & frequens, neq; tamen respondebat febrilis calor. Decimo die postquam aperta vomica est exspiravit. Præsagio jam ante facto liberati calũnia medici & chirurgi. Hollerius Observat. 9. libri proprij.

OBSERVATIO XCVI.

Morum castaneæ magnitudine cuidam in talo tibiæ enatum.

ANno ab hinc tertio, grandioris castaneę magnitudine morum vidimus in talo exteriori dextrę tibiæ natum excellentissimi Iurisconsulti non minus quam integerrimi justissimique Regij consiliarij, Ioannis Andreæ à Cutris: quod quidē rotundum erat, angustum vero circa cutim: ut pediculus quidam cuti affixus appareret, ficusque potius, quā mori figuram repræsentaret. Quod demum imperiti cujusdam empirici medicamentis irritatum, incisione juxta cutim à docto chirurgo, nostroque jam consilio admonito, facta, ad sanitatē facillime reductū est. Ingrassias de tumoribus præter nat. pag. 264.

OBSERVATIO XCVII.

Calculus in steatomate cruris ovi magnitudine repertus.

IN Electoris Saxoniæ Principatu, nobilis quidam, patria Marchita, nomine Ioachimus Kobel, præfecturæ Schuenicensis præses, militiæ peritus, cui in sinistro crure steatoma enatum, ultra annum duravit, gallinacei ovi magnitudine: quod cum ei nihil impedimenti inter ambulandum afferret, nec doleret etiam, incidi voluit, sed ita reliquit. Sed cum aliquando in equestri

ſtri certamine ex incuria id graviter offendiſſet, ut immodice intumeſceret, & inflãmaretur, dolores acciderunt acerbiſſimi, donec tandem cõcepta ſanie apertus tumor fuit, in quo lapis avellanæ magnitudine apparuit, anguloſus, rotundus tamen, & ſpadiceus: quo exemto una cum pellicula qua continebatur humor ſanieſque, tumor ſubſedit, & vulnus perfecte concrevit. Ioan. Kentmannus libello de Calculis.

OBSERVATIO XCVIII.

Malignæ febris materia ad crus delata, ſideration em eiuſdem intulit.

ACcidit nonnunquam materiam aliquam venenoſam ad membrũ aliquod deferri, quod tu quoque Anno M. D. LII. cum multis alijs medicinę candidatis obſervaſti, in juvene illo, quem apud divum Petronium veterem inviſimus, qui febre mala & venenoſa correptus, tandem materia illa ad dextrum crus delata, crus univerſum ſua malitia interfecit, & ad ſyderationem deduxit, nullo (quod admiratione dignum) apparente vel tumore, vel rubore, nulloque dolore percepto: Sed ſolum quædam frigiditas ab ægro percipiebatur, quæ tandem digito-

digitorum pellem reddidit lividam, in eaque quasdam excitavit vesicas, & in summa totũ crus interfecit, ex quo nos deinde crus ipsũ universum excidere (ut vidisti) coacti fuimꝰ. Barthol. Maggius de Vuln. Sclop. curat.

OBSERVATIO XCIX.

Ex vulnere cruris mortuus.

VIdi in Cremonia quendam, qui vocabatur Gabriel de Pirolo, qui vulneratus fuit in crure, super focille minus, & perforavit sagitta usque ad superficiem ossis, & non læsit os: & fuit sagitta arcus ut dicebatur, & cum omnibus instrumentis medicus nõ potuit defendere, quin superveniret rigor, & febris: & mortuus fuit infra mensem suæ infirmitatis. Guliel. Placentinus Pract. cap. 5.

OBSERVATIO C.

Fibula perfracta, & ex crure in totum subtracta, æger ita convaluit, ut postmodum sine scipione incedere valuerit.

Iuveni cuidam ex casu fibula perfracta est, quæ ex toto è pede sublata est, is sanatus, nihilominus absque baculo vel sustentaculo ingreditur, in Xenodochio Caluvænuper in pfora à me curatus est. D. D. Esaias Meichsnerus de observat. prop.

OBSERVATIO CI.

Dormiens & ex sella procidens, utrasq; tibias perfregit.

PHarmacopœus quidam dormiens in sella, ex ea decidens sibi ambas ex suo onere in totum & circa medium perfregit tibias: ita sibi quisque onus est, vel aliquando lupus. Idem de suis observat.

OBSERVATIO CII.

Venæ in cruribus & abdomine prægrandes & distentæ visæ.

VEnas in abdomine & cruribus varicosas maximę molis vidi. Columbus de re Anat. lib. 15.

OBSERVAT. CIII.

In utroq; crure velut à subjectis spinis punctiones sentiens mulier quædam.

REtulit mihi aliquando IOANNES MALNOEVS Andegavensis Chirurgus longe doctissimus, visam à se mulierem, quæ in utroq; crure dolorificam valde punctionem sentiret, velut à subjectis cuti spinis vel acubus, si vel minimum tangeretur. Nullus tamen inerat tumor, nulla caloris nativi mutatio.

tio. An Spina maxime proprie affectus is dicendus fuit, ut ego judicavi. Iubertus Annotat in Tractat. de Anat. Guid. de Cauliaco. 4444.

DE PEDE.

OBSERVATIO CIV.

Sine pedibus nati.

NAtos infantes vidimus, defectu membrorum mutilos, pedibus carentes. Iacob Rueff. lib. 5. de Concept. & Generat. hominis.

OBSERVATIO CV.

Ex tumore dextri pedis steatoma trium librarum cum floccis, pilis atq; unguibus carinis extractum.

ANno, 1534. Thobiæ Sutori, Mollaco, in inferiori Holsatia habitāti, tumor magnus absque ulla externa causa in dextri pedis musculis summo cum dolore subnatus est. Qui nullis medicamentis, quamvis laudatis, cessit. Hic cum omnes vias sanitatis sibi interceptas videret, ad apertionem cōfugit, sperās sese eo modo doloris magnitudinem superare posse. Aperto itaq; tumore coram me & amicis præsentibus extracta est à Chirurgo materia quædam, pinguedinis in-

dinis instar, ponderis trium librarum, in cujus medio flocci cum capillis atque ungulis caninis repertæ sunt. De D.D. Valentini Henneri Observationibus proprijs.

OBSERVATIO CVI.

Distortipedis Historia.

NOvit universa Civitas nostra, præteritis annis Aromatarium ad insigne trium clavorum omnes filios generasse contortis pedibus ad partes internas crurium, ita ut pedum digiti invicem opponerentur. Marcellus Donat. Hist. Mirab. lib. 4. cap. 20.

Haganoensi Reipub. medicinam cum facerem, à Generoso Domino Henrico Barone in Fleckenstein, Provinciæ Haganoensis, ad Palatinatum tum temporis spectantis, Præside, Beinheimium usque, oppidulum ad Rhenum situm, familiæ huic proprium, vocatus sum. Quo cum veniissem, & in arcem receptus, atq; ad Gynæceum deductus fuissem à Reingrafia Comitissa, Domini Baronis fratria, virgo filia, ejusdem Baronis ex fratre neptis, annorum circiter viginti, subpallida, tenella admodum, imbecillisq; corporis constitutionis, adducitur. Exprimitur Consilium de corrigendo distorto pede sinistro, introrsum nonnihil spectante, & ob luxa-

luxationem, in minore ætate, vitiose curatã, unde claudicatio illa profecta per Kirlochẽses vicinos & celebres ejus tractus Evombolos Chirurgos restituendo. Addebatur certam claudicationis hujus emendationem eosdem pollicitos fuisse, si modo periti medici ad tollendam, si quæ subesset, cacochymiam pharmacia potionaretur: sic enim feliciorem futuram restaurationem. Quo audito & pede diligentius inspecto contrectatoq;, deprehendi calcis taliq; ossa usq; adeo distorta & per callos obfirmata jam jam indurnisse, ut nõ nisi summo cum periculo divelli denuo & restitui posse certum haberẽ. Collatis proinde virginis nobilissimæ imbecillis viribus cum callosorum articulorum avellendorum restituendorumq; carnificina, puellam omnino de vita periclitaturam intrepide & libere pronunciavi. Argumento, quod Chirurgos illos, quantumvis ex vulgi opinione celebres, indoctos tamen, recta methodo vel recens luxata restituendi destitutos, perspectissimum haberem: tantum aberat, ut eosdem callosa jam facta, non sine ingenti dolore summaq; virium prostratione, difficiliumq; symtomatum accessione, refringere atq; restituere posse confiderem. Etenim quam violenta & execrabili tortura, nul-

ra, nullis prorſus convenientibus inſtrumẽtis & machinis aut arte inſtructos, callos de novo perfringere, articulos mẽbranasq; diſtẽdere, nervos, venas, arterias, muſculorũq; fibras, aponeuroſes dilaniare, & abrũpere oporteat, non niſi artis periti facile dijudicare poſſunt. Vnde cõcitato humorũ affluvio, atq; inde etiã dolorum vi ſuſcitatis inflãmationibus, febres, deliria, paralyſes, cõvulſiones, & nonnunquã mortem ipſam conſequi neceſſe eſt. Sed & nonnullos inter carnificũ & tortorum hujuſmodi manus exſpiraſſe in exemplis eſt. At fideli iſthoc & ſano conſilio meo nihil commotus Baro, vir alias prudentiæ & ſapientiæ ſingularis, ſed ampulloſæ temerariaq; Evombolorum ſuorũ perſuaſione iuductus, quod claudicatione emẽdata ſplẽdidiore fortuna virginẽ elocari poſſe ſperaret, in ſentẽtia ſemel concepta perſtitit: licet Fratria Comitiſſa meo conſilio promtiſſime acquieſceret. Iuſſi itaq; purgatoriũ medicamentum afferri curavi, quo feliciter reſpondente, dimiſſionem impetravi. Octiduũ à diſceſſu meo, miſera puella, dolendo fato, non ſine ſera ſuorum pœnitentia, altera à chirurgorum tortura die dolorum vi exanimata, extinguitur: eventu prognoſticum meum confirmante. Ioan. Schenckius.

OBSER-

OBSERVATIO CVII.

Pede offenso mortuus.

C. Anfidius egressus cum in senatum iret, offenso pede in Comitio, obijt. Plin. N. H. lib. 7. cap. 53.

OBSERVATIO CVIII.

Ex leni calcanei vulnere exstinctus quidam.

A Venione Marcum Sobiratium, spectatæ virtutis, ac summæ spei juvenem, ex calcanei vulnere leviore, quam ut quid mali ex eo speraretur, mortuum decimo septimo die accepimus: quo tempore, ex eo loco digressus, in aula agerem. Valleriola. lib. 3. Enarrat. 8.

OBSERVAT. CIX.

Inversis pedibus nati.

IN Saxonia infâs Vuitebergæ natus inversis pedibus. Lycosthenes prodig. Anno 1525.

DE PLANTIS ET DIGITIS PEDVM.

OBSER-

OBSERVATIO CX.

Plantæ pedis calor intolerabilis sola scarificatione & faciliore perspiratu levatus.

CVidam planta pedis adeo incaluerat, ut sibi deuri pars videretur. Calor is nullis remedijs poterat placari (quia, opinor, ob cutis densitatem nihil exhalare posset,) sed scarificatu & transpiratione faciliore tandé evasit. Hollerius. comment. ad aph. 39. lib. 4. Hipp.

OBSERVATIO CXI.

Sphacelus intra triborium à digito pedis ad præcordia progressus.

SPhacelum procedere vidimus spatio horarum trium ab uno pollice pedis usque ad ventrem & præcordia laborantis. Gemma Cosmocrit. cap. 8.

OBSERVATIO CXII.

Sphacelus sine causa manifesta repente ægrum, sine febre, & gravioribus symtomatibus, è medio sustulit.

EXtremum pedé aliquando repente sphacelatum vidimus, sine causa externa, sine tumore aut rubore conspicuo. Oborto primum

mũ dolore immaniſſimo, mox ſenſum in eo ac motũ perijſſe, partẽ totã livore cõtabuiſſe, exulcerationem fœdam inſecutam, quę acerrima cauſticaq; medicamenta ſine ſenſu admitteret. Non multo poſt arteriã brachij dextri, deinde etiam ſiniſtri pulſare deſijſſe: ita ſenſim univerſo corpore obſeſſo, miſerum extingui, ſine febre, ſine ſymtomatis admodum gravibus. Ioan. Fernelius cap. 15. lib 2. de Abditis rerum cauſis.

OBSERVATIO CXIII.

Gangrænam mortem adferre, ſi à digito pedis incœperit.

QVi ulcere nigro, ϕ γάγγραιναν Græci appellant, afficiuntur, ſi id à digito pedis incœperit, & patiens fuerit ſenex, vel ex his quorum corpus mali habitus ſit, celerius moriuntur. Novimus nos Cambinum, Carolum, & Thomam, cives Florentinos, nec nõ & alios quamplurimos hujuſcemodi affectos vitio paucis diebus vitam finiſſe. Incipit enim caro ipſa in ulcere paulatim increſcere, & livens fieri: quin & arida interim atq; ſicca, & cutis circumjacens nigris impletur puſtulis: tum & quæ proxima eſt amiſſo ſenſu livet palletq;. Nec prius ſerpere id malum deſinit, donec oſſa etiam inficiat: quod

si qcqd aridū est,& proximum quoque locū; vel usq; ad sanum prsus excideris,revertitur tamen & serpit. Verū cū alię partes corporis hoc malo afficiūtur,plerūq; sanātur.In illiusmodi autem membris & calor est debilis,& nervi insunt plurimi:qui cum inficiuntur,facile etiam circumjacentia loca inurunt. Vnde & proxima his statim livent,donec totum membrum miserabiliter occupant atqueinficiunt. Dodonæus. cap. 71. Abditorum.

OBSERVATIO CXIIII.

Gemursa novus morbus.

CEleriter in Italia restinctus est ille,quem gemursam appellavere prisci inter digitos pedem nascentem, etiam nomine obliterato. Plin. Nat. hist.lib.26. cap.1.

OBSERVATIO CXV.

Pedis digitus major unico osse constans.

HAbeo penes me majorem pedis digitum ex uno osse conflatum, fuit enim senis,in quo ob sedentariam vitam & motus privationem ligamenta articulorum digiti ossea sunt reddita.Coiter. Obs.Anatom. & Chirurg. pag. 109.

OBSER.

OBSERVATIO CXVI.

Ad perniones remedium rarum.

NOn est prætereūdum illud experimentum, q̄ narrat Claus Olaus in secundo libro rerum Septentrionalium, ubi scribit populos eos, q̄ frequentissime ob frigus aëris hoc malum experiuntur, sese non alio remedio sanare, quam pulvere pellis leporinæ; nam & hoc experimentum rationem habet, quia, ut notum est, pili leporini maxime valent ad unienda vulnera. Hieron. Mercurialis de Morb. puerorum lib. 1. cap. 13.

DE ARTHRITIDE ET EIVS SPECIEBVS.

OBSERVATIO CXVII.

Podagram nonnunquam populariter grassari: & contra Divini Hippocratis sententiam etiam pueros, eunuchos, virgines, & mulieres ea corripi, velut animalia nonnulla.

PYthermus, ut inquit Hegesander, memoriæ tradidit ævo suo moros annis viginti fructum nō edidisse, & populārē morbū podagram ita fuisse grassatā, ut nō solum viros,

sed etiam pueros, virgines, eunuchos, mulieres is morbus corripuerit: quin & eam ægritudinem adeo vehemẽter sęvijsse in greges, ut ovium partes duas ille morbus afflixerit. Atheneus Deipnosoph. lib. 2.

An id evenerit, quia mororum fructus podagram arcere queant, in controversiam venire potest. Ego sane apud Hipp. ac Gal. legi mora, quę satis maturuerint, ventrẽm subducere, stomachum que squalidum ac æstuosum consolari, præsertim si frigida, nec cum cæteris cibis, sed paulo ante sumantur, moxque per pavimentum deambuletur. Vnde Horrat. poeta non immerito cecinit.

——ille salubres
Æstates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravẽ quę legerit arbore solẽ.

Ea vero privata ulla facultate podagricis auxiliari, quo minus infestentur illi, apud neminem adhuc observavi. fieri tamen potuisse crederẽ, ut mora frequenter Pythernij æstate ab omnibus fere esitata, stomachis recreatis, alvisq; liquatis eorum humorum proventũ interciperẽt, q in articulos decumbẽtes podagrã gignere consueverunt: eo magis quod Gal. scribit, alvos astrictas habẽtes podagris esse obnoxios. Sed consideranti mihi capras, quæ mororum fructus nõ attingunt,

ab ea

ab ea lue nõ fuisse immunes ; potius aëris inclementiã, quę moris inimica extitit, etiam pedum morbos produxisse existimo; quando varijs aëris constitutionibus varias ægritudines pervagasse, non raro à majoribus nostris obsérvatum fuit. Cum enim morus, ut docet Theophrastus, idcirco sit prudentissima vocata, quod novissima omniũ germinet: ea si quando pruina lædatur, quẽadmodum lædi proditum est Psal. 77. & apud Plinium lib. 16. cap. 26. jam cœli intemperiẽ maximã esse cõstat, quã etiã ad pedes deducere defluxiones non est à ratione alienum. Mercurialis Variar. Lect. lib 1. cap. 24.

Eunuchos podagra non tentari Hippocratis quidem tẽporibus verum erat, nunc vero ppter nimium tum otium, tum vitæ intẽperãtiã nõ ita habetur verum. Res autẽ tota ita habet. Qui podagra est laboratur⁹, necesse est pedes habeat imbecilliores, sicuti cerebrum infirmius, q epilepticus est futur⁹: neutrũ tamen his affectionib⁹ omnino corripi est necessariũ, si nihil peccaverit in vita. Quod autem patris imbecillitas satis esse nequeat ad morbi generationẽ, ex eo tẽpore potes aperte discere q acceſſiones intercedit. Eo enim toto intermedio tẽpore omnino nihil interpellãtur à morbo, quamvis ipsis semper adsit

naturalis imbecillitas. Quod in podagricis etiam est manifestum, in quibus humore quopiá supervacaneo in pedes defluente affectũ hunc generari constat. Si ergo hic humor nunquam affluat, neque unquá talis futurus est morbus. Non affluet autem si corpus semper excrementis vacet, si moderato exercitio utatur, probeq; cibum concoquat. Vnde desidia ipsos & luxuria & heluatio lædit. Lædũt etiã multa & potentia vina potata, maximeq; si quis ante præsumtum cibũ ipsis utatur. Hęc enim ut coitus etiã facile nervosum replent genus. Hippocratis certe quidem temporib. pauci omnino laborabant podagra propter vitæ temperantiã & moderatiorem summã: nostra vero ætate in tantum auctis delitijs & luxu & voluptatibus, ut nihil supra addi posse videatur, infinita est podagra laborantium multitudo: nonnullis nunquam se exercitantibus, sed male coquentibus, seq. inebriantib⁹, nullo præsumto cibo fortia vina potantibus, & venere immoderata utentibus: alijs vero etsi non in omnib in uno tamen aut altero ex ijs quæ retulimus delinquentibus. Et vero sæpe, cum magnum peccatum est, in uno eorum quę dixim⁹ deliquisse satis esse potest. Ob has igitur causas eunuchi etiam podagræ doloribus cruciantur, etiamsi quam maxime

maxime sibi à Venere temperent. Tanta enim eorum est desidia, tam inexplebilis edacia, tanta crapula, ut etiam sine coitu podagra corripi possint. Hæc eadem de particulari morbo dicta esse putandum. Arthritici siquidé fere omnes prius fiunt podagrici. Accedit ad has causas quamobrem pleriq; nunc podagra infestantur, q̃ parentes & avos multi podagricos habuere, in quibus scilicet semẽ trat vitiatũ: atq; ideo posteris majorem conciliavit partium imbecillitatem. Gal. Comment. in aph 28. 6. Hipp.

Mulieres cum virorum licentiam æquarint, corporum quoque virilium vitia æquarunt. neq; enim minus pervigilant, nõ minus potant, & oleo ac mero viros p̃vocãt: atq; invitis ingesta visceribus per os reddunt; vinumq; omne vomitu reijciunt: atq; nivẽ rodunt, solatium stomachi æstuantis. Libidine vero neque maribus quidem cedunt: pati innatæ. Quid ergo mirandum est maximum medicorum ac naturæ peritissimum in mendacio præhendi; cum tot fœminę podagricæ sint? Beneficium sexus suis vitijs perdiderunt: & quia fœminã exuerunt, damnatæ sunt morbis virilibus. Seneca lib. 5. Epist. 95.

Vidimus nuper Venetijs eunuchum quadraginta fere annorũ natum Turcã, ſine barba, effœminatũ, timidum, & qui articulorũ dolores patiebatur. hic ob vinum paſſum copioſiſſime epotum hęc diſcrimina inciderat, & ſimul ebrietatẽ. nempe in ſua patria vini non bibunt, ita Mahumento inſtituente, ſed in aliena patria, clãdeſtine tamen, ingurgitãt. Agitatio illa magna, quæ in coitu fit, debilitat nervos, & articulos, quod eunuchis ob hanc cauſam contingere non poteſt, quibus etſi virile mẽbrum quãdoq; erigatur, & ſpiritum quẽdã, atq; aquoſam materiam emittit, tamẽ nõ eſt ſanguis, nec agitatio fit in principalib. membris, deficientib. teſticulis, qui ſunt tanquã folles omnia membra cõmovẽtes, imo & eunuchi rariſſime in coitum excitãtur, tamen excitari poſſunt. Illuſtriſſimus Dux noſter tubicinẽ habet ſpadonẽ, q mira de coitu profitetur. Nos parum credimus ex his quæ vir ille dicit. Ant. Muſa Braſ. cõment. ad aph. 28. lib. 6. Hipp.

Nos vidimus magnificum Alphonſum Taſſonũ 15. annorum ætate podagra laborantẽ. qua etiam laborare cœpit Illuſtris Claudius Rangonus: an vero prius venerem exercuerint, ignoramus. Taſſonus negavit ſe illã exercuiſſe, à nobis quadoq; interrogatus. Idem comment. ad aph. 31. lib. 6. Hipp.

Novimus Evnuchum Podagricum, eūq; vehementer. Scholiographi ad cap. 63. lib. 1. Hollerij de morb. intern.

Vidimus natos tantum decem annos laborasse. Tempore Hipp. pueri non conflictabantur podragra ante usum veneris. Nūc vero conflictantur, fortasse quia contraxerunt morbum à parētib. vel quia cœlū hoc Gallicum diversum est à Coo. Holler. comment. ad. aph. 30. lib. 6. Hipp.

Vidi quod Hipp. & Gal. non viderunt, nobilem videlicet puerum septem, aut octo annos natum Vallesium laborantem non tātum podagra, sed arthritide vere & autūno, cui non fuit hæreditarius morbus articularis, & satis ille bilioſus erat. Ioan. Mich. Paschalius Method. curand. lib. 1. cap. 16.

OBSERVATIO CXVII.

Nova, de arthritidis causa, eiusdemque loco affecto, & generationis modo sententia.

PRoxima continensque omnis arthritidis ac doloris causa est non simplex ulla intemperies, sed humor præter naturam infixus & adhærens, qui sæpe tumore manifesto se prodit. Atque tametsi nonnunquam (ut ijs qui primum incipiunt illa tentari) citra

insignem tumorem dolor affligit, tenuis tamen aut paucus aliquis humor subest. Hic autem qui continens est doloris causa, nunquã aut admodum raro (prẽter multorũ id opinionem assevero) in id cavum ac spaciũ penetrat quod inter ossiũ extrema intervenit, sed in vincula duntaxat, atq; in eas membranas quæ extrinsecus ossium extrema nectunt, ac etiam in tendones eo directos: hoc sane argumento, quod in nodosa tophaceave podagra atque chiragra, humor in calculum jam concretus, aperta ruptave cute plerunque eruitur è digitorum articulis, vinculo integro ac illæso. Neque porro humor hic, cõtinẽs arthritidis causa, tam varius atq; traditur existit: nec enim sanguineus, nec biliosus, nec melãcholic⁹ unquam est, sed ómino vel pituitosus vel serosus: perperamq; arthritidis differentiæ ex humoris genere statui solent: ut alia calida, alia frigida sit, sed omnis frigida est, ex frigido humore genita. Quod si rubor aut calor interdum, maximeque in chiragra vel podagra cernitur, is non ex morbi essẽtia, sed ex vehemẽtia fit doloqui ruborẽ caloréq; nonnunquã & febrem accersit: quæ potissimũ ijs eveniũt, qui cõstitutionẽ corporis obtinẽt impense calidã atq. plethoricã, & qui levi occasione febre iacta-

iactãtur. Hic igitur frigid⁹ humor ac tenuis, articulorũ vincula, membranas aut tẽdones implẽs, & distendens aut fericns, dolorẽ infert: dolor vero si corp⁹ præparatũ iam est, tuborẽ, caloré atq; febré: quę distendentis aut ferientis humoris sunt symptomata. Talis est ratione artisq. vsu comprobata sententia de arthritidis cõmente causa. Antecedẽtem porro causam recte omnes statuũt humorẽ esse, qui aliunde in imbecillos articulos aut influit, aut influxur⁹ est: unde autẽ & p quas vias influat, nemo ad unguẽ videtur investigasse. Ex hac ignoratione hacten⁹ dolor articularis ꝑ immedicabili derelict⁹ est, nũcupatur q; medicorũ opprobriũ. Errant perfecto quicunq; ex intimis illũ partib. in articulos irrũpere putãt. Quomodo enim à viscerib. intimisq sedibus possit humor syncerus aliquispiã ꝑ ora venarum in articulos purus excidere? aut si etiã cum humore sanguis emanat, cur in articulo collectus phlegmonem non excitet? Sed neq; humor crudus qui per alios ductus quã pervenas fertur in articulos, arthritim facit. Nã cruditas in cachexia è viscerib. in pedes incũbens, dum tumescãt, podagram non efficit. Alia igitur quã ex intimis partib. est arthritidis origo Hęcautẽ caput est, è quo sane pituitos⁹ humor, isq;

tenuis

tenus profluit in articulos. Non quidem cerebrum aut interiores ejus ventriculi in quibus pituitosum excrementum cumulari coacervariq; solet, (hoc enim vel foras per nares, vel per palatū in asperā arteriā, atque pulmones, aut in ventriculum interioresque sedes illabitur) sed partes capitis externæ & extra calvam positę origo sunt arthritidis: è quibus supervacaneus humor per summa corporis sub cute deorsum decurrit. Venæ enim multæ ab externis iugularibus deductæ eo excrementa sua tenuia atque serosa deponunt. cumque capitis crassa densaque sit cutis è qua capilli succrescūt, nō quēadmodum è reliqua corporis cute illinc facile humor expiratur. Tempore igitur cumulatur copiosior in ijs maxime quibus gignēdi ejus evidentes causæ conveniunt. Fernel. lib. 6. cap. 18. pathologiæ.

OBSERVATIO CXVIII.

Eiusdem authoris sententiæ assertio, ratione & experimento stabilita.

PRrimum quidem frigidæ arthriticis causam proponis esse tenacem crassamq; pituitam; id quidē simpliciter & absolute pronunciatū falsi insimulo, initio siquidē tenuis est & aquosa, qualis interdum vi frigoris defluit

fluit è naribus, neq; crassa tam promte excideret & illaberetur in articulos & corporis partes externas, sed hæreret in via. At certe hæc tempore vi caloris crassescit in articulis atq; tum ut ex Galeno producitur non nisi longiori tẽpore resolvi potest. Tandẽ vero si sinatur plerũq; in tophũ durescit immedicabilẽ, & de quo Poeta solvere nodosam nescit &c. Morborũ igitur tempora distingue, si cõcordes vis esse scripturas. De hujus pituitæ differentijs scripsi ex optimorum medicorũ sententia lib. 5. Naturalis partis medicinæ. Improbas deinde cerebrum mali fontẽ esse, quæris cur nõ omnis cerebri externa causa destillationem proritans arthritidem facit. Quærendũ etiam fuerat, cur nõ omnis cerebri distillatio tussim excitet. Scis vir optime non unum omnis destillationis cursum esse, varia quoq; est humoris proclivitas. Et ut aliæ partes alijs imbecilliores aut laxiores existunt: ita alias humorẽ in hãc illãve partẽ influere. Contendis insuper nullum esse meatum pedibus cum cerebro cõmunem per quem eo possit humor incidere utq; rem tuã conficias evidẽter, colligis neq; per spinalẽ medullã nec per nervos illapsum fieri. Quod equidẽ fateor, nec quẽquã adeo esse rudem credã, qui ejusmodi vias excogitet. Ais tu tamen cerebrum posse venis cõ-

municare ſuum excrementum: cum ſis ipſe Anatomes peritiſſimus, vellem mihi viam indicares qua è cerebri vẽtriculis (quos Gal. lib. de vſu partium excipiendorũ humorum excrementitiorũ gratia factos cõmemorat) excremẽtum ipſum remeet in venas. In cerebri ſubſtantiã nullæ venę ſpargũtur, neq; alię intus ſunt, q̃ quæ p meninges utrinq; in verticẽ efferũtur, poſſitne excremẽtũ ex intimis illis vẽtriculis in illas rurſum remigrare? Quòd ſi is aliquando in ſtomachũ procumbit obſtruitq. jecur, nihil ad rem noſtrã. Ego deſtillationi quæ fit in articulos non hiis exiſtimem ductibus aut meatibus opus eſſe, ſed alias è cerebri ventriculis, alias è partib. externis etiam per cervicem & ſcapulas deorſum illabi, quæ partes conſequuta ſubcutaneas & laxas tenuis cum ſit plerumq. ſine ſenſu doloris ſenſim præterlabitur, dum in ſolidiore & cõpactiore articulo ſiſtatur & hæreſcat, cujus ligamenta, tendones & mẽbranas non ſine dolore diſtendit. hanc mihi perſuaſi frigidæ arthritidis cauſam, quã male perceptã plerique ut immedicabilem reliquerunt. At neq; in his neque in alijs quibuſcunque artis operibus me ũquam abinveſtigando deterrebit veterum authoritas, licet nullum hactenus vel minimũ ſcriptorem neglexerim: ex meis tamen inventis plus me quam ex illis profeciſſe experior. Ad te jam redeo cum ſuadere niteris excre-

méta hæc pituitosa è venis excidere, multa certe (tu me libere loqui jubes) commitis. Nunquã enim vidisti ejusmodi pituitã medi caméto è venis detrahi, sed quacũq. purgãtib. dejcitur, tota aut à cerebro, aut à vẽtriculo, aut ab intestinis est. Ea ipsa doloré coli cũ inferr: Nec quę vel in colico vel in febribus vomitione redditur à venis in ventrem cõfluit, sed in hisce sedib⁹ cõcreverat. Allucinaris etiã cum dicis vidisse te multã pituitã crassã ei quæ in vẽtriculo generatur nõ dissimilé è secta vena cũ sanguine fluxisse. Quod enim in peluiculis interdũ albicans innatare cernitur, non excrementitia hæc pituita est, sed quia fibrarũ vi cõcrescit sanguis appellatur, isq. pituitos⁹ & qualis in leucophlegmatia redũdat. Ego certe inter vulgi errores hunc censeo graviſſimum, quod & in febribus omnibus, & in alijs quibuscunque morbis humoris vitia nõ nisi in venis cõstituat, neq; aliã his posse in nobis sedé inveniri putet, & cũ de humorib. differitur, nihil de supvacuis, sed de his duntaxat intelligat, qui sanguini pmiscẽtur in venis. De his autẽ aliquãdo plura. Reliqua omnia quęcunq; ꝑfers ex Gal. cõtẽdũt in cacochymia ex venarũ osculis, multa vel in cutẽ, vel in alias partes corporis extimas imbecilles erũpere, quę scabiẽ, pruritũ, tubercula, inflãmationes, interdũ etiã calidas arthritides excitant, quorũ certe nihil inficior. Fernel. consil. 12,

OBSERVATIO CXIX.

De Aegritudine quæ dicitur Nakir, seu de flatu furioso in ambitu corporis.

AEgritudo hęc nominatur in terra nostra Nakir, & est dolor qui accidit in quibusdã membris, deinde permutatur de mẽbro ad membrum. Hujus morbi exemplum vidi ego tale. Vocatus sum ad mulierem quandam infirmam in quadam villa, & detexit brachium suum, & vidi inflationem parvã in vena brachij, & post horam unam vidi illam inflationem procedere cum focili sicut serpit vermis, ascendendo ad humerum celerius quam credi potest, & movebatur sicut argentum vivum quum currit de loco ad locum. Recessit ergo dolor ex loco qui primum doluerat, & fixus est in humero. Deinde, ut narravit mihi, revoluebatur in toto corpore, quemadmodum & ego ipse facile deprehendere potui. Miratus sum ergo velocitatẽ discursionis ejus de membro ad mẽbrum, & ego quidem antea nunquam videra hanc ęgritudinẽ, quæ esset, qualis hæc in hac muliere. Multos quidem vidi qui senserunt dolorẽ permutari de mẽbro ad mẽbrum, sed non hoc modo, aut hac celeritate. Nec ego aliam causam conijcere possum, quam quod

mulier

mulier fuit ſole & laboribus exhauſta, ſicuti ſunt quæ ex villis ſicci corporis detectarum venarum, hinc ergo apparet ſenſui illa ventoſitas permutata, & eſt neceſſe ut non appareat ſecundum hunc modum in illis qui ſunt delitioſi, & corporib. humidis, occultarum venarum. Cum ergo moliris curationē ejus, & ſentit patiēs illum dolorem, tunc ſi eſt, apparet oculis, ſicut diximus, tunc ſtringe ſuper ipſum & ſub ipſo velociter, & ſeca ſuper ipſum, donec egrediatur ventoſitas coartata, & cauteriza locum.
Si autem non vides locum affectum & dolentem, tunc cura ipſum cum excuſſione corporis, & quopiam remedio quod expellit ventoſitates, & extenuat eas, commode autem fit pilulis fœtidis, & pilulis de ſapino, & ſimilibus. Albuccaſis. lib. 2. cap. 93.

Enarrationē hujus morbi require à Marcello Donato lib. 1. cap. 6. hiſt. mirab. med. VVier⁹ in libello ſuo germanico, de morbis incognitis, ad dolorē quē vulgo in VVeſtphalia & vicinis locis den varen/ hoc eſt, varum retulit; ſed curatione plurimū differre affirmat: ego etiam cauſis ab eodē diſtare puto, id quod conferenti facile cōſtabit.

OBSERVATIO CXX.

Arthritidis ſpecies quædã univerſalis, Menapijs, alijsq; rhenanæ Moſæ accolis familiaris, tum quæ eiuſdem curandi ratio.

IOannes Meſues Polypodiũ inter ea refert q̃ corpora maxime exiccare ac extenuare queat; fortaſſis ad arthritidis quoddã genus reſpexit, quo non una corporis pars, ſed complures fere afficiuntur: ad quod à Menapijs, alijſq; Rhenanis ac Moſæ accolis plurimũ commendatur. Fument in hoc morbi genere manus, pedes, utriuſq; genu cubitorũque articuli, adeſt impotentia præ doloris magnitudine movendi, ſubinde ſuperiores min⁹; gravius vero inferiores partes afficiũtur: facile quoq; ex una in aliam partem humores fluẽtes decumbunt. Huic malo Menapij Polypodij decoctũ, ut diximus, adhibent, quo ſuperfluos humores abſumi & reſiccari poſſe ſperant; non quidem mox, ſed temporis mora: nam continuis aliquot diebus decocti hujus uſum præcipiunt ac inſtituũt. Citius autẽ hoc morbi articularis gen⁹ aut venę ſectione, vel purgationib. vel utriſque, deinde ſudore tollitur: nec difficilis ei⁹ curatio, ſi tẽpeſtive univerſalia hæc remedia adhibeantur: neq; enim in ipſis articulis humores impacti hærẽt, ſed circa ipſos non tã cõſiſtunt, quam cõfluunt. Idcirco corpus ci-

tissime vacuandū, deinde quod reliquū, pcuratis sudorib. digerendū discutiendūq; est. Dodoneus Hist. stirp. Pempt. 3. lib. 5. cap. 3.

OBSERVATIO CXXI.

Materiā arthritidis occultæ malignitatis participē sape esse, atq; horrendos terrificosq; paroxysmos excitare.

PErsuasum multis incognitā esse hujus mali essentiam, virus enim quoddā occultū & inexplicabile, tantę malignitatis & contumaciæ authorem esse. Quod videtur agnovisse Avicenna cum scribit arthritidis speciē quādā esse cujus materia adeo acuta & maligna sit, ut si aliquando animi irati impetu exacerbetur, subita morte homini necādo sufficiat. Itaq; Gal. ipse scribit Theriacen podagricis arthriticisq; omnib. ex usu esse, non aliacredo ratione, quā quod deficcat, cōsumit, & obtūdit hujus materiæ virulētiā. Idē censet Gordonius, hoc addito, quod āre theriacæ usum corpus præparari & perpurgari oporteat. Materia igitur arthritidis tenuis est humor & virulētus, non tamē contagiosus, qualitate peccās potius quam copia, extremos dolores ciens, ideoq; humores, una cum caliginosis & flatuosis spiritibus, ad influxū paratos, in affectas partes incitās. Itaq; ut aspidū & vesparū morsus, dolores auctos cū calore, subito tumore & āpullis excitat ob humorū scilicet fervorē, quē venenū intulit

non ob ſimplicem continui ſolutionem, cũ quotidie ſutores ſartoreſque cernamus acu cutem carnemque transfixos nullis ejuſmodi malignis ſymtomatibus ſubſequentibus. Sic virus arthriticum dolorum cruciatus intollerabiles invehit, non copia, quia pleriq; arthriticis hi contingunt nullo in articulis apparente fluxionis ſigno, ſed ſola qualitate maligna & inexplicabili, qua niſi medicamẽtorum oppoſitorum, aut naturę, aut utriuſq; beneficio retuſa, dolores illi non ceſſãt. Inexplicabili illi & virulẽtæ materię arthriticæ malignitati multũ lucis afferet, ſequentium hiſtoriarũ commemoratio. Dum felicis memoriæ Rex Carolus nonus Burdigalæ eſſet, Capellano & Caſteliano medicis Regis, Taſtæo Vrbis Burdigalenſis Medico, Nicolao Lamberto & mihi chirurgis oblata eſt nobilis quædã mulier, nata ãnos quadraginta, ex tumore vix ciceris magnitudinem æquãte, ſub iſchij ſiniſtri, parte externa, dearticulatione, perdolenter multos jam annos ægra, me præſente dolorificus eam paroxyſmus invaſit, derepente inclamare, & vociferari cœpit, corpus huc illuc temere & violenter motibus & inſultibus ſupra muliebrem imo humanã omnino naturam jactare. Caput enim inter crura condebat, pedes ſcapulis imponebat, mulierẽ à dæmone

habitã dixiſſes. Duravit illi is paroxyſm⁹ horę fere quadranté: toto illo tempore diligẽter obſervavi, num amplius ſolito pars dolens intumeſceret, num nova ſuboriretur inflãmatio: ſed nihil novum, quod quidem tactu aut viſu diſcerni poſſet, ſuperveniebat: tantũ cum pars illa tãgebatur mulier inclamabat altius. Exacto paroxyſmo, calor ingens illam habebat, totum corpus ſudore defluebat, cũ tanta laſſitudine, & membrorũ omniũ confractione, ut ne vel minimum quidem digitũ dimovere poſſet. Epileptici inſultus ſuſpicio nulla eſſe poterat; nam mulier interim ſenſuum omnium miniſterijs integre utebatur, loquebatur, ratiocinabatur, neq; cõvellebatur. Nec vero illa ſumtib. ullis aut diligentiæ pepercerat, quo à medicis & chirurgis famatiſſimis morbo remedia nanciſceretur: ſagas etiã mulieres, ſortilegos & incantatores cõſuluerat, adeo nihil intentatũ reliquerat; ſed mali magnitudine omnis ars ſuperata fuerat. Hæc ego omnia cum in conſilio retuliſſem, cõmuni omniũ conſenſu in eam ſententiam itum eſt, ut dolenti loco ſeu tumori affigeretur cauterium potentiale. Id ego ipſe affixi. Poſt eſcharæ lapſum defluxit valde atra & virulenta ſanies, quæ doloris omnis & ejuſmodi morbi in poſterum ceſſationem muli-

eri attulit. Ex quo intelligere licet tanti mali causã extitisse venenatũ quoddã virus, qualitate inexplicabili nocẽs potius, quam quãtitate: quo vi cauterij dilapso & debellato, omnis prorsus dolor conquievit.

Super simili prorsus malo, sed brachium dextrum occupante, consuluit Capellanum Castellanũ, & me, Aureliæ uxor Cisiarij reginæ, supplex doloris levamẽ implorans: nã paroxysmos doloris acerbitate sic affligebatur, ut præ impatientia sui immemorè fenestris præcipitem se dare conaretur: cui rei metu custodes additos habebat. Simile mõstrum simili remedio debellandum censuimus, nec nos nostra decepit opinio: nam adhibito potentiali cauterio, par omnino hujus qui & illius fuit successus. Ergo nonà sola articulorũ imbecillitate doloris arthritici acerbitas causam habet: sic enim continuus & semper sibi similis esset dolor: nonà simplicis humoris intẽperie, nihil enim in reliquis quotquot sunt tumoribꝰ simile cõtingit: sed à venenata, maligna, occulta & inexplicabili materię qualitate, quo magis id mali genus solertẽ Medicũ, & strenuũ chirurgum desiderat. Pareus Operum suorum lib. 17. cap. 2. De Arthritide.

OBSERVATIO CXXII.

Podagricorum membra exesa.

IN arthriticis, podagricis maxime, membra intrinsecus diuturnitate adeo perforari ductibus sinubusque oblongis, angustis, atque si tineis vel xilocampis exesa essent, sectio ostendit: præsertim carnosis in locis musculorum, quorum spatia nervi citra omnem connexum pervadunt, per quæ & defluxiones nervi ductum comitatæ feruntur, àquibus & continua destillatione humoris ampliata, velut attrita, vel levi ex causa humores commotos suscipiunt. Vnde præcipue accidit eos, qui diuturna podagra laborarunt, facile in hunc affectum incidere, malumque esse propter organi hoc vitium immedicabile. Impediri tamen ad tempus, si corpus non admodũ exagitetur, atq; astringentiũ usu, quib⁹ mẽbra laxata nonnihil coarctãtur. D. D. Felix Platerus de obs. pprijs.

OBSERVATIO CXXIII.

Arthritidem ex Plethora sæpe generari, & non ex catarrho capitis.

ANimadverti sæpe quosdam dolores & tumores calidos repente omnes articulos extremorum membrorum invasisse tãta quidẽ vehemẽtia, ut ægri neq; brachia neq; pedes movere possent. Quibus symtomatibus febris satis intẽsa cum vigilijs etiam accessit. Hos vero tumores non ex destillatione capitis ortos esse, ut quidam

etiam magni medici censent, sed à plethora in venis magnis collecta proficisci, ostendit curatio. Etenim venæ sectionibus repetitis, & topicis moderate reftigerãtibus, ac diæta refrigerante & tenui eos sustulimus. D. D. Iacob. Oethæus lib. obs. propriarum.

OBSERVATIO CXXIV.

Causæ & remedia ad dolores articulorum ab intemperie solitaria sine materia.

FIunt etiam in articulis dolores ab intemperie sine materia, qui etsi rari sunt, quia tamen mihi experiri contigit, quibus adversum remedijs usus sim visum est aperire. Mihi aliquando majore animi contentione in studio occupato, ideoq; externas, quæ in corpus ingruere poterant injurias non sentiẽnti, venticulus per bibliothecę angusta rimarũ clanculũ subiens coxã sinistrã perculit: tandẽ studendo lassus, cũ primũ surrexi progressurus, stare in pedes non potui, tanta erat doloris sine ullo tumore aut humore, qui quidẽ cerni posset, acerbitas. Itaque coactꝰ sum lecto me tradere, revocatoq; in memoriã quod frigus, nervis plane inimicũ, mihi dolorem illũ creasset, depellere id tentavi frequẽti linteorũ calidissimorũ appositione: quę etsi contactu suo sanas partes, dolẽti & perculso loco vicinas, vesiculis inde sur-

gentibus amburerent, vix tamen illic ubi defixa erat doloris acerbitas sui sensum faciebant, tanta erat & tam firmiter fixa intemperies. Imposui & marsurpia avena & milio frixo plena, vinoque rubro calente imbuta, vesicas item bubulas calefacientium herbarum decocto semiplenas. Denique & catinum ligneum cinere calenti pene plenū salvia, roremarino, & ruta leviter contusis obtectum involutumq; linteo, ꝙ aqua vitæ cōsperſum vaporem remittebat, qui dolorem lenibat: impositus etiam panis ater, recens à furno extract⁹, & aqua rosarum asperſus valde profuit. Atq; quo lenius inimicum illud frigus expugnarem, pedum plantis lagenas testaceas aqua fervente plenas admovi, ut inde etiam cerebrum per nervorum rectitudinem & continuitatem incalesceret, horum remediorum vi tandem contumaci illa intēperie, cum per viginti quatuor horas me detinuisset, prēclare sum defunctus. Aliquando ab excrementitia quadam materia, sed tenui adeo & subtili, ut oculorum sensum fūgiat, excitatur doloris arthritici alia species. Fuligo quædam est, accensarum candelarum fungis seu atræ illi Vligini, quæ cohibito ad objectum aliquod corpus lampadum arden-

tium fumo cogitut & concreſcit, ſimilis: quę viruléti ſeri admixtione infecta, quaquaverſum pervadit, nunc in his, nunc in illis articulis, extremos dolores ciens, niſi illi exitum affectanti aperiatur via corniculis, cucurbitulis, veſicatorijs, cauterijs, aut alia ſimili arte. Pareus operum ſuorum lib. 17. cap. 18.

OBSERVATIO CXXV.

Cyprinorum eſu quidam quoties vellet podagram ſibi provocabat.

NOveram podagroſum cui Cyprinorum eſu pinguiorum parata erat podagra ſemper, ut in manu illi eſſet accerſere cum veller, eo pacto. Iul. Alexãdrinus lib. 15. cap. 6. Salubr.

OBSERVATIO CXXVI.

Podagræ in varios morbos, & horum in hanc metaſtaſis.

ILlud inprimis cognoſcendum eſt, podagram nonnunquam, quartana febre ſuccedente, artuum dolores finire, Avicẽna autore, quod tamen mirandum videtur: quum alibi podagrã perraro ab humore nigro fieri voluerit, qui quartanæ proprius exiſtimatur. De dyſenteria vero quid attinet dicere? quando ex ea haud rite curata artuũ pedumque dolores inprimis ſubſequutos fuiſſe

isse non semel ipsi vidimus Hippocratesque in prorhetico memoriæ prodidit? si quidē podagricos dolores dysenterijs optime curari, si successerint: sed & alias eliquationes valde prodesse; quę ad inferos locos repunt: scriptum reliquit. quem imitatus Avicennas, & quandoque, inquit, solvitur natura ex eo, & juvatur per illud. Cæterum contra etiam fieri constat: etenim si quæ in difficultatibus intestinorū fiunt eliquationes non rite purgentur, eas ad articulos naturam transferre rationi cōsentaneum est. Est etiam ut ex coli potissimum dolore suborto articularis morbus & podagra curentur: quemadmodum ex eodē perperam curato artuum plerumque dolores suboriuntur: veluti ea testantur, quæ sexto de morbis vulgaribus libro scripsit Hippocrates. Cui enim, inquit, in dextra parte intestinum colum dolebat, & artuum dolore capiebatur, erat quietior: postquam autē hic curatus fuit, plus doluit. nam quum materia ab articulis ad intestina columque præcipue permeat, coliq; propterea dolor progignitur, artuum dolores cessant: quæ si ad articulos ab intestinis transferatur, dolorem in eisdem parit, intestinaque liberat. eadem fere ratione, qua & diuturni morbi in articulos abscedere consuevere: veluti idem autor sexto ejusdem

nominis libro memoriæ prodidit. Quibus, dicens, juxta aures judicationis tempore exorta non ſuppurarint his evacuatis reverſio fit, ꝑ reverſionum ratione: reverſione vero facta rurſꝰ tolluntur, & permanẽt; in his ſpes eſt in articulos abſcedere. Quamobrem non inepte cõtẽplandum, inquit, qui morbi alijs ſuccedant: veluti cum jecinoris affectum podagra ſuccedẽs curat. Cæterum etſi morbis jam commemoralis ſupervenientibus artuum pedumq; dolores finiãtur, ijdem tamẽ qbuſdam in hydropiſim plerunq; cõceſſere multis in depravatã ſpirationem ἄσθμα græci, anhelitum latini dicunt. Hæc vero ſucceſſio inevitabilis atq; immedicabilis exiſtit Aretæo auctore. Avicennas autem præter hęc illud infortunij podagricis cõtingere voluit: ut ſcrotum, in quo teſtes continentur, impenſe longum fieret: ea, ni fallor, ratione, ꝙ cum humores deorſum ferãtur in podagricis (ad pedes enim confluunt) eorum pars quæpiam ad ſcrotum etiam ut defluat, veluti & ad reliquas omnes artuum compages priꝰ confluere, quam ad pedes, veriſimile exiſtit. Hieron. Gabucinius Cõment. De Podagra fol. 13. & ſequentibus, parte averſa.

Sæpe vidimus dolores in ventriculo concita-

citatos desijsse in dolores articulares, sicut accidit cuidã qui me his diebus consuluit. is post satis diuturnũ morbũ cũ febre dolebat frequẽtissime secundum vẽtriculũ; habebat autẽ dejectiones mucosas mixtas cũ cruore. Sed doloribꝰ ventriculi recedẽtibus, articuli dolore correpti sunt, translata nẽpe materia ad articulos. Interdum vero ab intestinis: quãdoq; enim dolores colicos in dolores articulorum terminasse vidi: ita etiã renales in podagricos & articulares permutatos fuisse; imo sæpissime articulares dolores solent doloribus renalibus succedere, ita ut in proverbium & frequens etiam apud vulgares nostros versum sit, utpote q̃ nostra ligua materna dicere solent, Doglia di fiãco, hoc est, dolentibus renibus, Gotta à campo, hoc est, articulares dolores statim in ꝓmtu sunt. Sed & mulieres facile (ut Hipp. quoq; monet sexto Aphoris.) capiũtur ab articularibꝰ doloribus suppressis aut puerperijs, aut mẽstruis purgationibus. In viris autẽ frequenter intercepto fluore sanguinis soliti per mariscas purgari. Imo (ut tandem omnia uno capite cõprehendamus) oẽm interceptionem alicujus consuetę vacuationis sequi solent id genus dolores, & hæc omnia consentiunt, cum Hipp. Galeniq; decretis. Victor Trincavellius de

rat.

Victor Trincavellius de rat.curand.particular. hum. corp. affect. lib. 12. cap. 1.

Memini, dum Venetijs medicinam facerem, mulierem quandam, quæ erat in ætate adolescentiæ, temperaturæ calidæ & humidę, & multi sanguinis, & puerum pepererat, nec per sua puerperia fuerat, nisi parce, purgata, à vehemētissimis doloribus secundum omnes articulos, præter eos qui ad colum & maxillas pertinent, fuisse correptam, cum tumore & rubore circa articulos, ut dimovere se alioquin nequiret. Illi autem, quācitius potui, sanguinem copiosum ex vena pe talos cruris dextri mitti volui, quo misso, illa eadem die libera evasit secundum partē dexteram à doloribus, ita tamen, ut nullum, aut valde exiguum auxilium in parte sinistra perceperit: nam non minus cruciabatur secundum articulos sinistri lateris, & eos fere universos: sed postea, interposita die, volui alterius cruris venam secari: unde effluente iterum satis copioso sanguine itidem illa eadem die illius etiam lateris dolores omnino deleri: quo viso statim animadverti primum, quantam vim habet rectitudo in vacuationibus, quamque rationi consonum sit præceptum à Gal. nobis decimo de comp. med. secundum locos datum, nempe coxendicis dolorem, cum à sanguine ortum & occasio-

casionē habet, vel a materia sanguini mixta, facilime secta vena in poplite, vel ꝑpe malleolos, eadem fere die curari posse. Nec minus etiam alias vidi quæ ex suppressis mēsibus his doloribus factę sunt obnoxię, & nō multo post per missionē sanguinis citatis menstruis ex incōmodo exemtæ sunt. Nam etsi temporibus Hippocratis hac sola de causa podagris solitæ sint tentari mulieres: nostris tamē aliquæ illis laborāt, quāvis menses fluant: quod Gal. in malam victus rationē refert. Cum in causa est suppressio hujus purgationis, cur non magis id attribuendum aut utero, aut corpori universo: per has enim purgationes tum Vterus proxime, tum demū universum corpus excrementitium sanguinem excernit, qui suapte natura multus in eo sexu solet generari. Addamus & illud, quod fere in idem tendit, quod scilicet ex sanguine solito à marisceis fluere oriūtur ejusmodi dolores: quod nullus unquam negavit. Idem eodem libro & capite.

OBSERVATIO CXXVII.

Quando in Arthritide & chiragra metuenda mors.

AVtor Levinus Lemni⁹, in arthritide & chiragra nō est quod mortē quisquā pri

mescat

timeſcat, niſi circa ſiniſtrum pectoris ſinum, cui cordis turbinatus mucro ſubeſt, humorũ colluvies decumbat: digitusque annularis ſiniſtrę manus nodoſus efficiatur, ac valde intumeſcat. Anton. Mizaldus memorabil. centur. 1. aph. 50.

OBSERVATIO CXXIIX.

Podagra ſua ſponte ægrum deſerens.

QVereſt apud nos I. C. illuſtriſſimi Principis conſiliarius, qui cum ante vehementer affligeretur podagra: decumbente ad pulmones humore, & tuſſim cum rejectione copioſa excitãte, plane à podagra immunis eſt p plures annos. D. D. Oſvuald. Gabelchofer de obſervationib. proprijs.

OBSERVATIO CXXIX.

Divites podagrici, luxu, delitijs, atque otio affluentes: pauperes facti parco tenuique victu inſtituto, & laboribus corpus exercentes, à podagra vindicati ſunt.

LEgimus quoſdã morbo articulari & podagræ humoribus laborantes, p ſcriptione bonorum ad ſimplicem menſam & pauperes cibos redactos, cõvaluiſſe. Caruerunt enim ſolicitudine diſpenſandæ domus, & epularum largitate, quæ & corpus frangunt, & animam. D. Hieronymus adverſ. Iovin.

Ex senatu Romano Plotinum philosophum Platonicum sedulo audiebat Rogatianus. Qui usque adeo ab hac vita animum segregavit, ut & bonorum suorum curã neglexerit, & servos omnes expulerit, respueritque dignitates. Iam vero Prętor proditurus lictoribus jam astantibus, neque prodit, neque ullam habuit publici muneris rationem, neque lares proprios habitabat, sed quosdam amicorum familariumque conveniens, apud eosdem cœnabat & dormiebat, cibumque indies unicum assumebat. Qua quidem negligentia vitæ extremaque incuria factum est, ut quum acriter podagris antea vexaretur, neque progredi posset nisi vectus sella, robur tandem inde resumserit. Idem quum manus ante extendere non valeret, tamen adeo convaluerit, ut his expeditius uteretur quam qui artificia manibus quotidie tranctant. Hunc ergo Plotinus inprimis complectebatur, mirisque laudibus extollebat, proponebatque tanquam insigne philosophaturis exemplum. Porphyrius in vita Plotini.

Singulariſſimum hac ætate præsidium, neminem fallens, nunc primum sese evexit, nunc exorta atque excogitata podagricos sanandi ratio, etiam cum ipsis articulorum

callosis contractionibus, cœlitus, altisve dementibus elapsa. Quandoquidem, ne vos in re manifesta longius immorer, Magnificus Franciscus Pechius, nuper ex catarrho à nobis sanitati restitutus: hujus medelæ exemplum, hujus salutis divinique auxilij à cœlo delapsi certitudinem præstabit. Hic cum mulam conscendisset, illustrissimi Ducis nostri commissa expediens, quinquagenarius, podagricus, diuturnis hujusce morbi cruciatibus oppressus, clam à Marchione quodam in ergastulum conjectus, uxore, unico libero, omnibusque alijs vita defuncti arbitrantibus: anno jam transacto vigesimo hoc à Deiparæ partu Anno 1556. à Gallis in eam arcem irruentibus incolumis adhuc inventus est, miroque Vercelensium spectaculo, tanquam Lazarus è monumento, divino equidem munere servatus, nulla articulari læsione, ense accinctus, nullo innixus baculo, per urbem incedit: omnemque ex tenui victu, à carceris custodibus indicto, podagræ noxam effugit: uxore, filioque mortuis, ædes, prædia, omnemque diu enditum optimum certe patrimonium, jure ipso revocare incepit. In cibo igitur medicamentum. Franciscus Alexander Vercellensis in Apollinis radio primo, in descriptione electt. diacoralij. Civem

Civem Landſpergenſem Lucam Keſslin nominatum ætate noſtra comperimus. Qui prædives ſummo luxu, delitijs, & odio affluens podagram ſibi accerſiverat: à qua paululum liber, ſubinde eques, animi gratia, peregre proficiſcens: duobus ſervis, qui herum equum aſcendentem, deſcendentéque ſublevarent: aut euntem humeris ſuis fulcirent, ſtipatus: tandem ad extremam egeſtatem redactus eſt. Vnde vini aliorumque carentia, victuque acciſo, & pro pauperis conditione frugali inſtituto: podagra, mutato hoſpitio, hominem deſeruit. Qui etiamnum quinquagenarius, merces corbe doſſuaria hinc inde altiſſimos montes ſcandendo diſcurrendoque divenditumque cõportans: podagra, tenui iſthac fortuna, in totum profligata, victum ſibi quæritabat. Ioan. Schenckius ex VVurſungij Praxi med. de Podagra.

OBSERVATIO CXXX.

Prophylactica adverſus Podagram diæta.

QVin etiam ex podagra & Franciſcum Tagainum ſacerdotem, amicum meum, quandiu vixit (vixit autem ſenex) & me ipſum, & alios omnes quotquot parere cõſilijs meis voluerunt, in perpetuum nullo

negotio ſervavi incolumes. Ea autem fuit ratio, ut mane ſolum olus aliquod aut mel cum pane ederent, exercerentur jejuni, & alvum mollem haberent: ſummoque ſtudio vitarent, ne abſque fame, aut cum cruditate, aut nauſeabundi cibum ſumerent, uterétur que vino albo. Medicamentum noſtrum ad præſervandum recipit cuperoſam, ſemen balſamine, aſphaltum Iudaicum, & xiloaloen, aut cinamomum. Cardanus de Curat. admirand. numero 19.

OBSERVATIO CXXXI.

Vini abſtinentia à podagra quidam tuti.

ADnotatum eſt, eos qui inter milia podagræ doloriſq; articulorum vini potum ſubtrahunt, & ad aquam confugiunt, magnificum ſentire præſidium, ac pene divinum: fereque compertum & potatores aquæ raro aut nunquam podagricos aut chiragricos effici. Hodie tamen pleroſque omnes videmus aquæ liquorem adulterare aut ſaccharo, aut cinamomo, aut pane, videlicet ſic utiliorem arbitrantes. Audio ſobrios homines vinique parciſſimi, atque aquæ potatores callidiores auſterioreſque à nonnullis exiſtimari: quoniã ita ſenſiſſe videatur Cæſar de Bruto & Caſſio, qui poſtea ipſum

ipsum trucidarunt. Ioan. Bruyer. de re. Cib. lib. 16. cap. 13.

Novi medicum senem Venetijs, qui cum non parum infestaretur à podagris ad senium usque saltem primum, ac per quinquennium ipse sibi vinum interdixisset, liber tandem ab hujusmodi molestia ita evasit, ut amplius ad ultimum usque senium, imo ad mortem horum dolorum expers fuerit. Trincavella de rat. curand. partic. hum. corp. morb. lib. 12. cap. 2. Idem testatur in Consil. 97. lib. 3. edit. Basilienſ.

OBSERVATIO CXXXII.

Continentia venereorum à podagra sibi caventes quidam.

ARthriticos uxoratos vidi, qui pro parte maioris temporis, in lecto, gutta deprehensi, permanebant: & mortua uxore, rarissime eam incurrebant: capti vero, facile à paroxysmo liberabantur. Guainerius de Ægritud. juncturar. cap. 27.

OBSERVATIO CXXXIII.

Lac asininum arthriticis salutare.

ASininum lac bibendo qui liberati sint podagra chiragrave inter exempla sunt. Serum etiam asinini lactis efficacissime ho-

minis per intervalla ſingulis diebus quinis articularib. morbis bibitur. Plinius lib. 28. cap. 9.

Aſinini ſtercoris ſuccum aſinino lacti ac dulci vino admiſce, & illine ad podagram: autor euporiſton lib. 3. cap. 248. Ex aſininis oſſibus mirabiliter efficax medicamentum Guainerius cap. 18. parare docet.

A purgatione vere novo celebrato accedeſi immediate ad uſum lactis aſinini cum multo Zaccharo roſarum toto menſe Maio, quemadmodum Celſus lib. 4. cap. 21. conſulit. Quidam inquit, cum aſinino lacte epoto ſe aluiſſent, in perpetuum hoc malum evaſerunt. Petrum Deſrceux ſenem pharmacopœum omni hujus artis dote præditum mihi coniunctiſſimum videmus poſtuſum lactis aſinini in multos menſes convaluiſse, nec alia de cauſa morbum illi redijſſe, niſi quod ad ægros viſendos & loca ſalebroſa & domorum aſcenſus abire pedib. perpetuo cogeretur. Eam vitæ ſecuritatē & perpetuam conſecutus eſt Claudius Peuton, civis Tricaſſinus, eo vſu lactis, iuſculo braſſicę & pane hordaceo. Veterib° creditum eſt inquit Hollerius comment. in 64. aph. lib. 5. Arthriticis lac aſininum ſalubre, & comment. Hollerij in lib. 4. de rat. vict. in morb.

in morb. acut. Sanguinis, inquit, vitium lac asininum expurgat, vires instaurat, dum partes solidas, humido primigenio destitutas, ex toto restituat. Illi vis fuit insita alvum subducere, nobis vero non movet, quod humores sint crassiores & regio frigidior, rugas tollere, vividum calorem restituere. Iacob. Dovynet. Apolog. lib. 4. cap. 2.

OBSERVATIO CXXXIV.

Seri caprini usus ad podagram recentiorum certa experientia comprobatus.

SErũ caprinũ efficaciæ tantæ quidam esse confidenter affirmant, ut hominem ōnino liberum à podagra & articulari morbo præservet, nec qui eo utetur sanguinis missione alijsve remedijs opus habeat, siquidē in sex rebus non naturalibus recte se gerat: hocque certa multorum experientia constare asserunt: sequenti autē ratione exhibendum consulunt lactis caprini optimi recentisque quantum placuerit accipito, coagulo cogito, serum diligenter transcolato, colatum olla excipito, ad lentum ignem coquito, inter coquendũ curiosissime, quo ad haud amplius spumet, despumato: Deinceps ita decoctum solum per se ad tertię partis

reman entiam coquito, denuo colato, idque toties facito quoad nihil lacteæ ſpumæ reddat. In tali ſero optime purgato infundito foliorum borraginis, pugil. unum: quod ſi in arthritico abundãs pituita, quod ſæpius evenire ſolet, fuerit, addito etiam ivæ, betonicæ, ſalviæ ana pugillum medium: ſin atra bilis abundaverit (hic admonendum lectorẽ puto artuum dolores, Raze medico teſte, ab ipſo nigro humore quam rariſſime provenire, ut propterea exiſtiment nonnulli Galenum in catalogo humorum articularem morbum facientiũ atram bilem non aſcripſiſſe, utpote à qua dolores articulorum non niſi inſolẽter & raro fieri poſſe intelligeret, vetante ſcilicet ejus craſſitie & terrena ſubſtantia ne intime & in penitiores oſſium, membranarum & compaginũ partes adigatur) apponito ſenæ, epithymi aliquantulum: denique pro humoris abundantis ratione ſimplicia infundito. cum autem dolor infeſtaverit, ſero dicto modo præparato unam vel alteram drachmam agarici electi & in petia ligati infundito, unaque leviter ad ignẽ bullire ſinito, colato unc. decem vel duodecim, plus minus, prout ægri vires, alvi lubricitas aſtrictiove poſtulaverint, mellis roſati vel oxymelitis ſimplicis, aut potius ſquillitici unc.

ci unc. duas admiſceto, ægroque mane jejuno ſtomacho, quam calidiſſime ferre poterit, propinato, ipſeque aſſumto medicaméto quatuor horis à cibo & potu abſtineat: nec aberraverit ſi paulum ſuperdormierit, maxime cum agaricus in præparatione additus fuerit. Singulis autem menſibus ſeptiés aut octies hujuſmodi ſerum abſque agarico paratum, alternis ſcilicet diebus, prout alvus aſtricta fuerit, bibat: alvo namque humidiore exiſtente abſtineat. Sed addatur agaricus inchoante vere & autumno: Item æſtate & hyeme, & cum dolor ægrum infeſtarit vel paroxyſmum futurũ veretur: tunc enim invadens malum avertimus, commodiſſimeque ægrũ præſervamus. Hic eſt ſaluberrimi remedij à maximis viris comprobatus uſus, quo & tu optime lector tutiſſime uti poteris. Hæc ex doctiſſimi D. P. Imperatoris Ferdinandi medici D. Stephani Lauræi literis ad me ſcriptis; nec non ex curatione 29. cent. 5. Amati Luſitani.

OBSERVATIO CXXXV.

Ad podagram duo remedia magnis elogijs celebrata.

DVo mihi cõmunicata sunt magnis elogijs celebrata. Alterum à medico Italo (nomen indicatum non fuit) qui pulverem Iovis nominabat, profectum, atque à D. Conrado Gesnero ad me missum est: alterum D. Christophorus Vvirsungus Augustanus dedit. Pulvis Iovis talis est. ℞. Aristoloch. rotundæ veræ (non Pistolochiæ vocatæ) Gentianæ, Rhei pontici, Mei, ana unc. j. seminis petroselini Macedonici unc. s. Comarum Chamedryos, Centaurei minoris, Hyperici, ana drach. x. Fiat ex omnibus subtilissimus pulvis. Primo mense datur ex eo quotidie drachma una ex aqua tepida: postea drachma dimidia tantum per integrum annum. Semel atque iterum singulis mensibus purgandi sunt. Vinum bibendum est generosum decocto Mastiches dilutum. Admiscendus interdum est agarici pulvis, præsertim in pituitosis ad alvum magis citandam. Alter hoc modo paratur. ℞. Aristoloch. rotundæ veræ, Gentianę, Rhapontici (id est, Centaurei majoris) comar Chamedryos, Chamæpityos, ana partes æquales. Per anni quadrantẽ sumenda est drachma j. (in pituitosis per anni dimidium continuetur hæc dosis) per reliquum anni tempus semi drachma solum modo bibenda. Ego his

go his

go his non ſum uſus, ſed non paucos feliciſſime uſos fuiſſe mihi retulerunt qui cõmunicarunt. Blande purgantia meis ægris prę-ſcripſi: quod Hippocratem quoque viderem maxime his confidere. Sic enim lib. 2. Prædict. ſcribit. De Podagricis hæc dico. Quicunque aut ſenes ſunt, aut circa articulos callos tophaceos concretos habent, aut erumnoſe vivunt, aut ſiccam alvum habent, hi omnes ſani fieri non poſſunt humana arte quantum ego cognovi. Sanant quidem hos optime Dyſenteriæ, ſi ſucceſſerint. Sed & aliæ eliquationes valde proſunt quæ ad infernos locos repunt. Qui vero juvenis eſt, & circa articulos nondum callos tophaceos concretos habet, & accurate vivit, & amãs eſt laboris, & alvum bonam habet ad obediendum pro ſtudiorum ratione: hic ſane medicum nactus intelligentiam habentem ſanus fieri poterit. Ex hac Hippocatris ſententia liquet, quantam in hoc morbo tollẽdo purgationes vim habeant. Videtur autem parum intereſſe, ſive arte moveantur purgationes, ſive ſponte oriantur. Eraſtus Part. 4. Diſputat. Paracelſ.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXVI.

Annuis purgationibus & venæ sectionibus, accedente competente victus ratione, quidam multis annis à podagra immunes.

VAcuabis podagricos & articulorum dolore conflictatos veris initio, dato nimirum aut medicamento purgante, aut misso sanguine. Equidem complures qui tribus aut quatuor annis per intervalla pedum doloribus molestati sunt, ego sanavi, aut redundante humore veris initio purgato, aut sanguine detracto. Manifestum autem est quod tales in universa victus ratione moderati sunt. Proinde incontinentes, ebriosq; ac gulæ deditos, neque purgatione neque sanguinis missione magnopere juvabis. Nã per victus intemperantiam crudorum humorum multitudinem celeriter coacervant. Verum ut hos cures, ne studere quidem oportet. Vbi autem obediunt, summopere eos juvabis si veris initio primum quidem vacuans, deinceps ad exercitia, victusque rationem salubrem perducas. Galenus libello de Curandi ratione per sang. miss. cap. 7. circa finem.

Vir nobilis Castelnan nomine, Aquitanus

nus, articulari vexabatur morbo, singulis annis, posthabita purgatione. Vidisses, mirũ hercle, quonam modo vel ipse primariam prehendentis affectionis genituram confestim internoscceret, meque accersens vindicabatur articulari morbo statim vacuatione flava bili succi confecta. Talis enim purgatio bifariam profuit, tum quia vacuantur excrementa, tum quia materia acrior excernitur. Purgabam igitur ipsum non vere tantum, sed etiam atumno: & sicuti dixi, si ex cõtemtione aliquãdo purgationem prætermisisset, statim affectionis accidentia sentiebat. Symphor. Campegius Annotat. ad Hist. 9. lib. 3. Galeni.

OBSERVATIO CXXXVI.

Ad Podagram electuarium admirabile, dolores iuncturarum subito & sine molestia solvens.

ELectuarim mirabile ad auferendum dolores juncturarum subito sine molestia ignitũ calorem extinguens & contemperãs membra patientis in tantum, ut à sede rede-at ad locum proprium sine alterius auxilio Galen. 2. ad Glauc. cap. de Podagra calida, appellat pulverem catharticum, inventum à peritis

peritis medicis,& dat de eo pondus duorum denariorum cum mulsa,aut cum vino albo. Ego vero in hunc qui sequitur modum cõposui,& appellavi cary costinum, ex caryophylis & costo ejus compositionem ingredientibus: est enim mirabile ad præmissa,sicut in me ipso expertus sum. Correptus fui à doloribus junctur arum octo aut decem vicibus, qui omnes meas junctur as in parvissimo tempore citissime & furiose occupabant, accepi itaque de eo unciam s. in aurora involvendo in nebula madefacta in vino albo, illinc ad duas horas incœpit operari fortiter absque ulla molestia. Eram adeo impotẽs quod solam linguam movere poteri, & quando ibam ad sellam, oportebat me habere quatuor homines, qui me ponerent super eam, & maxima cum difficultate. Postquam solutus est venter quatuor sedibus, in quinta sensi me à doloribus multum alleviatum, & cum auxilio DEI absque alterius adminiculo ivi ad sellam, & ab eadem redij, & eodem die ambulavi libere per museũ meum: in sequenti vero die liber evasi, & illud met expertus fui duabus alijs vicibus. Tandem cogitavi longe prętstantius esse uti regimine prętservativo, quam exspectare quod dolores me surriperent. Nam statim cum sen-

sentiebam me habere signa repletionis, capiebam de dicto electuario ut supra, & hoc ter aut quater in anno, ita quod sunt modo plusquam viginti sex anni, quibus nullo modo à dictis doloribus fui molestatus, & adhuc nunc eundem modum observo. Quod non solum in me ipso, sed in innumeris hominibus probavi experimento. Quapropter eos flocci pendendos esse puto, qui dicunt librum illum ad Glauconem non esse Gal. quia non reperitur in ejus codicibus Græcis antiquis: ipsi enim profitentur scire, & penitus ignorant: ergo ignorantia composita laborant. Verum horum ignorantia non debet electuarij perfectionem impedire cujus hæc est descriptio. ℞. Hermodactylorum albotum à cortice superiori mundatorum, diagridij ana drach. ij. costi, cymini, gingiberis, cariophyllorum, ana drach. j. trita & cribellata conficiantur cum syrupo facto ex melle & vino albo invicem coctis, donec formam syrupi bene cocti recipiant, & fiat electuarium in forma opiatæ. Dosis ejus est drach. ij. vel iij. vel iiij. secundum patientis tolerantiam, in aurora, involvendo in hostia vel nebula vino albo madefacta, aut dissolvendo in vino albo Pontico non multum potenti. Petr. Bayrus Pract. lib. 18. cap. 1.

OBSER-

OBSERVATIO CXXXVIII.

Podagricus quidam materia ad ſtomachum converſa, præter omnium ſpem convaluit.

CVidam podagrico malum ad ſtomachũ converſum eſt; unde dolor tendens & gravis. Imperatum eſt primum hoc oxymel, & quæ ſequuntur remedia: à quibus præter ſpem multorum integre curatus eſt.

℞. oxymelitis ſimp. Galeni lib. s. In fine decoctionis ejus infunde fol menthę ſiccor. pug. s. Deinde traijciatur per manicã Hipp. cum cinamom. drach. s galangæ. & calam. aromat. ana ſcrup j. Vtatur primum frigido, deinde tepido ad vomitum.

℞. Aloës ſuccocitr. opt. ſcrup. ij. rh. elect. drach. s. maſtich. roſ. cinam. galang. ana grana viij. Incorporentur omnia cum ſyr. de mentha, dentur ex cochleari.

Purgato corpore cucurbitula ſuper umbilicum applicetur, quæ prius immerſa ſit in vino decoctionis ruthæ, mẽthæ, abſyntij.

℞. mellis anthoſati, mellis roſ. ana unc. ij. aquæ vitę unc. j. bulliant in balneo mariæ, vel cineribus calidis ad conſumtionẽ aquæ. Deinde inſperge cinamomi, calami aromatici, galangæ, maſtiches ana ſcrup. j. miſce. utatur ante paſtũ uno cochleari. Mane

Mane utatur Zinzibere viridi, & nuce moſchata viridi, conditis. Aviculis, alauda, perdicibus, &c. confixis cariophyllis. Fiant fomenta ex oleis de rutha, ſpica, mẽtha, abſynthio.

℞. horum oleorum unc. j. s. mythridatij unc. s. miſce, & affrica ventriculi orificium.

Vtatur vino albo, veteri, pane albo bene cocto & aniſo condito. Item. ℞. pul. menthæ ſiccæ drach. ij. pul. abſynthij drach. j. cariophyl. ligni aloes, Xilobalſami ana ſcrup. j. cinamomi, macis ana ſcrup. s. f. pulvis: utatur mane cum ovo ſorbili, aut in conſumpto.

Mollis frictio circumducta in ventrem, etiam in articul. deinde longe à cibo, ut facta jam coctione.

℞. oleorum de ſpica & mentha ana unc. j. olei rutæ unc. s. ol. de caſtoreo drach. ij. mythridat. drach. j. Zibetti gra. viij. miſce pro situ ſtomachi.

Fiet fotus hepatis cum oleo de abſynthio & chamæmelino, ut hyeme. Vel ℞. ceræ albæ novę unc. s. ol. roſar. chamęmel. & abſynthii ana unc. s. f. cerotum molle: malaxetur cum vino leviter aſtringente. Intendatur in linteo molli, & tepidum apponatur.

℞. fol. rutæ ment. abſynt. roſ. ana pug. j. cumini conquaſſati, carvi, dauci, aniſi ana drach. j. galangæ, piperis longi, ana drachmã s. Conquaſſata omnia diſtemperentur in aquæ vitæ unc. iiij. Deinde cum unc. iiij. olei de ſpica leviter coquãtur in balneo mariæ ad aquæ conſumtionem. Expreſſum oleum ſervetur. Cui adde Zibetti gr. vj. mythridat j unc s.

℞. olei de ſpica, abſynt. & ment. ana unc. s. cariophyl. mac. cinamom. cardam. roſar. coral. galliæ moſchatæ ana ſcrup. j. cũ cer. maſtich. aloes ana drach. s. f. linimentum. Loco roſar. & corallorum addes galangæ granor paradiſi ana ſcrup. s. ubi non ita magnus eſt calor. Hollerius obſervat. 12. lib. proprio.

OBSERVATIO CXXXIX.

Ab Arthritide liberatorum, hiſtoriæ aliquot raræ & admirandæ.

EX arthritide & articulorum morbis primum Io Antonium Scazonum. Io. Baptiſtam Mareſchalcum a ſenatus l. belus, & filiam Io. Angeli Linati, tum alios innumeros liberavi. Sed juvat horũ triũ inſignioru curam narrare. Laborabat ergo Io. Antonius

nius Scazosus biennio Arthritide, nil proficientibus medicis. quem ego exhibitione decocti ex ligno cum betonica, & catapotijs ex hermodactylis, curavi. At Io. Baptista Mareschalcus quatuor jam mensibus (eratque mensis ille, quo curare aggressus sum illum, Decembris) conflictabatur, præterea duabus febribus: una intermittente, altera continua, & quod omnium deterrimum fuit, cibum omnem aversabatur, & ferme immobilis cum esset, merito à medico suo vel pro insanabili habebatur: vel expectandum ver ad curam contendebat. ob idque diffidebamus. Ego enim non existimavi hoc faciendum, quandoquidem affectæ particulæ indies fiant imbecilliores. neq; enim in humano corpore quicquã quiescit: sed si nõ in melius proficiãt, necesse ut in deterius prolabantur. Itaque colocynthidam in melle coxi puro. mel autem odoratis mistum, velut offam devorandam dedi: decoctumque interim ligni ex aqua propinans, ante finem hyemis perfecte sanavi, ut nunquam postea in eum morbum reciderit. & adhuc vivit. Filia autẽ Angeli Linati jam biennio expertanon solum omnes medicos, sed etiam circulatores, sumpserat vinum, aquã, unctiones & suffumigia ex ciñabari facticio, nec sa-

nari poterat. Dolebant ei crura, ac tremore vexabatur ita, ut totas noctes vigil perſæpe duceret, abſque ſpe, ut par erat, tot fruſtra tentatis potentiſſimis auxilijs. Itaque exhibito vino cum optimo cortice, curandi interim particulam ipſam ſuſcepi. excogitatoq; præſidio quod & cauſæ morbi & morbo adverſaretur, ipſum confirmaret membrum, lachrymæ ligni magnam quantitatem excipi juſſi: qua cum thure, ligno aloes, ſemine balſaminæ, ſtyrace odorata, cortice citrij miſtis & ſæpe cruribus eo ſuffumigio calefactis (aderat & lapis gagates copioſus) ſanata eſt perfecte, convaluitque. Liberavi etiam Petrum Antonium Beſutium, juxta eadem ſacrā Breram, non procul à Porta beatrice laborantem arthritide eiſdem pene auxilijs quibus etiam Scazoſum, cum hic à medico ſuo omnibus in deterius labentib⁹ deſtitutus eſſet. Cardanus. Curat. admirād. numero 16.

OBSERVATIO CXL.

Oſſium humanorum ad Podagram ex Galeni ſententia & recentiorum approbatione compertiſſimus uſus.

NOn parum conferunt oſſa combuſta in pollinem redacta, & aſſumta, & præſertim

tim humana, quibus Galenus libro simplicium medicamentor. undecimo vim admodū digerentem exiccantemque tribuit. Novi (inquit ille) nostratium quosdam ossa potui exhibuisse, haud scientibus quid nam ebibissent, ne videlicet averterentur, ac multorum tum epilepsiam tum arthritidem curasse. Hæc Galenus, cujus authoritate & sententia freti non paucis arthriticis ossium humanorum cinerem cum conservis florum rosmarini & bethonicæ feliciſſimo successu exhibuimus. Iacob Aubertus Exercit. 50. in abdit. Fernelij.

OBSERVATIO CXLI.

Vinaceorum vires & usus admirandus ad Ischiadem, Podagram, articulorum tumores, omnisque generis arthriticos dolores; memorabilibus historijs comprobatus.

TEmpus est vinaceorum utilitates, quas ratione inveni, experientia comprobare, à me ipso inchoans, qui cum gravi quodam dolore diu laborarem musculorum circa ischium, ac lumborum, qui dolor insuper ab eodem articulo non rarro sumebat initium, quandoque etiam in crurum musculis,

modo uno, modo alio sentiebatur; interim circa poplitem, præsertim in musculo sub ejus inflexu substrato, aut in tendonibus juxta rotulam, interdum autem tibiæ musculi afficiebantur, nonnunquam partes juxta talum, inter cæteras autem partes sæpius dolore cruciabar ejus nervi magni, qui quatuor habens principia ab ossis sacri vertebris ad plantam usque pedis distribuitur. Quâobrem nonnullis adhibitis remedijs, venæsectionibus, purgationibus, fotibus, cataplasmatis, unguentis, emplastris, perfusionibus, denique balneis tum naturalibus tum arte paratis, cum ab eisdem parum aut nihil utilitatis percepissem, ad vinaceorum usum me contuli, à quibus omnino, Deo favente, fui liberatus. Et vxor mea coxendicum dolore diu vexata à frigidis, crassis, lentisque succis, nec valde à cæteris medicamentis adjuta, ex eorundem vinaceorum usu curata fuit.

Excellens Troilus Spes, podagra coxendicumque dolore ex eisdem frigidis crassisque succis orto, magnopere ac diu offensus, ex eorum usu non parvam percepit utilitatem: quamvis ob vinaceorum inopiam paucis quibusdam diebus eisdem usus fuerit.

Illustrissima quoque Caterina Sanseveri-

na nuper eodem coxendicum dolore affecta ob jam dictos frigidos crassosque humores, nec non & crurum ac tibiarum, ob eandem causam, magnam cum contraxisset imbecillitatem, ex jam dictis vinaceis maximũ commodum ingentemque utilitatem adepta est, & fere omnino curata: quamvis paucis etiã quibusdam diebus eisdem usa fuerit, ob eorum etiam inopiam; erãt enim eo tempore omnes fere vindemiæ absolutæ.

Magnificus item artium & medicinę Doctor, Fulvius de Bernardis, à dextræ tibiæ sinistrique cruris diuturno dolore ex vinaceorum usu prorsus liber evasit, quamvis valde extenuatas easdem etiam partes habuisset.

Percepi insuper excellenti Hieronymo Albertino Philippi Regis intimo Consiliatio dignissimo, vinaceorum usum mirum in modum contulisse cum podagra maximaq; pedum imbecillitate laboraret; etsi neque ipse, ut intellexi, nescio qua de causa, diutius, neque ut nos infra docebimus eisdem forte usus fuerit; licet cum me interrogasset, non aliter ut eis uteretur, præceperim.

Illud tamen silentio non prætermittam, quod nuper, dum hæc conscriberem, retulit excellẽs Marius Galeota, vir alioqui prudentissimus, omniumque bonarum artium

peritissimus, nec minus veritatis amantissimus, ita ut propterea non parva ei adhibenda sit fides, retulit inquam, quod cum ejus filia, nomine Maria, nunc in venerabili monasterio sancti Frāciſci monialis, trib⁹ quatuorve annis magno ac duro amborum genuum tumore laborasset, ut ambulationis motus fere fuerit ablatus, ex dictorum vinaceorum usu adeo perfecte curata fuit, ut exinde nullum amplius neque laborem in eis partibus senserit. insuper in quadā ejus subdita contrarios vinaceorum effectus se observasse testatus est; hæc cum diuturno tempore cum crura tum tibias maxime extenuatas haberet, motu omnino privatas, cū pauco admodum sensu, viginti ad summum diebus vinaceis insidens, ambulare cœpit, carneque impleri cœperunt dictę partes eo anno. sequenti autem, cum iterum eis usa fuisset, sanitatem omnino adepta est, instauratis, quæ extenuatæ erant, partibus, articulis, ac nervis omnibus roboratis, adeo ut motū ac sensum omnino recuperarit. ad hæc quēdam inspexit genuum tumore tibiarumq; extenuatione simul laborantem, qui ex eorundem vinaceorum usu omnino liber evasit & in seipso expertus est, quod cum à prę-cedenti podagrico dolore pes reliquus esset admo-

admodum imbecillis, tumoreque affectus, ita ut cum moveretur non parum doleret, exusu vinaceorum tumor & dolor penitus cessarunt: tantumque robur inde adeptus est, ut non modo citra dolorem ambulet, sed robustior etiam altero pede evaserit.

Quin etiam cognovi à Cæsare Scamnapeco medico & philosopho peritissimo, magnam attulisse utilitatem vinaceorum usum Andreæ Carlutio laboranti œdemate magno ac diuturno in utraque tibia, ubi ne minimam quidem ex noñullis alijs medicamentis adhibitis utilitatem sibi comparasset. Non ab re itaque vir peritissime, pro medendis omnibus præter naturam affectibus, quibus laborare percepi jam dictum Illustrissimum ac excellentissimum Proregẽ nostrum, vinaceorum usum commendavi, iterumque commendo, tanquam saluberrimũ, valde bonum, citraque omne periculũ medicamentũ, dũmodo eisdem, ut decet, utatur. Ad quem etsi nullus mihi datus sit aditus, ut eidem mea opera inservirem, nihilominus tanquam divinum quendam hominẽ existimo ac colo, ex his, quæ indies prudentissimis suis operationibus intelligo ac experientia observo: adeo enim vera opinione ac prudentia ad rectum dux est, recteque

præ eſt, ac ſapienter & juſte omnia gubernat ut cuncti per publicam amicitiam juſtitiáq; ſerventur. Quamobrom nedum ſanitatem, ſed vitæ etiam perennitaté ſummopere ipſi deſidero ac exopto. Recte denique vinaceis uretur, ſi prius, quæ à me de eiſdem narrata ſunt, obſerventur, ac inter cæteta quod ex dulcib⁹ uvis fuerint expreſſi, nõ parũ prelo preſſi, ubi pri⁹ cũ eorũ muſto efferbuerint, recenteſque fuerint: ij etenim vinacei ſunt, qui eidem domino magis conducere videntur, ut ex his quæ prius diſſeruim⁹ facile liquet, & quo dulciores fuerint uvæ ex quibus ſecreti fuerint, eo etiam utiliores erunt, perpenſis ejuſdem excellentiſſimi domini morbis omnibus, eorumque cauſis, ac totius corporis tẽperaméto, & reliquis. Modum vero uſus eorũ omnib⁹ cõmunem recẽſebimus: ſub quo, & qui proprius & particularis hujus Illuſtriſſimi ac excellẽtiſſimi domini exiſtit, proculdubio continebitur. Capiendi ſunt vinacei modo dicti, aut reliqui quos ſupra probavim⁹ ſimiliter recẽtes, preloq; preſſi, qui prius cum eorũ muſto, & nõ aqua, efferbuerint, humiq;, aut conclavis paviméto acervandi. Nam multi eſſe debẽt, ijq; manibus adeo premendi ac lęvigãdi ſunt ut quoad fieri liceat partes õnes invicẽ cohære-

hæreãt deinde craſſis laneiſque tegumẽtis, quæ eos omnes circumambiunt, contegendi ſunt, ne ex ambiente aëre refrigerentur, ſerveturque eorum caliditas, foribus ac feneſtris omnino clauſis; potiſſimum ubi ex aliqua cauſa aër ambiens frigidior fuerit. Atq; ubi eiſdẽ uti velis, univerſo prius corpore vacuato, ventreq; à cibis alijſq; ſuperfluitatibus immuni, ac dejectis alvi prius excrementis, exutus veſtibus, ſcrobe quamprimum longitudine, latitudine, & profunditate manibus commode parata, in eos ſe inſerat æger, protinuſque eiſdem vinaceis, qui pro ſcrobe fienda ſublati ſunt, contegi debet, eis moderate manib⁹ cõpreſſis ac lęvigatis, & deinde laneo etiam teguméto velétur. Vbi vero mediæ ac ſuperiores corporis partes minime affectæ ſint, ſatis erit eiſdẽ vinaceis inſidere, ac crura, tibias, ſimulque pedes affectos in eos inferre, reliquo corpore conſuetis pannis contecto. At ſi admodum delitioſus fuerit æger molliſque carnis, ne in partibus circa ſedem labor aliquis, dolor, aut exulceratio ex vinaceis inferatur, lineum linteum, duplicatum, triplicatum, aut etiam quadruplicatum ſubſternes, ſuper quod inſideat. Si vero

dorſo

dorſo aut ſcapulis ſolis laboret, eædem partes vinaceis immergendæ ſunt, crura autem & pedes haudquaquam. Verum ubi univerſum corpus fuerit affectum, fovea in vinaceis effodienda erit pro univerſo corpore congrua, majorq; copia vinaceorũ eſſe debet, ut eis contegi undequaque univerſum corpus valeat, atque ita in eis veluti in lecto jacere, pulvinari duntaxat ſub capite impoſito, laneo etiam tegumento ſuperpoſito; id quod ſemper ſervari debet. Brachijs autem & manibus ſi quiſpiam afficiatur, eaſdẽ partes vinaceis obruat. hoc modo ſi quiſpiam vinaceis utatur utiliores erunt. At ubi admodum delitioſi ſint ægrotantes, ut pueri, vel mulieres, aut reliqui molles carnes habentes, priuſquam vinaceis immergantur, linteo lineo molli ac veteri involvantur, deſuperque vinacei proijciantur manibuſque premantur ac lævigentur; & deinde laneo, ut diximus, tegumento conregantur. Nec minus quam per mediæ horæ ſpatium in eis quiſpiam immorari debet: melius tamen erit ſi hora una permanſerit. Nam cum mediocris ſeu moderatus ſit vinaceorum calor, exiguo tempore ſi in eis permanſerint, quibuſdam parum proficiunt, longiori autem multum. Eſt tamen eorum uſus omnibus

ſemper

semper utilis ut dictum est, ubi probe eis utare. Sunt demum à vinaceis ægrotantes detegendi, cum congruo tempore in eis commorati sint, & in eodem conclavi cubili parato leviterque excalfacto ab eisdem exurgentes jacere debent saltem per horã pannis mediocriter contecti, deinde calido linteo lineo detergantur, & consuetis vestibus induantur. At cum primum ex vinaceis exurgũt, iterum ijdem acervari debent, manibusque premi & lævigari, & pannis contegi, ut prius; atque id quoque sequenti die & reliquis servandum erit: quamvis ubi robusta fuerint corpora, nedum mane ante cibum, verum etiam vesperi eisdem uti poterunt, majoremque utilitatem afferunt, quẽadmodum & ipse usus fui. Illud tamen animadvertas oportet, quod singulis tribus aut ad summum quatuor diebus ijdem vinacei renovandi sunt: etenim verendũ est ne posthac putrescere cœperint, eorũque mediocris caliditas deperdatur, & altera immoderata superveniat, quæ ambientis est, qua ratione nocumentum magis, quam juvamentũ corporibus præstent. Donatus Anton. ab Altomari lib. de Vinaceis.

OBSERVATIO CXLVII.

Pedes,

Pedes Podagricus tritici acervo immergens, liberatus.

PLinius libro 22. cap. 25. Sex. Pompejus prætorij viri pater, Hiſpaniæ citerioris princeps, cum horreis ſuis ventilandis præſideret, correptus dolore podagræ, merſit in triticum ſeſe ſuper genua: levatuſque ſiccatis pedibus mirabilem in modum, hoc poſtea remedio uſus eſt. Vis tanta eſt, ut cados plenos ſiccet. De vi tritici humores attrahendi lege Gal. lib. 1. de nat. facult. Farina frumenti ex aceto cocta, dolorem podagræ ſtatim ſedat impoſita, ſed lenius medicamẽ erit adjecto melle non multo: Marcel. emp. Tritici farinam cum oleo ad unguenti formam decoquebat, Raſis pro molliendis tophis: ſummopereque laudat. Guainerius.

De Tritico. Q. Ser.

Triticiaq; acido manantes amne farinæ:

Intellige, ſuperimpoſitæ dolores cruciatuſque podagricos cohibent. Item:

Non audita mihi ſit fas, ſed lecta referre,
Hoc quidã captus morbo per tẽpora meſſis
Vicino plantas frumenti preſſit acervo,
Evaſitq; gravẽ caſu medicante dolorem.

Anton. Sneeberger parabil. lib. ad articulorum dolores.

OB.

OBSERVATIO CXLVIII.

Arthritici quidam nive aut aqua nivali, vel alia frigida adiuti sunt.

DVos arthriticos novimus, quorũ alter, ubi invadit dolor, pedẽ sensim immergit aquæ nivali, alter pedem statim demittit in aquam frigidissimam, atque ita uterque stupore dolorem levat. Sed ille (qui est satis carnoso corpore) stuporem & frigus ab aqua relictum corrigit petræleo, quod calidum, ac deinde involvit partem lana sordida. Posterior vero adhibet solum chamęmelinũ, & macilento est corpore: Quamobrem si quando in podagra & arthritide his refrigerãtibus uti in animo fuerit, oportebit postea refovere partes calefaciẽtibus, ut corrigatur stupor is & frigiditas. Holler. comment. ad aph. 25. lib. 5. Hipp. 13.

Novi podagricos, qui sęviente malo dolentem pedem frigidissima perfundunt. Alij hybernas reponunt nives eidem remedio. Sed ubi frigore obtorpuit petræleo fovent, & paroxysmis liberantur. Ges. ex Hollerio. Hujusmodi vero remedijs caute utendum est. Nam materiam crassiorem minusque ut discutiatur aptam reddunt, timendumq; ne ad interiores nobilioresque partes repellatur.

Qui-

Cuidam podagrico (verba sunt Guain.) cholerico, macilento, debili, à dolore admodũ molestato, Iudæus quidam nulla premissa evacuatione, petias madefactas in aqua frigida membro superposuit, unde dolor auctus est: quod advertens Iudęus embrocationibus & unguentis successive opiatis usus est, unde fuit materia adeo incensa, ut circa caniculam fuerit tota tibia concremata: cui volens Iudæus succurrere, succum sempervivi, oleum rosaceum, & acetũ cũ pulvere boli Armeni, sanguinis draconis, modico camphoræ miscuit: dehinc petias infusas super partem membri combusti posuit: & in tantum fuit adauctus ignis, ut brevi usque ad genu tota tibia concremata fuerit.

Alium quoque vidi hominem, repletum valde in cibo & potu, cui super podagrico pede repercussivis frigidis appositis, in die una naturali tibia tota adeo tumefacta est, ut elephanticũ judicasses, & infra diem tertium ad Plutonem permeavit. Hæc ascribere placuit, quo plures temerarios homines, ne tam imprudenter remedia ubique adhibeant, admonerem. Nivem assumtam in potu articulares morbos & nervorum dolores generare ex Gal. & Sim. Sethi constat.

Anto-

Anton. Sneberger libell. facile paralib. adversus articulor. dolores.

OBSERVATIO CXLIV.

Balneo ex juniperino ligno convaluere quidam articulorum morbo obnoxij.

IVniperi è ligno paratur balneum admirabilis facultatis ad podagricos hoc modo: Sumito ligni juniperi concisi libras duodecim, coquito in aqua, in cortina magna, quo usque tertia tantum pars supersit. Deinde decoctum una cum ligno in labrum proijcito. In hoc ubi descenderit æger, sedeat umbilicotenus, & membra languida foveat. Atqui hunc prępurgatum esse oportet: Hoc enim balneo nonnullos podagricos in Boemia vidimus in lectulo jacentes, perpetuoque dolore vexatos, qui adeo revaluerunt, ut expeditiores facti ad negotia redierint quoquolibet ambulantes. Matthiolus lib. 1. cap. 87.

OBSERVATIO CXLV.

Podagræ remedium ex vulgo petitum laudatißimum.

AB annis aliquot generosa atque inclyta

Domina mea Anna Beverienſis articulari morbo laboravit, ac ſæpius gravibus tormẽtis cruciabatur, nunc à manu, nunc à pede, nunc ab alijs quoque artubus impos, uti toro nonunquam pluſculos dies affixa decumberet. Huic non pauci ad avertendũ morbum arte atq; eruditione inſignes viri multas præſidiorum centurias conſcripſerunt: Alijſque inediam imperantibus. Alijs emplaſtra & cataplaſmata infundentibus; pervicax malum nullius induſtriæ ceſſit. Quin ad ſatietatem ubi afflixiſſet, ſua magis ſponte quam abactum diſparebat. Tandem è plebe muliercula cum ſupplex illuſtrem heroinam adiret, atque offendiſſet ſubnervatam podagra. Heu, inquit, Generoſiſſima Domina, & meus maritus huic cruciatui plurimum obnoxius eſſe conſuevit. Sed habeo præſens paratũq; remedium, quo protinus diſcutitur. Et quodnam, rogat pientiſſima Domina. Subjecit, quam primũ ingruit, ſi pes tentatur aut coxendix, continuo pedem demergo in aquam marinam ſuffervidã, cui melanthion & artemiſia incoquũtur, & ſino demerſum ad dimidiatam horã. Si manus affligitur aut humerus, ipſam manum in ſimilem aquam mitto, & unico plerunque fotu reſtinguitur dolor. Qui tam-

etſi

etsi persistat, redeo ad talos ficum labrum. Si nec altero nec tertio intinctu abscedit: Arthemisiam elixo in Anglicana cerevisia, aut hac crassiore, quam oblęso articulo calentem circumpono, & à pauciſſimis horis persanatur, nec me unquam fefellit periculum. Quid dicam? Siquidem visum est leviculum & ab ingenti discrimine alienum, itidem tentavit Illustris Domina, & propitium salutareque comperit, & si quando recurrit dolor, adminiculum hoc non post habet. Iason lib. 2. de sanitate tuenda.

Artemisiæ radix præmansa & comesta intolerabiles podagræ dolores cũ omni celeritate coërcet. Eadẽ herba, cum oleo subacta, & imposita, nervorum dolorem & tumorem mitigat. N. Alex. Præsens remedium ad coxæ dolorem sic: Artemisiam aridã tundes, cribrabis, & ex vino dabis bibere jeiuno, continuo emendabitur vitium: Marcellus empiricus cap. 25. Fomentationem ex decocto artemisiæ herbæ podagricis cõmendat Cælius Aurelianus chronicon lib. 5. cap. 2. Experimentum Regij cujusdam chirurgi adversus chiragras & podagras: Accipe manipulum unum artemisiæ, defervefacito in oleo dulci olivarum donec decrescat ad tertias: eo dolentem locum inunge, sen-

ties brevi tempore dolorem sedari. Anton. Mizaldus memorab.

OBSERVATIO CXLVI.

Hist. Podagrici fotu salis levati.

GAlenus parteis affectas in arthriticis & podagricis fricabat contrito in pauco oleo sale multo; idque per intermissiones: haudquaquam in accessionibus, ut supervacuum omne siccaret, atque discuteret: tum ut partibus infirmis bonum compararet habitum, ac robur.

Alexander vero quendam se Romæ novisse virum longe clarissimum scribit qui fotu ex sale semper uteretur; atque hinc valde mitigaretur. quod autem hoc multam utilitatem præstet nemo non novit: neque enim unquã artuũ læsionẽ ullam, neq; tofum excitasse compertum est. Hier. Gabucinius lib. de podagra pag. 40.

OBSERVATIO CXLVII.

Acetum quomodo Arthriticis conveniat.

ACetum podagricis calido fotu cum sulphure auxiliatur: Dioſc. Acetum inflãmationes articulorum à bilioso humore factas

ctas extinguit: At si super arthriticorũ frigido, ut non parum sæpe gypseam naturam meditatur, humore ponatur, compinget adhuc materiam magis, & porum faciet ἐν τῷ πύῳ. Nervos præterea lædet: articulos è sedibus suis convellet. Iul. Cæs. Scal. exercit. 132. de subt. ad Card.

Non est prætereundum in aceto exemplum ingens. Siquidem M. Agrippa, autore Plinio, supremis suis annis cõflictatus gravi morbo pedũ, cum dolorem eum perpeti nequiret, unius medicorum portẽtosa scientia (ignorante Divo Augusto, tanti putavit usu pedum sensuque omni carere, dummodo & illo dolore careret) demersis in aceum calidum cruribus in acerrimo impetu morbi, evasit. Anton. Sneberger. libel. facile parabil. de Morb. articulor.

OBSERVATIO CXLVIII.

Intempestive anodinorum adstringentiũ atq; repellentium usu quidam arthritici asthmatici facti, strãgulatu perierunt, aut febribus, tremore totius corporis, sensuumque stupore affecti sunt.

NVllus gravior potest committi, quam ille sit, quem nonnunquam commisis-

se aliquos divites & magnos viros vidimus, qui, cum essent dolorum & molestiarū impatientes, usi consilio quarundam mulierculārū a liorumque vulgarium, rebus astringentibus & repellentibus voluerunt crura, & manus roborare, patareq; quo minus cōsuetam fluxionem suis periodis admittere possint: unde ab his partibus ad magis præcipuas vitiosi hi humores divertentes, alter asthmaticus factus est, & tandem strangulatus mortem obijt: alter vero (erant autem ambo Veneti patricij, & nobilissimi, circa principium primi senij, bona temperatura, & robusto corpore) in gravissimam & vehementissimam febrem incidit, cum tremore totius corporis, & omnium sensuum stupore quodam: sed is maximo labore, & multis evacuationibus tum sanguinis, tum aliorum excremētorum, tam spontaneis, quam à Medicis institutis, tandem evasit. Trincavella de Rat. Curandi Partic. Hum. corp. Affect. lib. 12. cap. 1.

OBSERVATIO CXLIV.

Curatio mira podagræ per fotus, sudationes, & scarificationes.

QVidam podagram sic curabat: leviter ciba-

cibatos, ne deficerent, in balneum, ducebat, exerto capite. Fotus erat ſerum exactiſſime purgatum, in quo abrotanum, abſintium, chamęmelon, pulegium, roſæ, roſmarinus, fœni ſemen, ruta, ſamſucus, fœnugræcum, incocta erant: Sudabant ad lipothimiam uſque. Cucurbitulis in cubitis juxta carpos & talos prope locum affectum affigebat, ſanguinemque quoad uſque poterat educens, inde Diachylon cum reſinæ modico ſuperponebat, articulos autem affectos oleo cum ſale perunxit. Allio decocto perpetuo ante cibum utuntur. Galenus tutius cenſet vitandam cruditatem, ebrietatem & otium (6. aphoriſmorũ com. 28.) Cardanus Art. parvæ à ſe conſcriptæ pag. 113.

OBSERVATIO CL.

Arthritici hirudinum uſu reſtituti.

HIrudines non prætereo, quæ podici affixę humores in univerſos articulos à toto corpore irruentes adeo mire revellunt ut ipſos dolores illico, & tanquam incantamento demulceant, ac compeſcant. Quod utique Lugduni experti ſumus in excellenti quodam muſico, cui nomen Roſotus erat: qui quidem præ doloris ſævitia, & continu-

is vigilijs (erat enim tunc temperamento calido & ſicco, atque bilioſus) in ardentem febrem cum delirio inciderat, vigente cane, quo tempore purgationes eſſe difficiles ait Hipp. in aphoriſmis. Adeo enim inde remedium eſt, ut nulli alteri comparandum ſit. Nam evacuant à toto corpore abſque ulla moleſtia & virium jactura. Iacob. Aubertus exercit. 50. Progymnaſmatũ Fernelij Abditor.

Godefridus à Cenami, Venetus, vir illuſtris, juſta veraq; amicitia mihi junctus, dixit ſe vidiſſe arthriticum ab ea ſecurum multos annos vixiſſe, admota hirudine parti dolenti, eadem ſuadent Math. de Gradi, & Savonarola. Iacob. Douynet. Apolog. lib. 4. cap. 3.

OBSERVATIO CLI.

Eſcharotica Arthriticis perniciosa.

QVicunque ab iſto morbo in multos annos evaſerunt, nunquam fuit illis in animo ad morbi præcautionem eſcharotica ferre, quod inde exiſtimarent crura fore imbecilliora, fluxioni magis obnoxia, & ad iter minus idonea: quandoquidem nulla re triſti pars

sti pars afflicta exagitanda sit. Adde quod animadvertãt Escharotica in multis tanquã sucũ arthritidi adhibita fuisse, ut in domino Dauquoy Domino à Heuvillæ, & pio civel Tricastino Ioanni le tartier, qui dũ uterque podagra graviter & diu conflictaretur utrique suræ admoto escharotico (quod in hoc affectu multis palmariũ videtur) dolorem perpetuum crurum sustinuerunt, cõtabuerunt crura, & vitam cum morte commutarunt. Taceo amplis. & ornatissimum Comitem Briennensem, Virum pietate insignem, & Principem egregium ex familia à Luxenburg. cui ex medici domestici consilio, (qui sibi plane suffenus est) escharotica fuco fuere quod per ea una cum putri & corrupta sanie humoris alimentarij, & vitalis spiritus major pars sensim erumperet, quibus partes illæ destitutæ primigenius illarum humor spiritus caloris totiusque vitæ pabulo lente & pedetentim absumtus est, robur illarum imminutum, ita ut tandẽ contabuerit, eo modo lenta mors superioribus illis viris venit. Quomodo cita ijs qui suppurantur & aquam inter cutem patiuntur, si urantur aut secantur, quod pus illis aut aquæ ἀθρόως effluant, inquit. Hipp.

aph. 27. lib. 6. quod Gal. in eund.com. multi ſpiritus una cùm pure & aqua exeãt & excernantur. Quomodo clariſſimo viro equiti torquato haud ita dudum contigit, qui cum hepatis intemperie inſigniter calida laboraret, ſcaterentque viſcera multa humorum, præſertim bilioſorum, colluvie, eaque diſtéderentur, natura ea gravata, noctu pręcipue, eo enim tempore ſpiritus & humores intro recurrũt, multa per alvum liquida bilioſa & & graveolentia deijciebat, reliqua vero ſubinde inguina atque in totum crus & pedes partis dextræ, cum febre, ęſtu vehementi, rubore & tumore totiꝰ partis deponebat, cui aderat cruris exulceratio, in qua cruſtulę inſtar furfuris eminebant & epinictides, & pedum cruciatus podagram emẽtientes. Quib. omnibus ut occurreret, & præſertim hydropi, quo videbatur maxime periclitari, eſſetque vitæ longioris ſpes in auguſto poſita, medicorum conſilio decretum eſt ἐκτιλωτικὰ ſub genubus adhibenda eſſe, quod ea, inquit Arnoldus de Villa noua, magni ſint momenti ad totum corpus impuris humoribus ſordeſcens eluendum, quemadmodum docet Hollerius lib. 3. de mat. Chirurgica. Ab ea incommoda fluxione vir clariſſimus emerſit ea parte, ſed dum pes

hæc ἕξιν ὠτικὴν valetudinem tueri contendit, robur crurũ léte dissolvitur & macie sensim cõcidunt, ita ut jam munere cõsueto fungi non possint, unde fit ut hodie consiliũ sit de cicatrice obducenda, & illam per ectilotica defluxionem, victu tenui (cui insit facultas morbo aduersa) & medicamentis subinde repetitis compensare, ne inutilis materia corpori superfit, quæ importunam istam fluxionem accersat, Quemadmodum docet Arculanus, qui non consulit ante 40. dies cicatricem coire. Ectiloticis uti: vulgo ruptorijs, seu cauterijs, novum non est, sed nullum pene morbum esse, in quo non liceat uti novum est. Siquidem antiqui hoc auxilij genus judicarunt esse durorum corporum qui callum contraxerant, nec facile cicatricem traherent, quod excrescentem carnem reprimerent, fluida & diuturna ulcera juvarent, adhiberenturque crudis ulceribus. In contrarijs vero podagricis, hemicranicis, cephalalgicis, vetustis vitijs & contumacibus vetere σαρκωτικὰ, vulgo phœnigmos experiebãtur, quod ea arte viscera repurgarentur atq; ónino corpus sordib⁹ & excrmẽtis liberaretur, quomodo escharotica peculiariter

cancris

cancris, carbunculis & hæmorrhagijs, atq; etiam in ſolutis ulceribus, quæq; nimio humore fluunt in putrilaginoſis depaſcentibus & ubi ex intemperie partis ad cicatricem nõ veniunt. Poſtea vero recentiorum quorundam medicorum turba, non ſatis probabili Arabum dogmate, judicavit nihil horũ perpetuum eſſe, ſed alias potiores obſervationes in iſtis pyroticis adhibẽdas eſſe, ad quas medici conſilium dirigi debeat: de quibus vide Arculanum com. in lib. 9. Raſis ad Regem Almanſorem capite de doloribus junctũrarum, & coxendico dolore; in quorum obſervationibus, cum inter ſe non conſentiant, nullum interponam judicium, ſed illud lectoribus permittam, tantũ probatorũ artificum authoritatem adducam, quorum teſtimonio fidem attribuere nefas, cum in hujus morbi cognitione & curatione multa diu cogitarint, & ſurſum deorſumque volutarint, ut Guidonis à Cauliaco, Philonij, Ioannis à Vigo feliciter ἀνωδυνία in coxendico dolore expertus eſt, ea ductus ratione, quod iſta vitam parti reſtituerent & evincerent vitia quę nullis alijs auxilijs purgantur, nam quę non ſanant pharmaca, ſanat ferrum quæ non ſanat ferrum, ſanat ignis. Atque

com-

commune hoc consilium est in omnibus, quæ nulla alia ratione possunt sanescere, ut vel vastentur igne, vel ferro peramputentur. Eandem medendi viam pari successu quem de Vigo in coxendico dolore sequutus est Ioannes Chavangius Chirurgus doctissim⁹. Assentiamur igitur probatis istis artificibus, qui genus hoc pyroticorum pulchre calluerunt, nec in hujus morbi curatione scurriliter luserunt. Iacob. Douynet. Apolog. lib. 4. cap. 2.

OBSERVATIO CLII.

Phœnigmo Podagrico loco adhibito, seroſaque & tenui materia educta æger convaluit.

VIr mihi conjunctissimus jurejurando affirmavit, dum Rotomagi ageret, vidisse se arthriticum dolore levatum, doctum fortasse ex disciplina Arculani cõm. in lib. 9. Rasis ad Regem Almansorem, ad moto phœnigmo ex secundo cortice viburni minutim concisso, paulo infra partem affectam eo phoenigmo vesica excitata est detensa vesicam illevit ol. rosaceo, eoque modo ex arthritide convaluit. Idem eodem lib cap. 3.

Inepta & ridicula est differentiarum arthritidis cum humorum specie collatio, quod

quod etiam ſenſu ipſo comprobatur, cui fidem detrahere nefas eſt. Amicus mihi conjunctiſſimus jurejurando affirmavit vidiſſe ſe podagra tenuem & ſeroſam materiã profluxiſſe admodũ phœnigmo paulo infra locum affectum, cum ſolo cortice ſecundo viburni minutim ſculpto. Idem cap. 4

OBSERVATIO CLIII.

Per Cauteria ſeu fontanellas vulgo dictas Podagrici aliquot multi reſtituti.

PErcuravit plurimos hiſce annis elapſis, vir optimus & chirurgus feliciſſimus, D. Andreas Peruſinus Romanus. Impreſſit autem ægris cauteria ſub genibus & humeris quatuor: catapotia leviter purgantia dedit ex brevib. intervallis per anni ſpaciũ utenda: quibus addere ſolet pulverem cotidie per aliquot tempus uſurpandum. Eraſtus Part. 4. Diſputat. Paracels.

OBSERVATIO CLIV.

Periapton ſeu Phyſicum ad podagram remedium.

VT agnoſcas valetudinẽ tuam mihi ſummopere curæ eſſe, addam hoc naturale reme-

remedium (Iubet sic nominare quæ Græci φυσικα περίαπτα vocant) cujus ego experimentū vidi hisce meis oculis. Cum anno quinquagesimo quinto Neapoli medicinam facerem, usus sum familiariter Episcopo Stabiensi Ioañe Fonseca Hispano Theologo, is graviter laborabat arthritide: quapropter cum ubique auxilium imploraret, remediaque undique conquireret, intelligit monachum quendam, ex ijs qui sub Pausilypo monte ante portam habitāt, ex graviarthritide curatum esse remedio quodam ex istis quæ alligantur: accersit monachum ad se ut intelligeret curatusne esset, & quo remedio. Monachus venit, sexagenarius, narrat se quottannis arthritide corripi solitum, inque plures menses detineri morbo tam gravi, ut etiam post paroxysmum pedes suum officium non facerent, nisi innitetur baculo: addit se varia & multiplici curatione usum nihil profeciisse: tandem se incidisse in siculum quendam, qui pro experimento certissimo, quod subscribemus, docuerat: quo postquam usus esset, cœpisse paulatim melius habere, atque jam multis mensibus liberum esse à paroxysmo genua, quę humore mirum turgidæ fuerāt, desedisse, cæterosque pedum articulos egregie detumuisse, a-

deo

deo ut jam membra agiliora ſine ſcipione levarentur. Remedium hoc eſt, accipiatur teſtudo maſculina (cognoſcitur inter cętera ex caudæ diſcrimine, & leni ſub inferiore teſta inciſura, (ubi luna maxime fuerit lumine diminuta, priuſquū cum ſole conjungatur: amputentur vivæ crura omnia, ea conſuta in ſacculos, ex pelle hædina, anguſtos, allegentur membris patientibus, ita ut dextrum crus teſtudinis dextro cruri ægrotantis reſpondeat, ſiniſtrum ſiniſtro: item anterius crus dextrum brachio dextro applicetur, ſiniſtrum ſiniſtro. Quo loco alligari debeat non expreſſum fuit à medico. Monachus ſupra genua ſuſpenderat, & in brachijs ſupra cubita. Hoc remedium cum fuit à monacho expoſitum Fonſecæ, tum temporis non adfui: poſtea cum Epiſcopus hæc mihi retuliſſet, voluit ut ipſum Monachum convenirem, & omnia diligenter conſiderata intelligerem, ſi quid aliud deſideraretur in remedij ſuſpēſione. Cōvenio ipſe Monachū, colloquor, nihil intelligo p̄ter jam à me ſcripta: contrecto juncturas, invenio detumuiſſe: & quæ ipſe ante aliquot menſes ſuſpendererat ſupra genu, tumore diſſoluto, jam deciderant in pedes, & parum aberat quin excíderent: cum rogarem quid cauſæ eſſet,

qua-

quare non paulatim ſtringeret alligata prorationetumoris decreſcentis: reſpondit: ſe expectare, ut omnino tumore reſoluto excideret. Addidit ex his, cum primum alligãtur, aliquid putreſcentis odoris expirari, ſed ſtatim illud difflari, exiccatis crurib⁹ ſanguinolẽtis, nihil ꝑterea incõmodi eſſe retulit. Is idem monacuus longo itinere per varios ambages me pedes è cœnobio eduxit, ut oſtenderet quam recte ſe haberet. Poſtquam rem ſe ita habere intelleximus, optavimus idem remedium Epiſcopo Stabienſi, quod poſtquam alligaſſem, cœpit paulatim habere melius: quo tempore virum reliqui, neque intelligere poſtea potui an penitus convaluerit. Horum omnium,& multi alij docti viri teſtes eſſe poſſunt, & præcipue excellentiſſimus noſtro ſeculo medicus Ioañes Argenterius fidem facere debet, qui cum hæc agerentur præſens fuit. De differentia teſtitudinis nihil addidit monachus: tamen ſi quid inde auxilij ſperandum ſit arbitror in podagra frigida applicandas terreſtres, in calida aquaticas: nam illud diſcrimẽ obſervare ſoleo, ab alijs primum edoctus, in ungvento quodam quod ex teſtudinibus ad arthritidem compono, quo alias feliciter ſum uſus. Nolim hoc aut ſimile remediũ

parvi fieri, quod ab usu cõmuni, aut à ratione alienũ videatur: nam multa sunt in rerũ natura, quæ experientia talia comprobat, licet ratio nihil invenit, quo illa dijudicet. Excellentissimi ante nos medici illis usi sunt, & divinissimus Galenus utitur subinde, quẽadmodum passim videre est, & Alexander Tralliānus fidem facit lib. 7. cap. 13. Reiner. Solenand. Sect. 1. consil. medicinal. 20.

OBSERVATIO CLV.

De nodosa podagra curata in nobili Silesiaco.

LEonhardus à Schindell in Susterhausen, Vir nobilis in Silesia, & primarius Ducatus Svvidnicensis Ioravienſis, natura calidus & siccus, sed jam etiam Podagra & morbis Arthriticis, in hac regione, ubi tunc rariores erant, alijs multis antecessit, sæpe ad consilium meum confugit, & sat felicem curarivam experitur. Denique meam operam urget in tollendo nodo circa genu, magnitudine ovi gallinarum, qui jam septem ãnos duraverat. Etsi vero non ignorabam illud Catonis: Tollere nodosam nescit medicina Poda-

Podagram: tamen post sufficientē evacuationē,& totius corporis curativam aliquoties factam, ad nodum illum curandum accessi, & menti nostræ prælucebant hæ indicationes. Primo: Nodus qui superabundat &actionem articuli inprimisq; genu lædit, indicat tollendum esse. Secundo: Essentia nodi jam durioris facti partim ex phlegmatica,viscosa,lenta; partim ex melancholico humore,indicat esse & alterandum & discutiendum. Tertio: Materia pituitosa, & lēta,indicat parum discutientibus nihil juvari. Quarto: Materia eadem indicat discutientibus fortiter subtiles partes dissipari, alias vero magis incrassari,indurescere,& incurabiles reddi. Quinto: Collatio igitur indicationum indicat partim emolliendos esse nodos, partim fortiter discutientibus esse dissipandos. Materiā auxiliorum consuluimus hanc. Διαιτητικὴν, ut attenuanti victus ratione aliquandiu diligēter uteretur. Deinde tiam Φαρμακευτικὴν hanc,ut post verā curativā totius corporis localia duo alternatim adhiberet,triduū fomētationes ex hisce herbis,factas hoc modo.℞.herb.betō. hyperic.origā.an.m.ij.puleg. melissæ an.m.s. maluç m.iij. bismalvç m.iiij fl. chamomill.

m.s.ſtoechad. arab. unc. s.Coq. in ſ. q. aq. & vini ad medietatē uſque: poſtea ſpōgia quotidie ter applicabatur, vel etiam aliquando calido linteo puro. Quarta die unguentū, quo inūxit iſtum nodum quotidie bis, mane & veſperi, quod ℞. ol. lil. unc. ij. de gran. juniperi, chamæmeli, ſpicæ nardi an. unc. j. rutæ, pingued. anatis drach. j. pul. bacc. lauri, ireos an. drach j. ceræ q. s. f. unguentum. Quinta & Sexta die iterum repetita fuit fomētatio, ſeptima die inunctio. Denique ſequentibus diebus uſque ad 14. diem alternatim fomentatio & inunctio facta fuit, in fine inunctio ſingulis diebus bis, atque nodus plane ceſſit atque evanuit. De C L. V.D.D. Iacobi Horſtij Obſer. libro, per D.D. Laur. Scholzium ad me miſſo.

OBSERVATIO CLVII.

Arthritis hæreditaria in Sebaſtiano à Dō-mendorff in totum curata, ut nunquam poſtea rediret, etiamſi ſuperſtes annos 20. adhuc viueret.

SEbaſtianus à Dommendorff patritius in Sileſia Svvidnicenſis, nātus 30. annos, laborabat Arthritide & antea & tunc ſimul etiam

etiam podagra & chiragra, cujus patrem Ischiaticum & matrem arthriticam, fere hoc morbo enectam, sæpius curavi. Hic ad cõsilium meum confugiebat, in curando paroxysmo, qui quotannis bis terve redibat, sed triginta & unum annos natus urget talem prẹservativam, ut ab Arthritide prorsus liberari posset. Institui eam, sed cum prędictione, quod nihil certæ salutis promittere queam. Continuo curationem ad mensem usq; tertium, nec unquã redit, licet adhuc supestes 20. annos viveret. Is natura erat calidus & siccus, ad iracundiam valde proclivis, sed genere vitæ partim luxurioso, partim etiam nimis quieto utebatur. Insuper pro cadente ætate accesserat asciticia natura, nimirum inæqualis complexionis frigidioris intestinorum & cerebri calidioris, calidioris a. epatis & renum. Causæ internæ hujus Arthritidis erant pituita & bilis. Causæ externæ antedictæ, ad quas iracundia comes Podagræ accedebat. Signa erant, dolor articulorum in digito pedum, atque manuum etiam in tarso, genu & cubito, tanto semper vehementior, quanto minus tumor aderat; tertia vel quarta die plerumque articuli intumescebant, rubor apparebat, dolor tandem parumper leniebtur, modo cũ,

modo ſine febri rabiē ſuam in corpus exercebat. Prognoſtica ſæpe illi dixi, non eſſe mirum ipſum affligi Podagra, cum ambo parentes ſimul laborent hoc morbo. Virtus ſemper robuſta erat, nec ullam amplius indicationem de ſe præbebat. Curativa ſeu potiꝰ preſervativa mea nitebatur his Indicationibus. Primo: Pituita & Bilis indicat eſſe evacuandum & alterandum. Secundo: Bilis maxime peccans in ipſo pituita minus, indicat magis bilem purgandam minus pituitam. Tertio: Bilis ſatis furioſa, quę modo in hunc, modo in alium articulum quavis fere hora movebatur, ideoque quaſi turgēs indicabat pſertim purgādū eſſe. Quarto Bilis alterāda indicat eſſe digeſtivis refrigerandum & humectandū. Quinto: Materia fluxilis & valde mobilis indicat fluxionem quodammodo inhibendā eſſe. Sexto: Cacochymia maxima ex parte bilioſa indicat dies aliquot cibis boni ſucci, vel ſimul refrigerantibus & humectantibus eſſe nutriendum, & per epicraſin hanc Arthritidem curandam. Septimo: Natura partium in hac Arthritide affectarum indicat eorum habendam eſſe rationem. Octavo: Natura partium mandantium, inprimiſque Cerebri & Epatis, indicat membra principalia & evacuanda & corroboranda. Nono: Na-

tura partium recipientium, seu articulorum indicat subinde quibusdam astringentibus & appropriatis firmanda. Materia auxiliorũ juxta has indicationes exhibita fuit. Primo: Purgans bilem maxime, & pituitam aliqua ex parte, in forma boli, qui ℞. El. lenit. unc. s. Indi, Diacathol. an. drach. j. s. cum sacch. q. s. f. Bolus. Secunda & tertia die digestivã potionẽ corroborantem calide bibere jussi mane & vesperi, quæ ℞. syr. de beton. unc. i. de succ. acetosæ unc. j. aq. fragar. acetos. hypericonis, an. unc. j. misce, & f. potio pro una vice. Quarta die iterum purgabatur potione sequenti, ℞. rad. caryoph. drach. j. cichorii, borrag. an. drach. j. s. polipod. unc. s. sem. carth. drach. ij. anisi, drach. j. s. 4. frig. maj. an. drach. s. Herb. beton. veronicæ, acetosæ an. m. i. fol. sennæ unc. j. s. flor. stœch. arab. drach. ij. borrag. ros. rubr. an. p. j. passul. minor. excort. unc. j. coq. in s. q. aq. ad tertias. post colentur unc. xiij. & infund. in colatura rhabar. scrup. iiij. agarici trochisc. in petia ligati scrup. ij. spicę Ind. gr. iiij. macis scrup. s. stent in infus. per noctẽ, mane colẽtur, ℞. colaturæ hujꝰ unc. iiij. syr. de beton. ros. solut. an. unc. s. Mis. f. potio. Reliquũ servetur usui. Quinta die & sexta mane quãtitate Castaneę comedit cõditũ, quod ℞. cõs. ros. antiq. unc. j. s. acetosellæ unc. j. borrag.

beton. ana unc. s. nuc. moſch. drach. j. ſpecier. diamoſch. dulc. diarrh. abb. an. ſcrup s. cum ſyr. de cort. citri q. s. f. Conditū, ſec & hoc Condito juſſus eſt uti bis terve interdiu, quantum capit cuſpis cultelli, ut jejunaret poſt ſemihoram: ſeptima die lambeba de ſyrupis Qui ℞. ſyr. de betonica, deſucco acetos. de ſucco granat. an. unc. j. s. aqua veronicæ unc. j. miſc. & detur. De quo bi mane & ante noctem ſumebat. Octava di iterum potione purgante ante dicta uſus eſt. Nona diu pilulis, ut radicitus articuli à pe cantibus humoribus expurgarentur, qua ℞ pil. alephanginarum, cochiarū, artheticar. an. ſcrup. j. de hermodactilis ſcrup. s. cum ſyr. de ſucco acetoſæ q. ſ. f. pil. 15. Decima & ſequentib. dieb. cōdito ante dicto utebatur, mane & hora poſt, vel rotulis diarrh. abb. vel cōſ. roſarū. Poſtremo licet exterius Arthriticis nō multa ſunt applicāda, tamē corroborandorum articulorum gratia, & cauſa repercuſſionis refrigerantibus Epithematibus uſi ſumus per intervalla. ℞. Aquæ plā tag. millefolij, fol. quercuum an. unc. iij. roſ. unc. ij. aceti unc. j. miſce & f. Epithema. Denique poſt ſufficientem purgationem aquis antedictis miſcui aquam lavendulæ, pulegij, & chamomillæ aliquando minori quā titate, aliquando majori. tandem quatuor·

decim dies feriatus est á medicamentis, ac postea iterũ ad usum horũ omniũ redij eodẽ modo, nisi quod in fine integrum mensem corroboranti condito & rotulis usus sit, quæ ℞. marg. præparat. scrup. s. cornu cerui usti scrup. j. smaragdi præparat. gr. v. ol. nucis muschatæ per expres. drach. j. sacch. clarif. lib. s. aquæ lavendulæ unc. iiij. coq. ad consumtionem aquæ, & fiat confectio in rotulis. Hic nunquam toto tempore vitæ suæ, cum viginti annos adhuc superviveret, podagram habuit, quod ipse in eo, qui hæreditariam ab utrisq; parentibus habuisset, mirabar. De CL. V. D. D. Iacobi Horstij Observat. per D. D. Laurentium Scholziũ ad me missis.

OBSERVATIO CLVII.

Calculi sive lapides in podagricorum juncturis & extremitatibus nati.

Vidimus verum gypsum juncturas exire, quod in tanta copia abundabat, ut quidam experiri voluerit an gypsi officio fungeretur: nam omnes gypsi qualitates, quæ sensu præsentantur, habebat. Collegimus fere hujus gypsi unciam, & in pulverem redegimus, postea addita aqua subegimus, &

lapidem delinentes, parietique applicantes, lapidem tenaciſſime ſuſtinebat, ut etiam verum gypſum in hac proprietate excederet. Braſavolus Comment. ad Aph. 79. lib. 4. Aphor. Hipp.

Rochij, quod Miſſenæ oppidum eſt, civis quidam habitavit honeſtus & pius: qui ibidem ſeptuagenarius vitam finivit, magnis doloribꝰ confectus, nomen illi Ioannes, Cognomen Oberdorffero fuit. Totos enim annos viginti dolore artuum miſere cruciatus fuit, reque impari, una cum ætate nimirũ morboque augeſcente: nec continuo, ſed per intervalla redeunte. Morbus, ut ſolet, pedes primũ, inde manus brachiaque, tandẽ humeros quoque & ſpinam dorſi occupavit, donec progreſſu temporis omnes corporis artus invaſit, quos ſi quando una vice furẽter perrepſerat omnes, quod ætate profecto ſæpe eveniebat, in digitorum pedum manuumque extremitates devolutus deſinebat, ubi dolor conquieſcebat paululum. Tum enim puſtulæ ijs locis ſurgebãt, primũ glaucę, deinde maturato pure flavę: q̃ ruptę aut acu ictę magis etiam dolebãt, ante afflicto, quã ubi impunctæ relinquebantur. Sic igitur ſtantibus tuberculis, materia intus ardore exiccata, uſtulataque novaculis ſuc-

creſce-

creſcebat: cui præciſæ vomicæ iſtæ, dolore jam intus ſedato, lapillos in ſe continebant duriuſculos, colore cinerio nigriores: grano piperis paucos majores, minores plurimos. Ioann. Kentmannns libel. de Calculis.

Trebinæ in Marchia alius etiam domicilium habet Ioann. Schuneman, ætate quidē gravis, ſed corpore adhuc firmo, & obeſo qui arthritide ſimiliter valde infeſtatur añiverſaria. Quoties vero cruciatus omnes corporis articulos permearunt, in utriuſq; pedis pollice vomicæ enaſcuntur, juglandibus non minores, ſed doloris ardentiſſimi: quo mitigato, conflacceſcunt rurſum, ſanie intus areſcente. Vbi igitur puſtularum doloribus jam levatum ſe ſentit, incidi eas patitur: tum calculi eruuntur ſubrubri, piſorum aut fabarum etiam magnitudinem habentes, & tuberoſi, quibus ſemel liberatus, novos timet ardores, donec tandem interimant, quod ſæpe exanimo optat & expetit, Idem.

In morbo articulari pleriſque à pituita cruda, reſiccata, craſſo terreſtrique humore indiſſolubiliter impacto reſolutis partibus tenuioribus, tophos, Græci πάρες velut calcem, in juncturis enaſci videmus, quam etiā exemtam materiem paulatim excipit alia. VVierus lib. 3. cap. 15. de præſtig. dæmonū.

Duo Lapides albi satis crassi & ampli à junctura brachij, Domini de Rhovet, illoq; vivente, novacula fuerunt excluſi. His diebus unus est tractus à manus dextræ pollice, devotissimæ monialis Charracæ in Cœnobio, Sanctæ Crucis dicato, degentis. Ferrandus Senior lib. De Nephritide.

Tophacea quædam est, humor substantia, nec minore tamen interdum consistētia, quam rerum ipsarū calculi sint, quales magnitudine insigni vidimus de pedis pollice extractos Hungaro primati viro, candicantes, Iul. Alexandrinus Annotat. ad lib. 14. Therapeut. Meth. cap. 13.

Mulier quædam Luceriæ Helvetiorum, è nodoso pollice pedis siniſtri, pugni magnitudinem excedente, calculos tophaceos, è quibus minimus piso major erat, plusquam viginti, suppuratione illic facta cum maximo dolore, successive reddidit. D. D. Felix Platerus de observat. proprijs.

OBSERVATIO CLVIII.

Grandines, emplastri vi, ex ulceribus podagricorum eductæ.

POdagricus in Herenberg oppido ulcera expertus in pede vel suris, forte fortuna

præ-

præsens, cum chrirurgus auferret emplastrũ exemi ex vulnere grandines quasi, vel juxta Theophrastum Tartarum gypseum. Tanta est naturæ sagacitas in sequestrandis molestijs naturæ. Nec alioquin tophos sensit in membris, etsi incurvatus nonnihil incedit. temperamenti præsertim capitis pituitosi. D.D. Esaias Meuchsnerus in observationib. proprijs.

OBSERVATIO CLIX.

Curatio tophorum natorum in juncturis eorum qui morbo articulari excruciantur.

CVm mihi olim caseus allatus esset bubulus, quem ex odore acrem esse conijciebam, abjeci, & jam à famulis absumtum putabam: Cæterum illi talia servare soliti, longo post tempore ex promtuario proferẽtes, quid nam de illo fieri juberem, rogabant. Cum igitur edendo non esset, propter acrimoniam, ludicrum nobis problema extitit, proponentibus cui rei quis illũ utiliter posset accommodare. Interea cum ad me arthriticus quispiam in curru convectus esset, tophos quos Græci πώρους nuncupant in articulis habens, subijt mihi crure suillo salso decocto

decocto caseum eo decocto macerare, ac probe in mortario subigendo, unitum, tophis imponere. Et sane Arthriticus ab hoc medicamine magnifice adjutus est. Nã rupta sua spõte cute absque incisione videlicet effluxere quotidie citra dolorem tophorũ particulæ. Vbi autem totus qui apud me erat caseus fuisset absumt⁹, talem sibi alium comparans arthriticus in posterum servavit, & postea rursum usus est inveterato, atque ubi tunc quoque idem percœpit commodum, sępius deinceps uti perseverabat, & quosdam amicorum similiter affectorum docuit. Atq; id quidem nos excogitavimus, cæterum comprobavit atque confirmavit experientia. Gal. lib. 10. de simpl. Medicament. Facult. cap. de Caseo.

Ex podagricorum juncturis, muria, & caseo vetusto, & pyritæ usti scobe rupta cute plurimos extraximus (calculos) candore steatis, duritia invictos. Scaliger Exercit. 108. P. 3. subtilit. Cardani.

OBSERVATIO CLX.

De Ischiade & Arthritide à siccitate.

QVemadmodum in lib. de passionibus, seu de affectionibus internis Hipp. coxendicum dolorem generari à bile affirmavit,

vit, ibidē pariter eundē dolorem à ſiccitate articuli procreari teſtatus eſt. Cujus cauſæ nec Galen°, nec alius poſt eū author uſquā meminit; dum iſchiadis vel cognitionem vel curationē tractarent. per ſiccitatem autē non intelligas intemperiem ſiccā partiū ſolidarum articulum ipſum conſtituentium, videlicet oſſium, ligamentorum, & tendinum, ſed conſumtionem ejus glutinoſæ humiditatis qua naturaliter nutritur, & ad faciliorē motū ſubungitur articulus ipſe. talē humorē corinue natura articulis ſubminiſtrat, ne exſiccati ad motum inepti reddantur. Cum autem contigerit humiditatem hanc aliqua ex cauſa, quæcunque ea extiterit, exſiccari, tunc articuli motus impeditur, difficultaſque in motu, ac dolor una ſuccedit. hujuſmodi affectū, ſi in coxę articulo fiat, vocat lib. cicato Hipp. Iſchiadē, coxendicumve dolorē, perinde ac vocet eos qui à fluente generantur materia. quē eundē affectū ego non in ſolo coxę, ſed in quocunque alio articulo gigni poſſe animadverti, hincq; fieri alteram arthritidis differentiam noravi, ſi per arthritidem omnem articulorum dolorem, ac impeditum morū intellexerim°. conſumta enim ea humiditate quæ ex naturæ præſcripto articulos

ſubun-

ſubungit, & humectat, coguntur ac in unum compinguntur articuli: Vnde ad motū inepti ac impotentes redacti, dolore ex quocunque leviſſimo motu cruciantur. Tales articulorū dolores in conſtitutionibus ſicciosibus Hipp. lib. 3. Aphor. 16. fieri monebat: quoniam ut docebat Gal. in ejuſdem Aphoriſmi commentatione, immodicæ aëris ſiccitates articulorum humiditatem conſumentes ad motum difficiles ac impotentes reddunt, doloremque hinc nonnunquā invehunt. An autem tales affectus vere ſub nomine arthritidis comprehendantur, viſus eſt negaſſe ibidem Galen°, cum tamen rem indeterminatam reliquerit: qui cum de nominibus parum ſolicitus fuerit, ideo hanc partem, quæ circa nomen arthritidis, & nō circa ejus eſſententium verſatur, neglexit. Si autem nos per arthritidem morbum in articulis à materia fluente factum intellexerimus, tales dolores, ac articulorum impedimenta, ſub nomine arthriticis non erunt recenſendi. Si vero omnem arriculorum impeditum motum ac dolorem per arthritidē audiamus, hi proculdubio arthritidis nomine vocandi erunt. Quam ſententiā Hipp. lib. citato, de affect. internis clare admiſit, pariter coxendicū dolorem hunc, ac

eum

eũ, qui à materia aticrulos occuupante cauſatur, appellans. Qui dolor à ſola humiditatis naturalis articulorum conſumtione, non à ſicca partium ſolidarum, ut jam dictum eſt, ipſum articulum conſtituentium intemperie pendet; quoniã quandocunque illa naturalis humiditas abundaverit, præſtoq; ſit, non adeo inſigniter exſiccari poterunt partes articuli ſolidiores, ut hinc impeditus motus aut dolor ſuccedere queat: deficiente tamen hac humiditate, ac ſupra modum exſiccata nonnunquam etiam cõmunicatur hæc exſiccatio partibus ipſis ſolidis; & hoc potiſſimum cum à cauſa externa, & valida ortum ea habuerit. hincq; ſupra modum exſiccatis circa articulũ tendonib⁹ & partibus nervoſis in hac affectione, conſueverunt aliquãdo, ut notavit Hipp. ſuccedere convulſiones quas aliquando ſequuntur & febres, quæ ratione doloris & cruciatus accendũtur. Hæc de nomine & eſſentia hujus affectus; nunc cauſas recenſeo. Quæcunque humiditatẽ articulorum naturalem reſiccare & conſumere apta ſunt, ea omnia talem coxendicũ dolorem talem vearthritidem cauſare poterunt. Vnde & diuturnũ ac vehemens exercitium ſub ſole factum, ut habet Hipp. libro de affectionib. internis, & ſiccitates aëris im-

modicæ, ut habetur lib. 3. Aphorismo 16. possunt esse eorundem causę. pariter & victꝰ exsiccãs hoc idem causare poterit; quoniam hinc consumtis humiditatibus internis etiã illæ, quę ad articulos naturaliter defluere solent, multoties consumuntur. cujus ratione, ut recitat Hipp. qui in Aeno leguminibus (quoniam talis victus est exsiccans) vesebãtur, infirma habebant crura. & qui Orobos (quoniam hi leguminibus sunt sicciores,) comedebant genuum dolores patiebantur. Quod idem & longæ ac diuturnæ ægritudines, quæ corpus exsiccare aptæ sint, agere poterunt: vnde videmus aliquando convalescentes, qui ex hujusmodi morbis liberati fuere, male incedere, ad omnemque motum ineptos esse: qui si etiam coguntur deambulare, non levem articulorum persentiunt dolorem, qui, deficiente ipsorum articulorum naturali humore, succedere consuevit. Harum omnium causarum signa de se patẽt; nam omnes hæ causæ sunt præcedẽtes, quæ vel ex ægrotantis relatione, vel ex sola medici inspectione nullo negotio comprehendi possunt. An autem sicuti ab externis, ita ab internis causis possit talis affectio procreari, si quis quęreret, dixerim hoc pro possibili admittendum esse, cum hujus humiditatis pariter

pariter ac cujuſcunque alterius partis nihil ſit quod exſiccationem impoſibilem reddat. hoc tamen non ita experimẽto comprobatum eſt; quare pro hujus affectionis cognitione ſufficiant ea quæ de exterioribus cauſis expoſuimus. de quibus hoc advertatur, quod ex omnibus moleſtior ea eſt affectio quæ à veheméti & diuturna exercitatione ſub ſole facta occaſionẽ habuit. in hac enim dolores ſunt multo quã in cæteris ſæviores, ac æſtuoſi una cum caloris ſenſu exiſtunt, ſæpiuſque his ſuperveniunt febres, aliquando & convulſiones. Quare quo ad prognoſticum, hæc erit cæteris difficilior, & periculoſior: reliquæ autem non ita ſævæ ſunt, & minori cum diſcrimine affligunt ægrotãtes, ac minori cum labore ab his ijdem liberantur. Quæ omnes affectiones quomodo præſentes cognoſcendę ſunt, ſuperfluũ eſſet enarrare: cum ex ſola articulorũ reſiccatione & compactione, omni tumore abſente, ac ex ſola inſpectione prudenti Medico patere poſſint. Qui medicus has curaturus affectiones, iſtas indicationes habebit, ſcilicet, ut amota omni cauſa externa & præcedente tentet naturalis articulorum humiditatis regenerationem, eorundemq; humectationem quærat. Hæc cõſequetur, ſi eam

vivendi rationem ægrotantibus præscribat, quæ & actu & potentia corpus humectare queat, cujus merito regeneratis humiditatibus naturalibus, adsit eorum copia, apta ad subungendos articulos ipsos. Talis victus ratio perficitur, tum per ea quæ interius sumuntur, tum per ea quæ exteriùs administrātur. Interius convenient cibaria humectantia, quæ sint boni chymi, quæque nec difficulter conficiantur, nec superfluitatibus admodum scateant; talia erunt ova recentia, ac sorbilia, jura ex carnibus laudabilius parata, qualis est pullorum domesticorum, hedorum, lactentium vitulorum, fercula in his parata, carnes eorundem animalium elixatæ, ptisana sola ex frumentaceis, lactis potæ, caseus recens, & quæ hujusce sunt classis. & ubi patientem ventriculi robustioris curandum habuerimus, extremitatates animalium, optime elixatas vel potius eliquatas, nonnunquam exhibere poterimus.

Potus sit vinum tenue, album, aquosum, & ad dulcedinem declive, vel saltem admodum maturitate saturatum. Extrinsecus maxime proficit, balneum aquæ dulcis: in quo si coquātur radices altheæ & malvarū, earūdemq; semina, capita castratorū, extremitates animalium, & quæ hujus sunt ordinis &

nis & facultatis, mirum in modum prodesse poterit. post quod administratum balneum, quamvis æger impotens admodum existat, tamen modice deambulet, hocque singulis agat diebus, ita enim motus facilitabitur, & materia ad propria articulorum loca prõtius attrahetur. Dum hæc peraguntur, caveant ægrotantes, ne frigus aliquod patiantur. hoc enim articulos valde lædere poterit, & materiam intercipiendo, & eosdem in unũ cogendo, & rigidos eos reddẽdo: quare omnibus exterioribus vel calidis, vel saltem tepidis utantur. Vbique à balneo abstinuerint, fomẽta ex ijsdẽ rebus parata in usum habeant: in quorũ administratione hoc animadvertant astantes, ut antequam caro detumescat, vel hominem è balneo educant, vel fomenta removeant, alias in his administrãdis ex succedente humoris attracti resolutione restauratio deperditæ humiditatis non esset speranda. Possunt ad idem parari emplastra, quæ articulis apposita eos humectare possint, quæ formentur ex axungia suilla recenti, butyro recenti, oleo amygdalarũ dulcium, medulla vitulina & cervina, mucilaginibus lini, althææ, fœnugræci, addita cera nova (hæc enim antiqua est humidior) ad pondus omnium prædictorũ plusquam di-

midium. Si autem in præsenti affectu sit periculum convulsionis, ob introductam ingentem articulorum exsiccationem, ultra balneum & fomenta, inungantur loca patientia & eis cõmunicantia aliquo oleo actu quidem calido, sed quod nullo pacto resolutionem notabilem causare valeat. tale erit oleum dulcissimum, narcissinum, masthichinũ, chamomęlinum, lubricatum, amygdalinũ, & similia. hæ enim olea poterunt magis tueri articulos á frigore externo, & tendines, ac circumstantes articulorum partes laxando poterunt patientes à dolore, & inde à convulsionibus præservare: quæ si instent, abstineant ægrotantes ab omni genere vini & bibant mulsam dilutam, caveãtque ab omni evacuatione, quoniam hæ omnes possunt corpus ipsum magis exsiccare. An autem, dum hæc peraguntur, vel purgãdi sint medicamẽto electivo patiẽtes, ut docet Hippocrates, vel si hoc non conferat, clysteria acria, qualia ipse imperat, imponenda veniant, propter senis authoritatẽ quis ambigere posset. Attamen ego ejus sum sententiæ, ut in tanta articulorum exsiccatione omne evacuationis genus noxium ac suspectum sit, dictante hoc ratione, videlicet

licet evacuationes omnes, & præcipue validas, non tantum pravas, & non naturales, sed etiam naturales humiditates disperdere: quapropter caveant in hujusmodi affectionibus Medici ab omni valido medicamento solvente, ne humiditates ad articulos attrahendas dissipent: nisi forsan ratione exsiccantis cibi, quali habitantes in Aeno usi erant, hæc affectio inducta fuerit: in his enim potuit aggregari ex malo victu copia pravorum & terrestrium humorum, qui exturbãdi & ante articulorum laxationem excludẽdi erunt. hoc tamen caute agatur, semper hac habita ratione ne in horum humorum deturbatione articuli ulterius exsiccentur. ad quam intentionem poterunt satis præter pharmacum facere clysteria acria, eos ad vias communes derivando, ac eosdem ab articulis revellendo. quo peracto facile erit homines renutrire, & humiditates naturales regenerare, ac articulos ipsos prædictis medicamentis, ac prænarrata victus ratione laxare. Quæ omnia dum fiũt, omnes causæ, quæ talem articulorum siccitatem introducere, vel eandem conservare possunt, amoveantur. Vnde fugiant hi omnem vehementem motum,

æstivum cœlum, aëris siccitatem, Veneris usum, animi accidentia molesta, exsiccantem victum, externum frigus, & cætera omnia quę harum partium humiditates dissipare ac resiccare queant: & quantum fieri poterit causas prædictas per opportuna præsidia rescindant, eisdemque per convenientia auxilia resistant. Petrus Salius de affect. partic. cap. 17.

OBSERVATIO CLXI.

De Ischiade à materia biliosa.

ARthritim fieri à quacunq; materia quæ transmissa vel ab universo corpore, vel à determinato membro, per proprias vias in cavitatibus articulorum, & in circumstantibus partibus recipiatur, dogma est Galeni antiquum, ab omnibusque acceptatū. Contra hanc sententiam insurrexerunt Moderni discrepantes de materia, de membro mittēte, di vijs, & de loco in quo hæc materia recipiatur. Materiam unicam esse, hancque pituitosam, subtilem & serosam, affirmant: quod si in arthritide quandoque sit rubor & calor, dicunt hoc fieri ratione doloris attrahentis, sicuti & asserunt febrē huic aliquādo connecti non ex se, sed quia hæc affectio contingat in temperatura impense calida, & in corpore plethorico, quodve ex levi occa-

sione in febrẽ incidat. Mẽbrũ mittẽs dicunt esse solũ caput, in quo extra calvam sub cute talis aggregatur materia, q̃ sẽsim trãsmissa ad partes inferiores, modo ad hos, modo ad illos dilabitur articulos, negantque à viscerib⁹ & internis partibus hanc transmitti; quoniã syncerus humor per venas non potest ferri, nec sanguini permixtus potest syncerus in articulos excidere. ad quos si etiã cum sanguine emanaret, phlegmonem, non arthritidem excitaret. Quapropter viam, per quã hæc materia in articulos descendit, dicunt esse sub cute tantum, ubi laxæ, & amplæ sunt viç, non autẽ p venas permeare. in medijsq; earũ viarũ regionibus dicunt eam non subsistere, quoniam, cum sit subtilis, penetrat usque ad loca densa & compacta, quibus hęreat, & ideo in articulos tantum firmatur. loca autem in quibus hęc materia retinetur, dicunt non cavitates articulorum esse, sed in ligamenta, in perioștia & in tendones recipi, hoc argumento, quod in tophacea podagra, aperta, ruptave cute, plerunque è digitorum articulis eruitur humor in tophum conversus vinculo integro & illæso, addito hoc, quod si in Ischiade, cum ligamenta vel nullius vel obtusi sint sensus, si in coxendicis pixide, in ejusq; cavitate materia recipe-

retur, nec tam vehementem, nec tam late vagantẽ dolorem inveheret. ſententia hæc ſicuti Galeno, ita & veritati contradicit, nec digna eſt ut á Medicis recipiatur. Quod non unica ſit materia quæ arthritidem generat; apparet clare ex diverſitate coloris, tumoris, doloris, ſymtomatum, & modo curandi. color enim alias eſt rubicundus, alias flavus, alias albus. tumor aliquando eſt notabilis magnitudinis, quandoque enim vix apparet dolor, quandoque eſt moleſtus quidem, ſed non multum, quandoque autem eſt acerrimus. hicque nonnunquam cito ſolvitur, ille longius protrahitur. ſymtomata autem multoties ſequuntur mala, ut caliditas ingens, & fervor in loco affecto; aliquando autem eorundem vel nulla eſt caliditas, vel frigiditas ineſt moleſta, illiq; ab aëre calidiori, hi à frigidiori lædũtur. modus curandi nonnunquã admodũ variat, quoniam in his calida juvant, in illis frigida, illique à frigidis, iſti à calidis exacerbantur: præterea quidam ex ſanguinis, quidam ex pituitæ, alij ex bilis, nõnulli ex atræbilis evacuatione ſedantur, quę omnia indicant arthriridis cauſam modo calidam, modo frigidam, ac diverſam eſſe materiam. Nec reſponſum eorũ ad hoc facit, cum di-

cunt

cunt hanc diversitatem causari tum ratione doloris attrahentis, tum ratione subjecti recipientis; quoniam si ex colore, dolore, symtomatibus, & modo curandi diverso, diversam materiam peccare non deberemus conijcere ac judicare, tota destrueretur medicina, omnesque tumores pariter à pituita constituere possemus; quoniam ruborẽ, calorem, symtomataque cætera ratione doloris attrahentis fieri, non autem ratione materiæ peccantis, esset affirmandum.
Quod membrum mittens aliquando sit cerebrum, non negatur: quod autem semper ab eo in quacunque arthritide materia defluat, falsum est; aliquando enim à toto, aliquando á determinato mẽbro hæc transmittetur, nec semper præcedunt hunc morbum capitis affectiones, nec semper in omnibus materiæ sensibilis descensus à partibus, ad inferiora persentitur. immo sæpissime nullo præexistente capitis alteriusve superioris partis affectu, subita fit arthritis, quod sæpissime animadvertent, qui hanc artem consumabunt, videbuntq; modo hepar, modo lien, modo ventriculũ, modo uterũ, modo aliam internã partẽ, modo totũ corpus, non autẽ semper caput esse in causa hujus affectionis. Nec est quod mirentur isti, quando per venas à partibus intimis, à

viſceribuſq; ipſis in articulos humor aliquã-
do feratur, quoniam virtus expultrix, ubi vi-
geat, à partibus interioribus ad exteriores
materiam naturæ gravem detrudere ſolet,
ac poteſt. & hæc propria vaſa, per quæ uni-
verſo corpori materiæ ingeſtæ communi-
cantur, quæ ſunt venæ, & arteriæ, á quibus
quomodo poſſint ſanguini commixta per
eorum ora in articulos pura excidere, non
aliam quærant viam, quam eam, quam ipſi
proponunt in ſua cauſa, dicentes, venas ab
externis jugularibus deductas extra calvam
ſub cute ſua excrementa tenuia & ſeroſa de-
ponere. quod idem cum cęteræ venę termi-
nantes ad articulos poſſint vi facultatis ex-
pultricis agere, nõ erit dubitandũ, quo mo-
do extra venas traduci poſſit ſyncerus hu-
mor. qui cum eis aſſirmantibus poſſit eſſe
frigidus, nihil refragatur, quod etiam poſſit
eſſe calidus, qui ratione ſuæ tenuitatis facili-
us frigido in articulos deponi poterit. Nec
eſt quod ſi unus humor extra venas trãſmit-
tatur cum eo ſanguis ei cõmixtus tranſmitti
etiam neceſſario debeat; quoniam hoc fit
vi facultatis naturalis, quæ noxium & ſuper-
vacaneum tantum excludit humorem. alias
in quacunq; expulſione omne humoris ge-
nus promiſcue & una commixtum educere-
tur,

tur, nũquam daretur tumor purus vel à sanguine, vel à bile, vel ab alio humore. animadvertatur tamen, quod cum concedim⁹ syncerum humorem extra venas in articulos decidere, non credatur ita syncerũ semper esse, ut nullius mixtionem unquam admittat. Sed dicitur syncerus à prædominio; quoniam vel nihil, vel parum quid ei commixtum est. Vnde bili aliquando sanguis commisceri potest, & hinc causare arthritidem. Nec tamen tunc veram potest causare inflammationem; quoniam intra cavitates, non in substantia membrorum, materia recipitur. Cujus oppositum cum contingat in cachexia, decumbentibus per venas in pedes humorib⁹ crudis, est in causa quod tumeant quidem pedes, sed non hinc arthritim patiantur, & præcipue cum in his non sit articulorum imbecillitas, quæ necessario ad arthritidẽ procreandam requiritur. quate certo affirmetur humores à visceribus intimisq; pattib⁹ ad articulos per venas transmissos aliquando arthritim procreare: quã tamen quãdoq; etiam à capite delabi, & per exteriora trãsmitti asserimus, & atteſtamur. Cum autem materiam recipi in ligamenta, in perioſtia, & in tẽdones, docere nituntur, quid ad Galeni rationem, quam consulto tacuerunt,

cuerũt, reſpondere poſſunt, cum inquit, argumento eſſe materiam in ſubſtantia membrorum non recipi, nec hinc veram inflammationem cauſari; quoniam viſus eſt nũquã podagricus pati convulſionem, quæ frequẽter ſolet in nervorum ac tendonum inflammationibus advenire? hæc Galeni ratio eſt demonſtrativa, nec eam impugnare poſſunt quæ in contrariũ adducũtur videlicet, quod ſi in Iſchiade materia eſſet in pixide & cavitate articuli coxendicis contenta, cum ligamenta obtuſi ſint ſenſus, non poſſet doloré nec vehemẽtem nec late diffuſum cauſare; quoniam hæc ſententia Galeno non adverſatur, qui docuit materiam non tantum in cavitatibus articulorum, ſed etiam in cavitatibus circumſtantium membrorum uſque ad cutim recipi. quia vero articulationes hac materia implentur, ideo circumſtantia ligamenta, id eſt, nervi & tendones extenduntur: cujus extenſionis merito neceſſario dolent. quare docet fieri dolorem non ratione materiæ intra cavitatem articuli exiſtentis, ſed merito extenſionis nervorum & tendonum circumſtantium. Vnde in Iſchiade vere quidem dolor non cauſabitur á materia contenta in pixide: quoniam in ea nulla pars ſenſi-

sensitiva locata est, sed ab ea materia quæ circumstantia loca occupans nervos & tendones offendit. Quod autem intra cavitatem articuli coxēdicis in Ischiade recipiatur materia (quod negare hi audent) sola Hipp. authoritas eos monere debebat, dicētis: Quibuscunque á coxendicum dolore molestatis excidit coxa, & rursus incidit, ijs mucores superveniunt. Qui mucores cum laxiora reddant articulationis ligamenta, facile articulus ex cavitate excidit: quod fieri non posset, nisi in cavitate illa mucores continerentur, quod idem ex sequenti Aph. dicente: Quibuscunque à coxendicum dolore molestatis diuturno excidit coxa, ijs crus tabescit, & claudicant, si non urantur: elici potest: quoniam excidere non potest ex coxendice dolore coxa, nisi ratione materiæ intra cavitatem articuli existentis, eundemq; ultra quā deceat madefacientis, cujus merito aduſtionem administrandam esse docet. Pro confesso igitur habeatur in Ischiade contineri ad intra pixidem coxendicis materiam, sed non ab ea causa dolorem, qui solum ab illa, quæ circumstantes partes occupat, nervosque ac tendones extendit, generatur. hincque fieri, quod dolor sit vehemens, & cum

ad in-

ad inferiores partes hi nervi descendant, quod dolor hic late & longe diffūdatur. qua de re dolor Ischiadic⁹ nullo modo argumēto erit, quod materia in arthritide non recipiatur in cavitates articulorum, & circumstantium membrorum, usque ad cutim, cujus ratione apparere in tophacea podagra statim aperta cute potest humor in tophum conversus & evelli vinculo integro, & illæso quoniam non tantum in cavitate interna articuli, sed etiam in circumstantium partium cavitatibus usque ad cutim recepta materia & in tophum conversa potest immediate sub cute contineri, & apparere: quod non excludit materiam in cavitatibus articulorū recipi, nec demonstrat eandem in substantiā penetrare. Hæc adnotasse volui de arthritide, ne sententia hæc, quam in pernitiem laborantium, si admitteretur, invectam esse dubito, indiscriminatim, & sine examine recipiatur: quare arthritim à quocunque humore in cavitatibus articulorum & in circūstantibus partibus usque ad cutim recepto, vere generari, ad mentem Galeni constituo. Ab hac universali positione analogia sumta in eam deveni sententiam, quam etiam in libro de internis affectionibus, in quo habetur, coxendicum dolorem quandoq; à bile genera-

generari, recipit Hipp. ut Iſchiadicū affectū nō ſolū ab humore frigido & à ſāguine, quē-admodū in ꝑprijs libris declarat Gal. ejꝰ curationem ex profeſſo tradens, cæterique omnes ſcribentes ſimul, ſed etiam quandoq; à bile fieri cenſeam, quod cum me non tantum ratio, & Hipp. authoritas, ſed etiam experientia docuerit, (vidi enim aliquando Iſchiadas factas à bile acerrima) arbitratus ſum hujus curationem ab authoribꝰ neglectam fuiſſe, non quin ab hac fieri poſſit, ſed tanquam ejus affectus, qui rariſſime eveniat. cum utplurimum à pituitoſo & crudo humore procreari conſueverit. licet autem rato hic eveniat affectus, non debet tamen medicus ejus curationem negligere; quoniam, ut dixi, quę raro eveniunt, ſi recte pertractentur, præſtantem medicum oſtendere poſſunt. Qua de re medicus, Iſchiadicum curaturus dolorē, optime animadvertat hæc quæ poſſunt eum manuducere in cognitionem peccantis materiei, ſicuti qualitatem doloris, tempus exacerbationum, prægreſſam diætam, exercitia, habitum corporis, temperamentum, ætatem, regionem, anni tempus, applicationem remediorum, excrementorum vel abundantiā vel rrtētionem, morbos patienti aſſuetos, & omnia alia quæ

hujuſce ſunt ordinis, q̃ omnia poſſunt ſpeciem materiæ peccantis atteſtari: verum quoniam nos tantum loquuturi ſumus de Iſchiade à materia calidiori, & bilioſa; ideo hujus tantum ſigna ponemus, quibus poſitis ad curationem deſcendemus. In tali Iſchiade dolor erit acerrimus, & ſimilis pungitivo, exacerbationes erunt ſæviores alternis diebus, victus ad calidum & ſiccum vergẽs præceſſit, exercita fuere valida, habitus ut plurimum erit gracilis, temperaturæ erit bilioſæ, ætas juvenilis ad hoc plurimum faciet, ſicuti & regio calida, tempus anni æſtivum, dolor à calefacientibus exacerbatur, quod maxime me manuduxit in cognitionem hujus affectus, in tali patiente ſolent abundare bilioſi humores, vel ijdem, qui excerni conſueverant, retenti ſunt, ſolituſque eſt pati morbos à bile, q̃ in hoc morbo magis qualitate quam quantitate lædit, facile iraſcitur, excandeſcentiamque animi facile incurrit. His ductus Medicus in cognitionem materiæ bilioſæ, audacter curã aggrediatur, quoniam morbus hic non ita difficulter, ſi recte curetur, ſolvitur, ut ille à pituita. Quare ſtatim dimiſſis pure repellentibus, quæ in coxendicum dolore non conveniunt; quoniam, cum pars affecta in profundo ſita ſit, ſanguis & humores ex vicinis & ambientib⁹

vasis ac musculis ad illam à repellentib⁹ medicamentis compellerentur, debet tentare ut materiam à loco affecto educat, causamq; fluxionis inhibeat, &, si dolores exacerbẽtur, leniẽtibus agat. Vnde primo ad totius corporis evacuationem descendat. Quare lenita alvo Cassia vel Thamarindis, vel alio simili pharmaco, ubi contraindicantia non æquipollean t, stante totius hepatis, cujus ratione generatur bilis, intemperie calida, secetur vena. Vena autem sit interna, servata rectitudine loci patientis, ubi sit plenitudo. quod si hæc non adsit, secetur vel poplitis, vel tali vena. postea materia his, quæ bilẽ respiciant, & temperare possunt, concoquatur. hæc concocta evacuanda erit pharmaco quod bilem ducat, in quem usum plurima venire possunt, tamẽ cum materia è longinquis partibus evocanda sit, ea assumantur, quæ in substantia solida formantur; cujuscemodi sunt pillulæ aureæ: quæ, quoniã plurimum recipiunt scammonei, in hoc casu p-desse valent. repetaturque hæc evacuatio, quoniã unica vice affectus tolli nõ poterit, qui tamen ex repetita evacuatione maxime sedabitur; mirum enim est, quoniam in talibus affectibus conferant bilis evacuationes, ex quibus maxime leniri solet dolor,

qui si aliquando exacerbetur, inungatur locus affectus, perfundaturque oleo rosaceo, cui admixtum sit dimidium olei camomelini. possūt etiā formari emplastra ex lactuca, solatro, endivia, farina ordei cocta in posca, quib⁹ olea p̄dicta ad impinguādū admisceātur. Infundātur etiā clysteria q̄ simul lenire & refrigerare possunt, cujuscemodi sunt formata ex decoctione, radicum altheæ, seminum lini, foliorum malvarum, violarum, hordei, quibus addatur oleum violatū, saccarum rubeum, lutea ovorum, & cassia pro clysteribus parata. aliquando loco prædictæ decoctionis assumatur lac recens. & si indicium sit bilem acriorem esse, possunt etiā admisceri succi endivię, lactucæ, portulacæ, & similium herbarum; in quo casu etiā maxime probarem balneum, & aërem balnei, tum ad temperamentum, tum ad discussionem: quod si dolor vehemens admodum esset, hincque valde angerentur & cruciarētur patientes, si prædictis non leniatur, applicentur tum exterius tum interius aliqua leviter stupefacientia, quæ in hoc casu stante & materia & intemperie calidiori, poterūt maxime, nullam inferendo noxam, conferre. His peractis, & ijs administratis, quibus superetur morbus, si quid residui remanserit, vel inunctionibus, vel fomentis, vel em-

plastris leniter discutientibus agatur, semper in hoc casu cavẽdo ab omnibus acrioribus & calidioribus medicamentis, à quibus aliquando vidi adeo axacerbatos hos ægrotantes. ut miseri hinc claudicantes, & ad motum impotentes redacti maximis cruciarentur doloribus, quæ omnia deinceps lenientibus, contemperantibus, & refrigerantibus administratis remedijs, lenita fuere. adquam intentionem faciunt etiam plurimum frictiones, in parte opposita adhibitæ, sicuti & cætera derivationum & revulsionũ genera, interim patientes victu utantur refrigerante & contemperante. Vnde ptisana maxime probanda est, lactuca similiter,& omnia cicoracea, cæteraque olera refrigerantia, quæ non tantum veniant in usu pro cibo,sed etiam ut cum his alterentur jura, & carnes assumendę, quę sint elixatæ, nõ tostæ,sintque ex pullis domesticis,ex hædis, ex vitulis, & similibus animantibus, non autem ex sylvestribus,& quę durioris sunt substantiæ; caveãt omnia aromata,radices, herbas acriores, fugiant mel,& omnia quæ ex eo parantur. Vinum in totum interdicatur usque ad perfectam morbi declinationem. Motus sit lenis, somni sint longi, & degant in locis temperatis, omnem aëris excessum

vitantes, iramque, & omnem animi excandescentiam fugiant, alvum lubricam, si non sponte, arte saltem habeant, sique hi præservari ab hoc eodem morbo desiderant, inhibeatur bilis generatio, quæ refrigerato jecore tolletur. Vnde ad hoc balnea naturalia, refrigerantia, cujuscemodi sunt S. Marini Lucenses, & similia, imperanda sunt: quod si hæc non admittant, serum caprinũ, vel lac, pręcipue asininum, in emaciatis & gracilibus corporibus optime conferre poterit, multaque alia consimilia tẽntanda erunt, quorum plurima est sylva in locis, in quibus de intemperie calidiori hepatis tractatur. Petrus Salius de affect. part. cap. 16.

OBSERVATIO CLXII.

Ischiadis locus affectus verus.

ISchias omnium vehementissima sedẽ habet non in eo articulo, quo femoris caput incoxẽdicem inseritur, sed altius ad summã natem, qua nervi à lumbis & ab osse sacro emergentes feruntur in crura. Dolor autem non in sola est coxendice, sed in femur quoque & in suram, & in extremum pedem exporrigitur, quocunque nimirum ab affecta coxendice deductus nervus pertingit. Raro tumor

tumor ineſt conſpicuus, rarius color aut rubor, quod ejus loci ſumma cutis venis conſperſa minime ſit. Fernelius lib. 6. cap. 18. Patholog.

OBSERVATIO CLXIII.

Phthiſis iſchiadica ſeu tabes coxaria Hippocrati cujuſmodi.

ISchiadica Phthiſis ejuſmodi eſt: cum humor contumax, vix tamen excluſus venis in articulum magnum & laxum decubuit, ubi qui calidiore loco concoqui non potuit, ægerrime concoquetur. Eſt enim ejuſmodi articulus, quia oſſe multo & nervo conſtat, natura frigidus. Atque hic depoſitus humor nervos laceſſit, unde dolor gravis venas, qua alimentum cruri diſpenſatur, opprimit, multo magis ſi illic concaleſcens humor putreat atq; corrumpatur, & inde partes in inflãmationem quandam trahat. Primum igitur adverſum crus intabeſcet, & reliquum corpus dolore & vigilijs emarceſcet quam φθίσιν ἰσχιαδικὴν appellat, quia inde marcoris initium eſt, quomodo νατίης φθίσις familiaris, ut inquit, recens ſponſis, & immodica venere utentibus, & φθίσιν

quandam νεφρίτιδα dicit libro περὶ τῶν ἐκτὸς παθῶν. Phthisin autem dico plenius non ab ulcere pulmonis, non à destillatione in pulmones, & inde affectis pulmonibus, sed omnem insignem extenuationem & marcorem. Iacotius comment. ad Coac. Hipp. pag. 228.

OBSERVATIO CLXIV.

Vulnere circa malleolũ inflicto, & arteria dissecta, coxæ dolor levatus.

MIhi ętate adhuc juveni accidit. Minister DEI Pergami diuturno lateris dolore liberatus est per arteriæ in summa manu sectionem, ex insomnij quoq; monitu illud aggressus. Porro alteri, cui ex malleoli vulnere dissecta arteria fuerat, sanguinis efflux haud cessavit, donec ego vocatus totam ptęcidi, ac medicamento ex aloë & mańa, ovorum albo pilis leporinis excepto, usus sum: vulnusq; citra aneurisma curatũ est, osculo arteriæ carne obducto. Homo autem ille, annis jam quatuor ex intervallis parvis coxæ dolore vexatus, deinceps perfecte sanus erat. Galenus De Curand. rat. per venæ sect. cap. ultimo circa finem.

OBSER-

OBSERVATIO CLXV.

Octodecim annis Ischiade afflictus, cauterio eãdem extirpavit.

SApientissimus quidam medicus multos suo tempore laborantes coxendico dolore curavit, & unum affectum eo per annos decem & octo causticofacto ex capitello vivę calcis, & aluminis, cujus crusta butyro vel axungia porci non salita est amovenda: deinde locus apertus à docto chirurgo est conservandus salsa carne, vel ligno buxi per sex menses, ut possit materia per ulcus evacuari. Ioan. Mich. Paschalius de Curand. Morb. lib. 1. cap. 61.

OBSERVATIO CLXVI.

Quotidianis vomitionibus ab Ischiade quidam vindicatus.

NOs Ioannem Spinellum, civem Venetum, quotidianis vomitionibus sanavimus. Alexand. Benedict. de curand. morb. lib. 18. cap. 10.

OBSERVATIO CLXVII.

Mulier à partu Ischiadica facta, unde ejusdem articuli luxationẽ, atq; inde perpetuam claudicationem incurrit.

QVædam matrona à partu coxendicis doloribus cum diu laboraret, vertebra tandem ex acetabulo excidit, perpetuoque claudicavit. Id cum evenit, candenti ferro opus est, ubi junctura cõmittitur, inde enim materia evocatur. alij circa genu exulcerant: ulcera aperta pilula cerea imposita continenda sunt, donec vitium desinat. Prægnãtes cum plurimum id malum dimittit, persequè finit, aliquibus perdurat, qui fere post longos morbos, vi pestifera huc sese inclinante, solent accidere. Idem de Curand. Morb. lib. 18. cap. 10.

OBSERVATIO CLXVIII.

Claudicans ex Ischiade sine luxatione curatus

CLaudicans ex Ischiade veteri, sine luxatione, sed relaxatis & mollitis articulis, sequentib. auxilijs leberatus. ℞. agar. rh. elect. an. scrup. j. pulver. hieræ diacolocynth. drach s. cum syrup. de stœchad. formentur pilul. Poterit addi aliquid pilular. de hermodactyl. Vtatur his pilul. per intervalla, aut etiam syr. observatione 5. præscripto. ℞. Sal. maioran. calamẽth ebul. ivæ arthrit. ruth. rosmar. beton. an manip. s. radic. acor. unc. j. fol. laur. pug. ij. f. decoct. in aq. & ivni quan-

quantitate ſufficienti. Impleatur vaſculum hoc decocto, bene clauſum plantæ pedum admoveatur, dum calor ad cruris ſuperioris articulos perveniat. Eodem decocto pars foveatur. Materia cum oleo laurino ſubacta articulo apponatur. ℞. euphorb. caſtorei, ſtyrac. calamith. ana. drach. ij. liquefcant in vaſe duplici cum olei chamæm. & laurin. ana. unc. iiij. ceræ unc. j. s. therebinthinæ unc. j. miſce pro unguento. Poſt vero, ubi materia fuerit reſoluta, utatur balneis naturalibus, vel factitijs è ſulphure, ſale, & alumine, cum dupla aqua. Emplaſtrum etiam valet ex ebulo in vino cocto. Potus hydromeli, & ratio vitæ conveniens. Holler. obſervat. 7. libro. proprio.

OBSERVATIO CLXIX.

Ex Iſchiade decocto ligni cum dropace Paulli liberati.

EX ſciæ morbo, quem inexpugnabilem eſſe putant, multos liberavi, imo præter Aelium quotquot in manus meas venerunt. atque, inter reliquos, uxorem Hannibalis Crucei, à Senatus libellis, amici noſtri, viri præterea eruditi, jacentem cum doloribus intolerandis, & ea parte qua coxendix aſſiciebatur etiam immobilem jam per quatuor

or mea-

or menſes, tum mihi tempus anni æſtivum favit. Aquam igitur ligni, multo admiſto agarico, & multa radice pytiuſæ, cum gingibere, cinamomo, cardamomo maiore, pyretro, ſantaliſque citrinis, ſalvia & roremarino exhibens: cum moderata non exquiſitiſſima victus ratione, quam ferre non potuiſſet ob morbi longitudinem. demũ, cum ex his coxẽdix non levaretur, dropace Pauli impoſito, perfecte eam paucis in diebus liberavi. Cardan° curat. admirãd. numero 17.

OBSERVATIO CLXX.

Iſchiadis curatio probatis & familiaribus remediis atque hiſtorijs oſtenſa.

DEcoctio hypericonis cum vino pota, mire ſuccutrit Iſchiadicis. Iacob. Dovynet. Apologię lib. 4. cap. 5.

Pollicetur Fernelius lepidium tritũ cum radice Enulæ horæ quadrante impoſitum coxę, preſenti remedio eſſe. Idem pollicetur Aetius, Paul. Aegineta. Fernelius de Alberide vulgo naſturtio agreſti incidente 4. horis emplaſtri modo coxæ cum ſuilla adipe ſalſo compoſiti. Item, calamintha inducta coxæ, ex ea materiã evocat. ſi dolor non leuetur & inveterarit, imponatur ſemen naſturtij ſativi coctum cum polenta & aceto, trahit enim humorẽ ex alto in ſumma cutis.

Idem præstat & sinapi semen tritum cum ficubus. Fimus columbinus cum semine nasturtij tritus & mixtus cum farina hordeacea & aceto inveteratos coxendicis dolores & podagræ extirpat.

Arculanus, Matth. de Gradi, & Arnaldº & Philoniũ ea medẽdi via felicer usi sunt, cum nullis remedijs cessit dolor. Idem expertus est Ioannes Chavangius chirurgus insignis, & vir expertæ industrię, Cataplasmate ex fermenti acris lib. s. cantharid. unc. j. ficuum pinguium pulpa unc. s. concinnato. Matth. de Grado parat aliud ex sinapi, fimo columbino trito ex decoctione ficuum, cum semine nasturtij, & aceti parum. Addit Fernelius farinam hordei. Istud autem rubificat, & vesicis excitatis tollitur: detergentur vesicæ linteo imbuto decoctione ficuum, detersis imponitur brassica tepida, ut inde materia foras evocetur: & ut, quod est coxæ compactum, digeratur, incidatur, extenuetur, & ex alto corpore in summa transferatur & discutiatur.

Nullum nec melius nec præsentius emplastrum expertum & perspectum multorũ curationibus excogitari potest, quam illud Galeni lib. 1. κατὰ γένη descriptum ab Avicenna, quod etiam Tagaultius lectissimus medicus

medicus, doctiſſimusq; philoſophus, & arte dicendi inſtructiſsimus in hunc uſum miris modis commendat, cuius deſcriptio talis: ℞ ſeminis ſinapis, urticæ, ſulphuris, ſpumę maris, ariſtolochię rot. & bdellij ana unc j. ammoniaci, ol. antiqui, & ceræ ana unc. ij. fiat emplaſtrum.

Vidi equitem torquatum, coxendico dolore correptum, relevatum impoſita coxæ placenta ex fermento ſecaligineo, cui mixta erant folia cicutæ minutim conſciſſa, compoſita, cocta in foco candente ſub cineribus calidis linteis involuta.

Alium vidi ex eodem affectu convaluiſſe ex ſucco cœpę, quo tota fuit illita, deinde pipere minutim conſciſſo reſperſa, ſuperpoſita ſpongia decoctione cumini imbuta, facta ex vino albo. Præſtabilia quęque video r perſecutus minutiorib⁹ quibuſdam duntaxat neglectis, quæ nullo ſtudio in mentem cuiuſquam venire poſſunt, ut

Fotus ſalicis ex Dioſcoride
Hiera Hermetis à Matthęo Gradi

Cataplaſma ex ebulo, farina ordei, & melle communi ex Sylvio. Atq; etiam aliud ex eodem ex radice altheæ cocta in lacte, adiecta farina hordei. Idem loco quo ſupra.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXI.

Repellentia coxendicum dolori minimè cõvenire, præclaro exemplo docetur.

COxendicum dolore pressis, repellentibus non est locus, inquit Galenus, ne humor ille malignus coxæ compagi altius infixus, spiraculis cutis contractis cohibeatur, comprimatur, retundatur, impingatur, corrumpatur, & ea contagione imbuti articuli laxentur, vicinę partes rodantur, exulcerentur, sævi cruciatus excitentur, procidat sua compage coxa, redundans illo muscoso humore, contabescat totum crus, & sic ægrotus misere mortem inveniat, quomodo in quadam muliere vidimus, quæ diuturno affectu graviter conflictata naturæ tandem vitam reddidit. Iacob. Douynet. Apolog. lib. 4. cap. 5.

OBSERVATIO CLXXII.

Dolor coxæ fluxu hæmorrhoidum curatus.

QVidam apud nos mercator laboravit Ischiade, cumq; bis esset evacuat⁹, satis validis medicamentis, dolor tamen semp auctus

auctus est. Cumque secundo à purgatione die dolor esset vehementissimus, cum intenso calore, & quodam tenesmo, tandem excrevit magnam sanguinis copiam, cum impetu quodam ex hæmorrhoidibus erumpentem, & statim dolor cessavit. De Observat. D.D. Ioah. Camerarij.

DE CVTE.

OBSERVATIO CLXXIII.

Sine cute natus.

LVdovicus Vngariæ & Boœmiæ Rex, sine extrema cute, quam ἐπιδερμίδα vocant, editus est. Arteq; & inunctionibus ea producta, vel adolescens canos aliquot alebat capillos. Vnde aliqui, non diu duraturum regnum, portendi, sunt arbitrati. Sambucus in appendice Bonfinij.

OBSERVATIO CLXXIV.

Pallio carneo amictus natus quidam.

BRemopirgi Marchiæ urbe infans natus est, ita in corpore circumflua & laxa carnis mole, ut indutus sago militari Germani-

co

co crederetur. Iobus Fincelius de miraculis.

OBSERVATIO CLXXV.

Quosdam visos, qui cutem instar animalium quorundam, vel circa pectus, vel alias corporis partes, movere potuerunt.

AVdio homines fuisse, qui in thoracis regione, & alibi etiam in corpore cutem movere valuerint, quibus procul dubio membrana hæc similis equorum asinorumque carnosis membranis contigit. Vesalius de human. corp. fab. lib. 2. cap. 5.

OBSERVATIO CLXXVI.

Carnosam proprie dictam corporis cutis membranam post cuticulam & cutem veram tertiã male nonnullos cum musculis abdominis confundere.

NOn perperam vocem, carnosa, adjectam arbitror, quum inter reliquas corporis membranas hæc sola propemodum carnosa appareat, vereq; talis consenda est. Quod Arabes paulo exactius ppēdētes, primi omnium, quod sciam, hanc membranam

carnosam appellavisse videntur. Atq; id sane penitus nostræ hujus ętatis medicorum præcipuis indagandum fuerat, qui panniculum carnosum, à Barbaris quibusdam non male me hercule eo nomine appellatū, octo abdominis musculos esse contendunt, & cōtra Galeni sententiam, ac rei veritatē, cuti mēbranam in universo corpore, & in ipso demum abdomine (de quo duntaxat sapere videntur) subtendi inficiantur. Alij, etsi per universum corpus à me hanc membranam demonstrati conspexerint, adeo ineptiunt, ut hanc non fateantur eam esse, cujus Galenus tum alibi sæpius, tum in tertio de administrādis sectionibus meminit, eo quod ego adipē inter cutem & hanc membranam ostendo, sæpe trium etiā digitorū crassitudine: quodque hominis membrana tantum à cute semper abscedat, quanta adipis est crassities. Debebant profecto ejusmodi naturæ & veritatis hostes perpendere, Galenū de suis simijs, non autem hominibus locutum, quib. nullus adeps inter membranam & cutem intervenit: ipsaque membrana non fibris duntaxat cuti continuatur, sed prorsus undiq; citra alterius corporis interventum ipsi cōtigua est. Vnde etiam non adeo arduum est, in homine cutem solam illæsa membrana dividere, ac in

simijs

simijs, canibus, & illis animalibus, ex quibus Galenus anatomen descripsit. Huic mébranæ, ea parte, qua musculorum proprias respicit membranas, lentor ille muscosus, qué cuti Aristot. tribuit, obducitur, ob hoc fortassis, ne ipsa subiectorum musculorum motum præpediat. Membranis enim omnibus, quæ corpus, quod situm locumque aliquando mutat, continent, ambiuntve, muscoso quodam lentoq; humore, qua corpus id respiciunt, oblini, commune habetur. Sunt itaq; tria uniuersum hominis corpus perpetuo cingentia: cuticula nimirum, cutis, & membrana hæc carnosa. Vesalius de Hum. corp. fab. lib. 2. cap. 5.

OBSERVATIO CLXXVII.

Rubedo dextri lateris aliquoties animadversa in Moniali quadam.

IN Monasterio quodam Nigræ sylvæ Monialis erat annorũ circiter 25. quę mihi medico cõquerebatur, quod, quotiescunq; balneum ingrederetur, aut levi aliquo exercitio corporis uteretur, toties insignis quædam rubedo in dextro latere à fronte usque ad pedes suboriretur: siniſtra naturalem omnino colorem servante. Qua sane relatione admodum sum obstupefactus; & á jeci-

nore hunc affectũ provenire ſum ratus. Venæ ſectionem imperavi, & rhabarbari uſum cum aqua endiviæ: item epithemata ex camphora & folijs roſarum &c. Medici cujuſdam ad Geſnerum, cujus manus mihi, qui hæc tibi communico Clariſs. Vir, prorſus ignota, alioquin appoſuiſſem, ut ſua quoque laude, qua dignus erat, non careret. D.D. Caſparus VVolphius.

OBSERVATIO CLXXVIII.

De univerſali furfuracea corporis affectione.

LVdovicus Volia, Nobilis Mãtuanus, jam inde ab incunabulis fœda potius, quam moleſta corporis affectione detinebatur: univerſa nãq; fere corporis cutis ſqamoſo, ſeu potius furfuraceo quodã tegumento aſpero ad lividitatẽ inclinante circumveſtitur; idq; magis hyberno, quã ęſtivo tẽpore; quo minꝰ, præſertim cum ſudores eliciũtur, illisq; madet corpꝰ, deturpatꝰ. Quinimo multis in corporis partibꝰ exacte mũdatur, & inde cadẽtibꝰ ſquamulis qbuſdã veluti furfuraceis, ſubiecta cutis detecta naturali colore p̃dita intuẽtibus ſeſe offert. Minus vero circũveſtiũtur hujuſmodi cutanea fœditate prominentes partes, puta nates, cubiti, & aliæ ejus generis:

neris: at manus & facies nihil, vel saltem parum raroque admodum tali tegmine obduci conspiciuntur. Huic infinita propemodum pisidia à Medicis præscripta fuere; quibus tamen nunquam perfecte curari potuit, etsi pluries eadem, diversaq; auxilia, ex Medicorum consilio in usum traxerit. Nullum tamen remedij genus proficuum magis expertus fuit balneo tum aquæ potabilis in qua detergentia decocta fuerunt, tum etiam Thermalium Calderiensium, quibus non solum corpus immersit, sed & eas, corpore prius repurgato, ebibit. His præsidijs etsi mirifice juvaretur, magnaque ex parte mundaretur, nihilominus rursus, præsertim hyeme adventante, eadem turpi cutis affectione conspurcabatur. Et cum jam ad perfectam adolescentiam pervenerit, in eodem fere statu permanet, quamvis complures Excellentissimos medicos consulverit: in cujus curatione & nos sedulam operam impendimus. Lienosus hic juvenis est, coloreque fusco præditus, ex patre lienoso, melancholicique temperamenti oriundus, qui nec luis gallicæ, dum eum genuit, suspicione vacavit. Marcell. Donatus lib. 1. cap. 3. hist. Med. Mirabilis.

OBSERVATIO CLXXIX

De Phthiriasis vulgaris causis, variæ eruditorum sententiæ.

CIrca hujº morbi generationē, & causas, variæ sunt authorū sentētiæ. Aristoteles 5. de hist. animal. cap. 31. fuit ejus sententia, quod pediculi gignantur ex carne corrupta: quo in loco tria dicit Arist. Vnum est, quod illis, quibus innasci debent pediculi, prius fiunt quædam pustulæ in cute, quas si quis expungat, subapparēt pediculi. Aliud, quod dicit, est, hujusmodi morbum fieri in illis qui præhumido sunt corpore, aut etiam post aliquos morbos. Tertium est, aves, pisces, & quadrupedia omnia laborare hoc morbi genere, excepto asino. Sed hæc Aristotelis sententia mihi videtur non omnino sana esse, duabus rationibus. prima est, quia in cute capitis nascuntur pediculi, ubi minima est carnis portio: quod si fierent ex carne corrupta, sane in pueris, quorum capita abundant his animalibus, prorsus desitu-rentur carne; quia tota consumeretur. altera ratio est, quia pediculi maxime abundant in secunda, & tertia hecticæ specie; veruntamen in hoc morbo ita carnes sunt consumtę, ut nullus remaneat locus

pedicu-

pediculorum generationi. Itaque remanet nullo modo fieri posse, ut pediculi gignãtur ex carne corrupta, quemadmodũ dicit Arist. Theophrastus lib. 2. de causis plantarũ, c. 2. habuit diversam ab Arist. sententiã, ubi scribit, pediculos fieri ex sanguine corrupto, & putrefacto. Sed neq; hæc mihi vera videtur, duabus rationibus. prima est, quia in febrib⁹ ijs, in quibus sanguis putrescit, nullus apparet pediculorum ꝓventus, quod signum est, non esse materiam pediculorum sanguinem corruptum. Altera ratio est, quia, cum orta principijs suis attestentur, si fierent ex sanguine, aliqui saltem apparerẽt coloris rubei & sanguinei, sed nulli videntur; imo color ipsorum est ꝓrsus alienus à colore sanguinis. Vnde patere potest non generari à sanguine corrupto. Superest igitur, ut sola veritas sit, quã Galen. 1. de comp. medic. loc. c. 7. & Avicen. lib. 4. fen. 7. tract. 5. cap. 26. & etiam alibi habuerunt, videlicet, quod pediculi giguantur ex excrementis calidis tertiæ & ultimæ coctionis putrefactis, nõ acribus, nõ pravis; quorum sententia, ut exacte intelligatur, sciendum est, quod ubi sanguis in substantiã membrorum convertitur, multa excrementorum genera ꝓducuntur, quorũ alia dissolvũtur ꝓ insensibilem transpirationẽ, alia per

sudorem, alia convertuntur in sordem, alia vero retinentur in ipsa cute. quæ retinentur in cute. si in summo ejus retinentur, faciunt furfurationem: si in profundo; aut sunt prava, & acria, & faciunt ophiasin; aut non sunt acria, neq; prava, & faciunt pediculos. Itaq; pediculi gignuntur ex excrementis istis calidis ultimæ coctionis nō acribus, nec pravis, sed dulcibus, atque hæc est causa materialis pediculorum. Hieron. Mercurial. lib. 1. cap. 7. de morb. cutan.

OBSERVATIO CLXXX.

Phthiriasis rara & horrēda species, qua pediculi universum corpus infestant.

ANtigonus ἐν συναγωγῇ ἱστοριῶν παράδοξων tradit, in hominis corpore existere veluti pustulas exiguas, quas si quis perforet, exire pediculos, & facile hominem curari. Sin vero integræ relinquātur istæ pustulæ, in gravē quempiā morbū pedicularē incidere, quo Alcmeonem Physicum & pherecydē Syrū interijsse scribit. De obser. D. D. Ioach. Camerarij.

Venetus vir bonus Anconæ, pediculis per universum corpus scatens, ita ipsis lācinabatur, fœdabaturq;, ut parū abfuerit, ne ex hoc decederet morbo, contra quē morbū utpotē à

te à putridis & corruptis humoribus originē trahentem, primo ejus cauſam venæ ſectione, tum medicamentis purgatorijs depoſuimus: nō ſolum ſemel, ſed bis & ter, ac poſtea topicis remedijs applicatis, brevi ab hac fœda lue liber factus fuit, habent autem topica medicamenta ſic. ℞. lupinorum amarorum pugillos tres, ſeminis ſtaphiſagriæ officinis ſatis familiaris pugillos duos, in aceto acerrimo fiat decoctio ſufficiēs, quo aceto univerſum corpus à capite ad pedes uſq; lavetur, ac poſtea liniméto ſequenti, corpore bene terſo & exſiccato, illinatur. ℞ ſeminis ſtaphidis, id eſt, ſtaphiſagriæ pedicularis dictæ herbæ partes duas, ſandarachæ Græcorum, partem unam, nitri hodierni fini & purgati, partem mediam, in aceto acerrimo, cum oleo raphanino omnia acuratiſſime piſta, miſceantur, & ex ijs fiat inunctio, quibus brevi aſſecuti ſumus ſcopum, nec amplius in eandem fœdationem eger devenit. Cæterum, dixit Paulus lib. 3. ſuæ medicinæ, cap. 3. fine. Ego pediculariam ex aceto oleoq; tritam inunxi, ac ſemper quod volui ſum aſſecutus. miſſa facio, quę Aëtius, ſermone ſexto ſui operis medici dixit cap. ſexageſimo ſeptimo, & ea quæ Gulielmus de Saliceto capite quadrageſimo octavo, primi libri ſcripta reliquit, velut quæ

Galenus cæterorum ſcaturiens fons, primo dixit libro, de compoſitione med. s. l. Amat. Luſitanus cent. 3. curat. 58.

Dicitur morbus hic Græcis φθειριασις ἀπὸ τ̃ φθειρῶν, id eſt à pediculis, quẽ authores capiti, & mẽto, ac oculorũ cilijs familiarem deſcribunt. Nemo tamen ex practicas ſcribentibus, morbũ hũc univerſum corp⁹ prehendentẽ, ac fœdãtem, deſcribit, aut curat. Cæterum ex hac facta lue multi mortui ſunt, ut Sylla, Pherecides, Ennius, & ut nonnullis placet Plato quoq; ijs adjungẽdus venit. Novimus autem nos Olyſſipponæ hominem quendã non ignobilem ex hoc morbo miſerrime obijſſe: ita enim per univerſum ejus corpus pediculi ſcatebant, abundebantve, ut duo ejus ſervi Aethiopes nihil aliud curæ haberent, quã ex ejus corpore pediculorũ cophinos plenos ad mare, quod p̃dictam civitatem præterlabitur, portare. Erat autẽ homini huic cognomẽ tum, ſi recte teneo, Tabora. Porro apud Hyberniã & Lilidiam, ſcim⁹ nos homines ſemiferos ſubuculis croco infectis veſtiri, ut pediculos fugẽt, quas per ſex menſes, & amplius geſtare ſolẽt. Idem in ſcholijs ad curat. eandem.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXXI.

Phthiriasis species alia fera dicta: necsatis veteribus explicata.

ALiud est genus pediculi ἄγριον. 1. ferũ ab Arist. vocatum 5. hist. Animal. 31. durius priore, quodque à corpore detrahitur difficilius, nostri (Galli) Morpiones & Pattas (Germani fülzleuß) vocant: Gordonius pessolatas, hærentes cuti firmissime, vel cuticulam suo morsu penetrãtes, aridiorem sortiuntur materiam, qualis est semiassata, unde minus turgidi, sed pressiores vidẽtur. Ioubertus.

Petale fit de materia mediocri, & sunt petale pediculi lati in pectine & sub assellis & in palbebris (aliquãdo etiã in barba) generati, ibi fortiter adhærentes & pruritum facientes. Valesc. de Taranto.

Ad plactos pediculos, qui reperiuntur in genitalibus & sub assellis, summopere valet &c. Ioann. de Vigo.

Arabice (Motes immores) id est pediculi expomitur in Synonimis continentis Rasis. sunt vero & quædã species pediculorum qui dicuntur Arabice (Alcarad) à nostris vulgo Piattolę dicũtur, in Sicil. chatilli. Abenzoar vocat platulas. Nec aliam intelligi opinor quam hanc speciem apud Arabes adguardam & interdum sine articulo

ticulo guardam & gardam atque etiam alfaed, quã in inguine & axillis præcipue oriri, antiquior Arabicorum nominum Avicennæ interpres ait Ioannes. Ingraſſias.

OBSERVATIO CLXXVII.

De Syronibus Græcis medicis incognitis.

SYrones inquit Abinzoar ſunt pedicelli, Arabibus Aſſoalat dicti, qui ſubter cutem & ad manus & crura ſerpunt, puſtulas quoq; aqua plenas, ſub cute, ubi deliteſcũt, excitãt, qua diſſecta, prorepunt animalcula tam parva, ut vix viſu quantumvis preſpicaci ægre deprehendi poſſint. De quibus Ariſtot. videtur in libro de natura animalium ita diriſſe: pediculi ex carne gignuntur, quibus affuturis, emergunt puſtulæ quædam ſine pure exiguæ, quas ſi purgas, pediculi exeunt valde exiles. Ioanues Langius.

Ad noſtra tempora quoddam ſupplicij genº indomita fœditate pervẽit in manibus exilis quidã pedicellus, lente minor ſub cute ſerpit, non admodum frequens. Hieron. Gabucinius.

Syrones ſub cute geniti, quos antiquitas non recenſuit, vermes ſunt non minus Dracontijs ipſis &c. Thom. à Vegia.

Pediculorum ſpecies alia eſt, ſub cuticula obori

oboriens, ibiq; affixa permanens, aut parũ deambulans, præcipue in manibus ac pedibus infantium, non permittẽs illos quiescere. Dicuntur Arabice affoab, apud Abenzoarem, á noſtris vulgo pedicelli, dicunt aliqui pedoſcelli. Mirum hercle dictu, quod uti perbelle Abenzoar deſcripſit, cum excoriatur cutis, ubi ſcilicet minimus ille jonthus vaſuluſve cujuſdam ſudaminis inſtar appareat, exeunt animalia viva, tam parvuncula, quod vix poſſunt videri. Ioan. Phil. Ingraſſias.

Pedicellum Piceni, Scirum Taurini, Bugantem Vaſcones vocant. Nempe admirabile eſt. Ei nulla forma expreſſa, præterquã Globi, vix oculis capitur magnitudo. Tam puſillum eſt, ut non atomis conſtare, ſed ipſum eſſe una ex Epicuri atomis videatur. Ita ſub cute habitat, ut actis cuniculis urat. Extractus acu, ſuper ungue poſitus, ita demũ ſeſe movet, ſi ſolis calore adjuvetur. Altero ungue preſſus haud ſine ſono crepat, aqueumque virus reddit. Iul. Cæſar Scaliger.

Sunt Syrones dicti omniũ minimi, ſemper ſub epidermide latentes, ſub qua ſerpũt illam erodendo & moleſtiſſimum excitando prutitum. Ex ſicciore (quam Morpiones) adhuc

adhuc materia ſunt, quæ lentoris inopia, velut in atomos diſcinditur. Cyrones peculiariter vulgus acicula extrahit (Germani vocant **Seuren graben**) ſed cum non ſimul tollatur cauſa eorum fomes, perſeverat affectio. Itaque pręſtat ungvento vel foru eos extingvere, quo ſimul tollatur pruritus ille infeſtiſſimus. Maxime εὐπόριστον cyrones occidens eſt acetum ſalſum &c. Laur. Ioubert.

In manibus (ac pedibus) quidam exilis pediculus, lente minor, ſub cute ſerpit, non admodum frequens. Alex Benedict.

OBSERVATIO CLXXXIII.

Pediculi in dorſo ſub cute inventi, poſt veſiculas xecitatas & inciſas.

PIctor inſignis Bocklandius mirabilē caſum narrabat de alio pictore juvene, qui per totum dorſum enormem pruritum ſentiret, illi tandē conſultū eſt à medico, ut veſtib⁹ depoſitis denudato dorſo ad ignem ſederet: quod cum ita feciſſet, veſiculę à calore ignis excitatę fuere; quibus apertis atque inciſis, in ijs pediculi innumeri reperti ſunt, ſed abſterſis ulcuſculis cum illis remedijs, quæ detergunt & amarorē habent, ab hoc ſymtomate juvenis brevi ſanat⁹ evaſit. Pett. Foreſtus Scholio obſervat. 15. lib. 8.

OBSER-

OBSERVATIO CLXXXIV.

Pulicelli instar animalculũ, Indis frequẽs, pedes & manus utplurimũ corrũpens.

INdia occidentalis mittit è pulicum genere Niguam, pestem quandã atrocem. Minus est multo pulice hoc animal, quod hærens homini adeo lancinat, dum nec videri potest, nec prẹhendi, ut pedes quibusdam, alijs etiam manus excidant. Inventum auxilium, si locus oleo perungatur, novaculaque radatur. Cardan. lib. 9. de subtilit.

Niguæ narratio tua mutila est, non inutiliter, si philologiam spectes, addemus ea, q̃ abs te omissa sunt. Pulicellus est rostro acutissimo. Pedes potissimũ invadit, raro partes alias non ingredientium tantum, sed cubantium quoq;. Ideo in sublimi cubant Indi. Frequentissime partem eam, quæ subest unguibus, lancinãt. Quarta die crescere tumor incipit: tum ad eam turgent magnitudinem, ut pisum superet. Tumor fœtus est lendinibus candidis: quibus extractis calidos inponunt cineres. Iul. Cæs. Scaliger, Exercit. 94. numero 8. ad subtilitat. Cardani 23. Pestiferis insectis maxime infestãtur, inter alia Niguę, magnitudine pulicis, citra ullũ sensum inter carnẽ & ungues pſertim pedũ sese immergũt, alũturq; in pulvere: sẹpenum. acci-

dit, ut nullus ex ijs dolor ſentiatur, donec in magnitudinem cicerum aut lentium excreverint: ac tum cum ingenti lendium copia fruticante, acu aut ſpina ægre evelluntur: atque id mali cineribus calidis ſanatur. Porro Numidiæ mancipia, quæ Hiſpani in familijs habent, quod non habeãt unde calceis pedes muniant, ea peſtis pervicaciſſime iefeſtat: tantaque copia pedes eorum appetit, ut nulla cura aut arte præterquam igne vel ferro arceri queãt. Itaq; multi ex eo digitis pedum, vel pedibus integris mutilati ſuperfuere &c. Poſt pauca dẽ ſeipſo ſcribit quod inguis iſtis laboravit, & cum alijs Hiſpanis crebra ablutione ex aqua ſaluti propriæ conſuluerit. Turneuſ. in Hiſt. ſtirp.

OBSERVATIO CLXXXV.

Pediculi alati, muſcarum forma, intercutanei

HIſtoriam ab Agatarchide relatam, quoniam medicos adjuturam ac delectaturam ſpero, eam latino ſermone expoſitam hijs ſubjungam. A prædictis (Maris rubri incolis) non multum differunt, locuſtarum eſores, gens quidem ſtaturæ alijs brevioris, aſpectu macilens, ac ſupra modum nigra. Sub exquinoctium vernũ, quando apud nos Aphrici & Cephyri ſpirant, ex loco quodam inco-

incognito, ineffabilis magnarum locuſtarũ multitudo una cum illis ventis ad ipſos provehitur, quæ ab avibus volandi facultate parũ, at corpore longe differunt. Ab hoc animaliũ genere toto tempore nutriuntur, ijs ſalitis atq; alio modo paratis veſcentes; venãtur autem ipſas, fumo ex aëre in terram deijcientes. Atque hi agilitate quidẽ & pedum velocitate pollere dicuntur. Sed cum valde ſiccũ nutrimentũ capiant, ultra quadrageſimum annum minime vitam producunt, imo vita miſerioré ſane mortem obeunt. Siquidem appropinquante ſenectute eorũ corporibus alata quędam pediculorũ genera innaſcũtur, figura quidẽ caninis muſcis ſimiliũ, ſed alioquin minorum. Incipiũt à pectore ac ventre, brevique univerſam faciei cutem depaſcuntur. Atq; horũ alij primũ ſcabioſorum inſtar afficiuntur, deinde ſeipſos graviter dilacerant, tandemq; morbo cõſiſtẽte, nec non cum beſtiolarũ exortu tenuib⁹ effuſis humoribus, intollerabiles cruciatus ſubire miſeri coguntur: ſicq; vel ob ſuccos, vel ob alimentum, vel ob aëris pravitatem intereunt. Hier. Mercurialis.

OBSERVATIO CLXXXVI.

De Dracũculis Aethiopiæ & Indiæ ꝑpriis: græcis, veluti Galeno, nomineten⁹ cognitis.

Δρακόντιον, dracũcul⁹, ut ſcribit introductionis ſeu Medici author, malũ eſt cutis varici ſimile, magnũq; doloré, dum paululũ ꝓminens movetur, cõcitans. Aetius autẽ ex Leonida dracunculum lumbrico ſimilẽ eſſe dicit, interdum magnum, alias parvum reperiri, & frequentius quidem in cruribus, aliquando vero & in brachiorũ muſculis oriri & cõſiſtere: naſci autem in Aethiopia atque India maxime pueris, lumbricis latis non abſimilẽ, moveriq; ſub cute ſine moleſtia, verũ tẽporis progreſſu circa dracunculi extremitatẽ ſuppurationẽ fieri, cuteq; aperta, dracũculũ caput exerere, quem ſi quis tenter attrahere doloré ingentẽ moveri, præſertim ſi eum abrumpi contigerit: quod enim intus relinquitur acerbiſſimos dolores excitare: proinde ut ne intro animal recurrat, valido filo brachiũ conſtringi oportere, idq; quotidie agendũ eſſe ut dracũculus paulatim ꝓgrediens integer excludatur. Verũ Soranus, ut refert ex eo Paulus Aegyneta, non exiſtimat animal eſſe ſed nervoſam quãdam ſubſtantiã q̃ opionẽ motus ſolũ ꝑbeat. ſed quid revera ſit, nemo medicorum explicare poteſt, qui Europã incolunt: poſſe tamẽ animal eſſe ratio nobis dictat, cum non modo in vẽtriculo atq; inteſtinis creari, verũ etiã ex cuto

erũpere tum pediculos, tum maiora quoq; animalia cõpertissimum habeamus ex historijs. Io. Gorræus. Circa rubrum mare, morbo correpti, (ut Agatarchides narrat) cũ alijs inauditis accidentibus sunt vexati, tum dracunculi exigui, qui nati sunt exertis capitib⁹ suras & brachia perederũt, & tacti rursum carnẽ subirẽt, ac per musculosa serpẽtes inflãmationum vim intolerabilẽ excitarent, idq; morbi genus prius aut posterius ullis alijs obtigisse, nemo cõperit, ut & multa alia. Plutarchus, probl. 9. lib. 8. sympos.

Dracunculi Galeno nomineten⁹ noti, posterioribus innotuerũt, Paulo dracontiũ dicitur & dracunculus. Arabibus vena, à similitudine, medena, ab urbe Medena, in qua id gen⁹ morbi frequẽs visitur. Est enim in Aegypto frequens & India. Nascitur sub cute (non quod Gal. conjectat intra venã) vermis satis lõgus (Albucasis decẽ & nõ raro viginti palmarũ lõgitudinẽ excedere expertus est) subruberq; qui motu suo cutẽ erodẽs & inflãmans dolorẽ excitat, neq; sanatur, nisi integer eximatur, abrupt⁹ enim acerrimos dolores excitat. qui vero negant esse animatũ, sed humoris vi sepere, negligentius rem expendere. Est enim vermis non secus quam syrones nostri, non minus Dracontijs antiquitati ignoti. Thom. à Veiga.

Comment, ad lib. 6. Gal. de loc. aff. pag. 298. edit Plantinianæ.

Athiops maris præfectus servus juvenis octodecim annorũ, cum primũ ex Mẽphi Ægypti celebri civitate, Tessalonicen. advectus esset, illico de cruris dolore conquestus est, in quo juxta talum primo ulcus excitatũ est, in quo venæ caput cõspicieb atur. Quod advertentes Turcæ morbum cognoverunt, periculosum q; esse in Ægypto & India ac reliquis regionibus, quibus innascitur, significarunt, quem Arabes, præcipue Avicenna venam medenam Fen 3. lib. 4 appellarit tradit, veluti Abinzoar, & cæteri hujus doctrinę homines, quibus morbus hic satis cognitus & familiaris erat. Pro cujus curatione accersitus Medicus Parahyas Arabiæ doct: ita ortus est, prima debita victus ratione p̃posita, partem extremam venæ, aut verius nervosę cujusdã substantię, subtili ligno alligavit, quam paulatim ligno trahebat rotabatve adeo ut ad ejus ultimam partem, hoc est, ad triũ cubitorũ longitudinẽ post multos dies pervenerit, unde Aethiops à doloribus & angustijs, morbove ipso, liberatus est, nullo superpositõ cataplasmate concoquendi vim habente, aut calida superfusione aliqua, q̃ ex Sorano & Leonide Paulus ultimię

timis verbis libri quarti suæ medicinæ auxiliari tradit. Amatus Lusitanus.

Vena an nervus vel lũbricus morbus hic sit, in dubium vertunt authores. Ego vero oculatus testis, multis auritis verior, testor morbum hunc tanquam lumbricũ conspici album, subtilem, lineæ contortæ modo, qui se foras prodit, & pars extra missa, cum crescit, eam nervum exiccatum quivis dicet, qui, si abrumpi contingat, intensos excitat dolores, & non leves animi angustias concitat. &c. Idem Lusitanus.

De Dracunculis Aethiopię & Indę proprijs, Galenus lib. 6 cap. 3. de loc. aff. Præterea in Introductorio & Definitionũ libro. Aetius Tetrabib. 4. Serm. 2. cap 85. Aegineta lib. 4. cap. 5 & Iulius Pollux lib. 4. Plutarchus lib. 8. Sympos. cap. 9 Rhasis interpreti lib 12. cap. 2. Continentis, dicitur vena civilis. Meminit ejusdem affectus idem autor in Almansore cap 24 tract 7 Abynzoari cap. 20. tract. 7. lib. 2. vena mediana & Halalnachalaidini. Alsaharavio practicæ cap. 12. tract 18. vena exiens. Haliabbati cap. 67. lib. 9. Practicæ, vena sanios a. Avicennæ cap. 12. tract. 2. Fen 3. lib. 4 Canon. vena Medeni. Albucasi lib. 2. cap. 91. Vena cruris. Ex recentioribus Manardus, & Langius in

Epist. Agricola, Fuchsius, & Thom. à Veiga, commentarijs suis ad dictum locum Galeni de loc aff. Mercurialis in lect. varijs, & Epist. à Scholzio publicatis, Robertus Constantinus in lexico, VVierus in libello Germanico de morb. incog. Et post hos omnes Pareus lib. 7. cap. 21. Chirurgiæ: qui recitatis plerisq; Græcorũ, & (ut ipse putat) dánatis Veterũ sententijs, Dracontion nil aliud esse, quã tumoré & abscessũ, à fervore sãguinis in genere venoso genitum, nimis temere affirmat: cum malum Indiæ & Aethiopiæ proprium sit, & αὐτοψίαν, quam ipse in alijs requirit, in se ipso desiderare debebat, nisi Indiam & Æthiopiam in Galliã transferre velit: cum ex professo Græci & Arabes hunc morbum ferventissimis illis regionibus velut proprium attribuant. Quidã ad Varices referunt, quos non minus errare quã priores, certum est, quamvis affine malum, nec ita multum evarians: diversum tamen. Falluntur præterea, qui ad Germaniæ nostræ infantiũ, sive vermiculos seu pilos infantes infestantes, & ad maciem deducentes, aut Gallorum pilarem affectionẽ seu cridones referre contendunt, muscã cum Elephanto cõferẽtes: manifeste utriusq; vitij exacta collatione plurimũ distante; & q primariũ est, curatione minime respõdẽte. Ioã. Schẽcki-

OBSERVATIO CLXXXVII.

Vermis intercutaneus alius à Dracuncula & superioribꝰ Alsaharavij & Abenzoaris interpretibus passio bovina à similitudine dictus.

GEnerãtur vermes in quibusdã corporibus & locis,& appellatur hæc passio bovina,eo,quodbobus accidit frequẽter.Et sunt vermes nascentes in corpore humano inter cutim & carnẽ,& extẽduntur,& ambulant sub cute, donec perforant in aliquo loco cutis & exeunt,& est possibile eos quandoq; perforate & exire per oculos.&c. Alsaharavius. Generatur aliquando inter cutẽ & carnẽ vermis, & nominatur hæc passio ægritudo bovis,eo, quia pro maiori parte bobus accidit, quod si neglexerit Medicus occidere ipsum, potest inde magnũ cõsequi nocumentum. Avenzoar. Eadem prope Albucasis habet.

OBSERVATIO CLXXXVIII.

Vermiculi,seu,ut alij volunt, Pili infantium & puerorũ musculosas brachiorũ surarũ,atq; tergi partes infestãtes, veteribus incogniti.

EXistunt in puerulis subtercutanea quædam animantia viva, lumbricorum formam præ se ferentia, dracontia vulgari appellatione nuncupata, quæ in muscu-

losis corporis partibus, puta brachijs, cruribus, suris, plerunq; consistunt. Interdū etiā in laterib⁹ sub cute coëunt, quandoq; totū torgū, aut saltē ipsū interscapiliū occupāt. Hoc qdquid est animalculi, ni cōsentaneis remedijs exstirpetur, vel noxiā suppurationē inducit, vel infantulos prorsum tabefacit. Ejusmodi vermiculos in poris infantium ac puerorū latitātes hac extinguemus cura. Si nō prominuli ultro fuerint, hoc est, adhibito calido fotu, edulcatoq; (quale melicratō est) cōdimento, forinsecus illito, capitella sua nōexertarint, violētioribus medelis ad ꝓgrediendū foras quatiēdi sunt. Accipiēda nimirū radix viticellæ, sive vitis albæ quātū mana ꝑsa capi potest: Bulliat in lixivio ē quernis cineribus cōcinnato. Quo circūfusum hisce cineolis infantile corpusculū perfundatur & lavetur. Quo facto, ꝓgressa draconticrum ora novacula ꝑsecentur. Quibus sic obtruncatis, infans denuo, ꝑdicto diaclysmate, puta conia balneādus & abluendus erit, denudataq; vel dissecta pellicula commageno perlinenda. Georgius Kufnerus cap. 12. appēdicis ad lib. Leonelli Faventini de morb. puerorum.

Vermiculorum intercutaneorū gen⁹ est, quod infātibus semestribus, nōnunquam etiam pueris intra bimatum aut circiter consisten-

sistentibus, utplurimum infestum esse solet. Nascitur id potissimũ in musculosis brachiorum, crurum, & tergi partibus. Provenit ex excrementitio humore, ætati huic familiari, intra corporis poros contento. Hic, propter cohibitam transpirationem & discussionem, in putredinem transiens, vitam concipit, & pro pororum conceptaculis & proportione in vermiculos convertitur, forma his, qui putrescentibus caseis innascuntur, nisi quod minores multo sint, haud absimiles. Nunquam toti è poris prorepunt, sed capitula tantum nigris punctis insignita protrudunt. Quin, intolerabilem ardorem, simul & pruritum excitando, molestissimi sunt, vigilias & inquietudinem inferentes, ubi coacervantur & accrescunt, viva carne, pediculorum instar, abstinentes, alimentarium humorem, qui tenellis corpusculis alendo esse debebat, absumẽtes, depopulantur. Ex quo in præsentaneam maciem & tabem pueruli transeunt. Quod dum mulierculę advertunt, ad hypocausta & sudatoria eosdem deducunt, musculosas affectasque partes blande primum inducta manu perfricant, post etiam melle perungunt. Hac arte ubi prolecti fuerint plurimum, tum chirurgo imperant, ut nova-

cula exertorum capitula abradat & demetat, atque hæc vulgi non tam recepta, quam cõpendiosa, vermiculos hujusmodi necandi ratio. Germani nostri **Miteſſer** & **die zehren de würm**/ ex eo nominant, quod infantium, quos vexant, alimentum abripiant & absumant. Norimbergæ vocantur **die dürre maden**/ quasi dicas, maciem inducentes vermiculos. Ioan. Schenckius.

Est infantilis affectus, per quem pueri cõtinuo plorant ac ejulant, citra causam evidẽtem: cui tandem accedit Epilepsia, quæ magna ex parte in mortem terminatur: vulgo autem vocatur pilaris affectio, ob id quod per exortum & evulsionem pilorum quidã servantur, ad hunc sane modum. Infricantur cũ cervice scapulę manu sicca, aut illita mulctra, id est, lacte mulctro adhuc calente: mox cõfricatæ partes hispidæ redduntur, & apertæ barbescũt. Deinde per coriũ laridi, quod pilis infricatur, aut per volsellam pili oẽs adunum evelluntur, & perinde sanantur, sicuti ego accepi de cujusdã nobilis Matronæ narratione, quæ aliquot infantes mortuos hoc malo, nõnullosq; servatos, relata curatione, se vidisse anno 1544. fassa est.

Proximum videtur quod de suibus proditum

tum est, nam & ægrotantes cognoscuntur, inquit Dydimus, evulsis è cervice pilis. Hisce quoq; evulsis curantur. si earum tonsillæ infestantur. Itaque præfata passio, quantum opinor, est pābulo Epilepsię, quę neq; protopathia, cerebri, neq; symphatia vētriculi, sed posterioris alicujus secundum dorsum partis, à qua excrementum veluti fuliginosum (quod pilorum materia existit!) per nervosa corpora ad cerebrum usque ascendit, nisi revellatur frictionibus, & per cutis poros jam à frictione sicca rarefactos exiens, in pilos vertatur. Vnde non obscurum est, quod frictiores sine pinguetudine poros obstruente magis juvarent. Hier. Montuus de infant. feb. & malis.

Abcessus genus rarum in memoriam revoco: id Cridones (credo à crinibus) nostrates Galli nominant: pueros præsertim divexat, ac quasi spinularum aculeis compungeretur dorsum, huc illuc se jactant, quietis impatientes: ab exiguis quidem, qui vix aciculæ lōgitudinē æquēt, sed crassis & spissis pilis oritur id malū. Curatur fotu aquæ plus quam tepentis, quem mox sequatur litus ex melle & farina frumentacea: sic enim pili illi subcutanei alliciuntur & evocantur fo-

ras, prolectique tenuibus volsellis avellun-tur. Suspicor id mali genus veteribus Medicis fuisse ignotum. Pareus lib. 7 cap. 21. chirurgiæ.

Hoc unum experiri libuit, mulierculis Polonis valde usitatum: quod mihi profecto miraculi loco est, idque eo magis, quod nullā ejus rei causam investigando reperire possum. Injiciebatur in labrum aquæ calidæ, in quo pueri lavabant, panis in micas friati manipulus, cineris item parum; elotis pueris, aqua percolata, panis ille in massam cōpingebatur, hæc massa in diversas partes manibus distracta, magnam subtilissimorum pilorum vim oculis offerebat primo die, subsequētibus autem diebus pauciores pili, postquam convaluerunt prorsus nulli apparuerūt. Hos ille caninos, aliæ vermiū pilos vocāt, & morbi causam ad hos referūt Præterea humeros & brachiola inunxim⁹ farina aceto pmixta. Vix peracta unctione & abluta statim, eminebant ex cute diversis locis tubercula quædā pusilla, ut papavera, coloris cinericij (quæ ab illis vermium capitula esse dicuntur) ea statim cultello abradebantur, nisi id ocyus fieret recondebantur iterum, & intra cutem se recipiebant, hi quoque, sive vermiculi, sive alio quovis nomine vocantur, primo multi sese proferebant, postea

pauciores, proſtrema unctione prorſ⁹ nulli, fœminę ſummis horum vermiculorum capitellis nigricantia aliqua quaſi puncta ineſſe aſſeverebant; quæ tamen ego, etſi pene cum ipſo lynce cèrtare poſſim, nunquam videre potui. Viſa mihi eſt tota res illa prope eadem ſpecie, aut certe non diſſimilis, ſordibus illis, quæ poris impactæ in anguſis preſertim narium exterioribus digitis exprimi ſolent: duritie ſunt paulo ſolidiore. Cum in veſtris medicis quærerem, altum ubique ſilentium reperi. In uno Bacchanello (Leonello) aut neſcio quo de puerorũ morbis inveni Dracunculos vocari à neſcio quibus Arabibus. Nam liber hęc ſcribentis non eſt ad manum, & quærere piget, cum hæc properanter ad te ſcribam. Rogo te inquire in cauſam harum rerum, & ſententiam mihi tuam perſcribe. Oblitus eram hoc quoque adſcribere, me eadem illa omnia tentaſſe in reliquis meis liberis ſanis, nec tamen vel pili ulli in panis maſſa, nec Dracunculi in cute; ac ne in his quidem duobus ægrotis, poſtquam convaluerunt, conſpici á quoquam potuerunt. Andreas Dudith ab Horecoviza lib. 3. conſil. & epiſtolar. Cratonis à Laur. Scholtzio publicatar. pag. 287 & ſequentibus aliquot.

Cum

Cum infantes citra ἀνορεξίαν in tantam incidunt ἀτροφίαν, ut omni deperdita carne vix ossibus hæreant, obstructionem vasorum adesse certum est. VVestphalis & Ditmarsis Daniæ proximis videtur hic ἐνδήμος, qui ipsum Varum nominant. Nostri den Mitesser/Kiebkuchen / den laufenden vnd zehrenden Wurm/ ab actione naturali læsa, ducta symptomatis appellatione. Vetulæ hic edentulę, sacrosanctæ religionis prætextu, varios adhibent exorcismos, varias næniæ, varias cum cingulo ægri gesticulationes. Præterea inunctum farina triticea ex melle subacta, calore hypocausti vel Laconici exponunt, ut magna caterva vermiculi, forma ἀσκαρίδων, viventium è poris prorepant, qui novacula abraduntur. Verum cum hic modus operandi non tantum plerosque frustretur, sed partim pyra, partim cachinnis dignus sit, præstant, ut vacuato prius leniter corpore detur pulvis lūbricorum terrestrium cum oxysaccara aut theriaca in lacte, aut jusculo pulli: vel succus raporum cum saccaro candi: vel spec. elect. diarrhod. cum rhabarba-

to: hinc collocetur in balneum aquæ dulcis ex cineribus corylorum & lacte caprillo paratum: & demum à balneo fricentur membra & artus oleo amygdalarum: aut unguento ex samsucho, solano & butyro. Hieron. Reusnerus in disputat. medica habita Basileæ Anno 1582.

OBSERVATIO CLXXXIX.

Ricini in hominibus animadversi.

HOmini ricinus innascitur, è sordibus, in barba, alis, inguine. Estque id quod canibus Cynoraistes. Crotonem Græci communi cum Arabicæ Kervæ feminis nomine, Galli Platam vocant: cum tamen turgidus & globosus sit. Admiranda natura. Hoc animal cum cibi habeat aditum, excrementi exitum non habeat, idcirco Italia id animal Cæcam vocat, quo alterius quam oculorum loci cæcitas declararetur. Cæterum Cicam primum dictam reor: quia Cicy, Croton sit. Iul. Cæsar. Scaliger.

OBSERVATIO CXC.

Pilosi toto corpore.

Hispa-

HIspanum quendam vidi pilis refertiſſimum in omni corporis parte, præterquam in facie, & manuum parte. Vidi etiam velatem adeo piloſam: ſunt qui ſcribant neque in planta pedis, neque in manus vola piloſ oriri poſſe. Columbus de re Anatom. lib. 13. ca. 2.

Exigit locus hic hiſtoriam de Hiſpano puero, quem ex India advectum, alij parentibus Indicis in Hiſpania natum putant. Is candidis pilis totus tectus fuit. Idcirco Barbet à Gallis dictus. Quo nomine villoſum vocant canem, quem Flandri Vvatterhund. Iul. Cæſ. Scaliger. Exercit. 114. numero 2.

Rex Galliarum Henricus, Lutetię Pariſiorum, literis humanioribus inſtituendum curavit hominem cane non minus villoſum. Ioan. Lonæus Boſcius Diſputat. de Concordia Medicor. & Phyſicor. Theſi 41.

Anno 1549. ſimiarum aſpectu, & urſinis obſitos villis toto dorſo partus ſe vidiſſe (in Tetraſcopia) Peucerus teſtatur, & præterea qui exertas ac ceu dependentes tenerent linguas, inſtar vitulorum recens jugulatorū. Lycoſtenes, lib. Prodig. anno ut ſupra.

DE

DE BICORPORIBVS GEMELLIS MVLTIFARIAM CONNATIS: ET ALIIS TOTO CORPORE MONSTROSIS.

OBSERVATIO CXCI.

Gemelli unico capite conjuncti.

ANno Domini 1569. Turonensis quædam mulier Gemellos peperit, unico capite conjunctos, & se mutuo complectentes. Horum ad me sceleton misit Renatus Ciretus tota Turonensi regione famatissimus. Ambros. Pareus Operum suorum lib. 24. cap. 2.

Lovanij septimo Idus Aprilis Anno. 47. gemelli nati distinctis corporibus, uni adhærentibus capiti. Peucerus Teratoscopię pag. 440. facie aversa.

Quendam, qui circumferebatur Avenione, vidisse me memini, à cervice infra bicorporeum totum. Valleriola Locor. Com. lib. 1. cap. 18.

OBSERVATIO CXCII.

Gemellæ virgines adversis frontibus cohærentes.

VNum, cujus in Cosmographia sua meminit Munsterus, quod præ cæteris admiratione dignum sit, hic adscripsisse juvabit. Colloquebantur, ut scribit, non procul á Vuormacia (in villa Birstat, quæ sita est inter Vuormaciam & Benshaim, ut testatur Lychost. lib. prodig. & ostent.) anno salutis humanæ, supra milesimum, quadringentesimo nonagesimo quinto, duæ mulieres, quarum cum una uterum gestaret ac tertia quædam ex insperato superveniens colloquentium capita concussit: gravida animo consternata, in concepto jam fœtu manifestum concussionis hujus reliquit signum: siquidem cum jam parturiginis tempus adesset enixa est didymos: erant duæ puellæ corporibus integræ, sed in vertice fronte tenus connexę inseparabiliter, & se mutuo inspicientes, cogebantur simul incedere, simul dormire & surgere, & cum una procederet altera retrocedebat, nasi utriusque sese fere contingebant, oculi vero non in directum, sed in latera tantum torqueri poterant, quia paululum supra oculos frontes cohærebant. Extensa est vita illarum ad decimum annum, & cum tunc una moreretur, illaque à superstite resecaretur, viva ab accepto vulnere, aut potius

tius ex vulneris fœtore & cerebri putrefactione, sororem paulo post per mortem est sub secuta. Hactenus Munsterus: quæ nisi is sese suis oculis vidisse affirmaret, quoniam supra hominum fidem sunt, nō crederemus. Bald. Ronsseº lib. de hominis primordijs &c. cap. 10. Cardanº lib. 12. de subtilit. Corn. Gemma lib. 1. Cosmocrit. cap. 6. Lycosthenes lib. de prodigijs & ostentis. Ambros. Pareus lib. 24. cap. 2.

OBSERVATIO CXCIII.

Gemellæ virgines, inferiore maxilla & pectoribus connatæ.

SExta Octobris 1573. Geminorum se complectentium prodigiosa species nata, ambobº quidem fœminei sexus, 4. brachijs, pedibus quatuor. Erant conn atę pectoribus atque inferiore maxilla, ut prorsus os unicum videretur. Vixit ad spatiū dimidiæ horæ. Dissecto cadaveri cor cuique suum, sua sede discretum, secus quam alias apud nos visum fuit. Gemma Cosmocrit. lib. 2. pag. 170.

OBSERVATIO CXCIV.

Gemini pectoribus connati.

Bercheldię, in ditione Principis Illuſtriſs. Palatini Electoris, in villa non procul ab Heydelberga 14. Calend. Ianuarij, nati ſunt gemini pectoribus ſibi affixis, unico umbilici dependentis vinculo conſtricto. Lycoſth. Lib. Prodig. Anno Domini 1494.

Anno 1541. die 19. Februarij Friburgi Myſorum editi gemelli, juncti totius anterioris thoracis cohæſu. Peucerus Teratoſcopiæ pag. 442. b.

In ducatu VVirtembergenſi nati ſunt gemini, coalitu pectoris, ad umbilicum uſq; connexi. Idem eodem opere.

Nati ſunt gemini pectoribus ſibi affixis, & mutuo obverſis faciebus, uno umbilici conſtricto vinculo. Iacob. Rueff. de Concept. & Generat. hominis lib. 5. cap. 3.

Heydelbergæ nati ſunt gemelli Anno 44. utrique complicatis ſeſe mutuo amplexi ſunt manibus. Peucerus in Teratoſcopia pag. 441. b.

Nos Romæ vidimus Alexandri temporibus infantes geminos ſimul covinctos adverſis inter ſe vultibus ac manibus in eo-

dem

dem corpore : qui tamen parum vixerunt. Volateranus Lib. 24. de Genitalibus.

OBSERVATIO CXCV.

Historiæ aliquot memorabiles Gemellorum connatorum : quorum alter acephalus, collum circa imum pectus aut ventrem alterius insertum habens, propendere visus est.

GEminos nasci nullus dubitat, sed ita nasci, ut indistincti sint, monstruosum. Mulier quædam Alexandra nõie, ex Mediolanensi agro Florentiam veniens, geminos mares quæstui spectandos dabat: quorum alter integer toto corpore, distinctisque membris erat: alter verò ita scapulis alterius jungebatur ventriculo, ut illo totum caput injecisse videretur : cætero vero corpore ab eo sejunctus, non secus illo de mamilla matris lac exugente movebatur, ac ipse pariter sugeret. Benivenius cap. ult. Abditor.

Vidimus aliquando ex Gallia in Italiá advectum hominis in natura monstrum,

ſtrum, quod per urbes ad ſpectaculum quæſtus cauſa à pleriſque circumferebatur : Id puer nondum plenæ pubertatis erat, cui ab anteriore parte inter imum pectus & umbilicum ejuſdem ſexus paulo minus quam integer alius pendebat homo: alterius illius & integri ex quo pendebat tertia fere pars. Caput illi tantum & ſuperiores humerorum partes deerant: quæ veluti inſitione quadam in integro illo latentes tam apte quo diximus loco coaluerant, ut ſine labore vitæque tædio, duo ſimul paulo minus quam tota corpora in uno homine viverent. Brachia incepta illi tantum videbantur: reliquum undique integrum corpus erat, quod ad alterius ſenſus, neceſſitatesque omnes etiam moveretur. Marcellus Virg. Comment. ad lib. 4. cap. 142. Dioſcordis.

Hoc ego etiam vidi in pandocheo quodam in oppido Caſtavarienſi Pictonum, quum tertium decimum ætatis annum agerem, Anno à Chriſto nato, aut paſſo 1516. Nicolaus Rocheus de morb. mulier. curandis cap. 32.

Supervixiſſe ex monſtris ſolum eum conſtat, qui puelli medietatem ab umbili-

co in-

coinferius insertam habuit adeo, ut pene puelli etiam mingeret. Circumvagabatur hoc monstrum, juvenis vigesimum quintum annum præferebat, puelli pars inserta qualis agentis decimum annum, seu crura, seu pedes inspiceres.

Hoc anno alium è Germania, priori simillimum vidimus, ætas annorum circiter viginti quinque, sexus juvenis incertus: pendulus infans masculus, nam è pene minxit, brachia & manus & crura contracta, sed crura solum pro fœtus magnitudine, reliqua quæ diximus exiliora, anus nullus, nec interstitium, sed utris in modum conjuncti clunes. Sensu carere oportuit, nam capite animal perfectum si destituatur, & motu & sensu carere necesse est. Sed si anima mulieris (propior enim fœminæ facies videbatur) animatus fuisset, animal perfectum plus quã quatuor notis moveri potuisset. At hoc, & ab Aristotele & à nobis alibi fieri non posse, demonstratum est: nihil tamen prohibet moveri seorsum partes, ut digitos. Cardanus lib. 12. de subtilitate.

Mon-

Monſtrum mihi oblatum eſt Patavij diſſecandum, erat infans ſemeſtris maſ, ut alij mares ſunt, cui alius imperfectus infantulus anteriore parte incumbebat, cruribus, brachijs, dorſo, abdominis parte, pene, medioq; collo. Videbatur autem caput hujus imperfecti puelli in thoracem perfectioris intruſum. Hoc monſtrũ vixit aliquandiu. Quamobrem inter ſtudioſos viros lis orta eſt & quæſtio, utrum cor unicum illi adeſſet, vel duplex: idem de jecore, cerebroque quæſtum eſt, & de alijs internis membris. Marcus Antonius, Ianua illuſtris philoſophus, unicam in illo ſubjecto animam eſſe opinabatur. Nam ſi quis imperfectam illam appendicem, & pondus inutile attigiſſet, ille, quem integrum membrorum omnium diximus, ſtatim perſentiſcere animadvertebatur. Non deerant tamen quibus oppoſitum videretur. Hoc itaque monſtrum ubi diem ſuum obijt, ego, rei novitate allectus, libenter ſecui, quæ autem obſervavi, hæc fere ſunt. In imperfecto quem dixi, nonnulla inteſtina aderant, ex quorum unius portione tum veſica, tum anus conſtruebantur, nullum ibi aderat jecur, neque cor, neque cerebrum, ſed ren permagn⁹, quem ego pene hepatis munere fungi ſum opinatus, nam ab extremo

jecore

jecore perfecti infantis crassa vena duraque instar arteriæ deducebatur ad renē illum insignem, atque inde venæ aliæ complures passim distribuebantur, at ab arteria dextra axillari perfecti puelli arteria ortum ducebat, quæ postmodum per universam partem monstri imperfectioris deducebatur. Item à nervis dextri brachij exibāt, qui p reliquū corpus imperfecti homunculi dissleminabātur. Columbus de re Anatom. lib. 15.

Cum hæc scribo, Anconam venit puer Illyricus sex natus annos, boni sane habitus, exacte & perfecte omnia sua membra habēs monstrū tamē præ se ferēs, quia ab ejus umbilico, thoracem versus, alterum pueri corpusculum deducebatur absque tamen capite, sed duo habebat brachia, duo crura, sed utraque immobilia, ano carebat, sed scroto absque didymis, id est gemellis testiculis dictis ornabatur, non secus ac pelle oblonga quadam glandis vice, per quam urina fere semper destillabat. Sed puer quum mingebat, & per hanc quoque viam urinam repēte mittebat. Erat autē puer hic ita omnibus admirationi, ut eo parentes per universam Italiam magnam corraserint pecuniā, fuit autem hoc monstrum Anconæ Anno M. D. LII. Amat. Lusita. Curat. 57. cent. 3.

Illud quod nuper ex nudinis Francofordianis (unde velut ex Africa semper aliquid novi ad nos perfertur) accepi, obticere non possum. Anno à Christiparę virginis partu, supra sesquimille & quinquaginta sex annos, ad quartum à celebri urbe Argentina lapidem, mulier inops in pago quodam enixa est masculum, cui per epigastrium infra ξιφοειδέα orificij ventriculi cartilaginē, manu transversa, prominebat moles infanti non dissimilis, cujus caput cum cervice ad scapulas usque intra pectus cognati masculi latere videbatur: si modo ullum habuit. Brachia vero utrinq; cum manibus eminebant foras: sinistra manus quatuor, dextra tribus digitis constabat. nates uraſque habuit leniter extuberantes divaricatis usque ad sui cognati crura pedibus, quorum inversa planta dextra tabescebat, hispidam sub axillis & in pube sanuginem, & penem Virilem, unde serum, anguinis eminxit, ut embryo intra ἀλλαντοείδεα καὶ ἄμνιον tunicas suum effūdit lotium, & proinde ac fœtus in utero nihil excrementi per anum egerit, sic quoq; nihil excrevit, hos enim seminis copia ita agnatos coaluisse in confesso est, qui nundinis elapsia octo numis videndi prostabant. Langius Epist. 8. Tom. 2.

Anno

Anno 1529. in quodam Hercyniæ sylvæ superioris pago infans natus est, & in justæ staturæ virum excrevit, universa corporis figura mas recte habens, nisi quod ubera haberet, & ex ipsius pectore alterius corpus propenderet, sine capite & humeris, brachiorum informem figuram prodentes, manibus plus ad pedum, quam manuum formam accedentibus. Iacob. Rueff. lib. 5. cap. 3. de Concept. & Generat. hom.

Colmariæ imperialis Alsatiæ oppidi ad Illum fluvium siti, natus est infans virilis sexus ex cujus pectore aliud integri hominis ejusdem sexus corpus omnibus absolutum, ad genua usq; propendebat, solo capite in alio corpore infixo. Lycosth. lib. Prodigior. 1514.

Ex Sabaudia in Helvetiam venit quidam justæ ætatis, integra forma, membris bene compactis omnibus, ex cujus tamen ventriculo pterea aliud hominis corpus ita propẽdebat, ut caput tantũ atq; brachia sola deessent. Circumtulit vir bonus hanc molem, magno hominum undiquaq; confluentium spectaculo, & admiratione, pregiones diversas. Ex corpore miraculoso quæstũ faciens. Idem anno 1519. citati operis.

In Hercynię sylvę quodam pago non procul à Kniebis, infans mõstrosus natꝰ est, virilis sexus, in corpusculo circa pectus aliud

præterea corpus membris omnibus absolutis propendebat ad genua usque: solo capite in alio corpore tecto. Pervenit monstrum hominis ad virilem usque ætatem, hinc inde miraculi loco ac Argentinæ adhuc, in nundinis, circa Ioannis Baptistæ festum 1555. ac sequenti, quo hæc scribimus, apud nos Basileæ in nundinis D. Martino sacratis conspectum est. Idem.

Anno Domini 1530. visus est vir Lutetiæ ex cujus alvo alter velut consitus homo pendebat, membris omnibus, capite excepto, absolutus. Vir ille quadragenarius erat, insertumque illum, & velut prodeuntem ex sese hominem tanta omnium admiratione ulnis suis gestabat, ut certatim ad spectaculum accurrerent. Pareus operum suorum lib. 24. cap. 2.

Vidi in hac urbe, ante annos circiter viginti, virum, non magnæ staturæ, qui corp' humanum aliud á suo integrum à cervice, qua thoraci illius adnatum erat, gestabat. Hoc à thorace in terram usque propendebat, omnibus alias partibus præter caput, quod, acsi corpori intrusum esset, non apparebat, absolutũ, ungvibus insuper pilisque sub axillis ac pube ornatum. Hoc, quotiescunque vir ille mingebat, similiter urinam pro-

profundebat, podice alias clauſo,& nullibi apparente. D D. Felix Platerus de obſ. proprijs.

OBSERVATIO CXCVI.

Gemelli pectore & ventre connexi.

OCtavo idus Februarij hora quinta, eademq; minuta, Schaphuſiæ helvetiorum nati ſunt infantes duo, uterque fœminei ſexus, capitibus duobus,brachijs quatuor, totidemque pedibus disjunctis, uno vero corpore à collo ad umbilicũ uſque, umbilici ſubtus vinculo propendente.Lycoſth. lib. Prodig. Anno Domini 1543. Vide quæ annotavimus, de Geminis Lateribus connatis ex Rueffio,num eãdem vel aliam hiſt. inaudiat,annus & locus reſpondent, ſed coalitu partium. differunt.

Anno Domini 1572. in Ponte Sæo ad Andes oppidulo, prodierunt in lucem, decimo die Iulij,gemellæ fœminæ,cætera mẽbris omnibus perfectæ, niſi quod alterutrius manus ſiniſtra quatuor tantum digitis diſtincta erat. Cohęrebãt autem anterioribus partibus,nempe à mento ad umbilicum uſque, qui ipſis unicus, ut & cor unum erat: hepar vero in lobos quatuor diviſum. Vixere ſe-

re semihoram, & regenerationis lauacro insignitæ fuere. Pareus lib. 24. cap. 2.

Vidit parens hic Lovanij gemellos ita cõmissos, ut capite distincti, brachijs manibusque quatuor, ventre & sterno pectoribus copularentur. Inventum illo præsente per anatomen cor commune, cerebrum suum cuiq; secretum. Neque vulgaris quæstio, an pro uno homine, an pro duobus foret, genus hoc monstri philosophis appellandum. Orta est contentio varia, alijs sedem ἡγεμονικὸν, in corde, alijs in cerebro collocantibus. Mihi quidem (salvo semper meliore judicio) formæ humanæ dignitas ex rationis domicilo potius æstimanda censebitur, quanquam in corde sit fons caloris vitalis, ac facultatum animalium & naturalium præcipuus nodus, hoc enim ad vitam & totam animalis compositionem potius, quam ad differentiam spectat. Adde his, quod & formatrix vis, quæ primum cuncta delineat atq; discernit, in cerebro habere primam sedem certissime demonstretur, si quis nostræ conceptionis monogrammata, seu embryonis primum formati rudimenta per sectionem anatomicam accuratissime contempletur: semper enim particulis cæteris grandius caput invenimus, quin & perpetua proportione mi-

ne minora singula mẽbra, quanto longius à capitis regione destiterint, donec plenę formationis typum sunt consecuta. Idem in ranis alijsque animantibus facile est animadvertas. Gemma Cosmocrit. lib. cap. 6.

Partus mostrosus, nuper Treisæ editus, ita fuit formatus,& editus à parentibus probis inferioris & tenuioris fortunæ, quique victum ex diario labore quæritant, pedibus primum,præter naturalem & consvetũ pariendi modum,in lucem prodijt, vita caruit, quanquam paulo ante tempus pariendi vitalem senserit puerpera,partus is gemelli fuerant,seu duo infantes, uterque fœminei sexus, qui antico corpore pectore nimirum & ventre coaluerant, & conglutinati erant, bina capita habuerunt, ternis erant auriculis, & quarta auris erat tantum quędam particula inferius de aure pẽdula, quaternis pedibus, quaternis item brachijs, mutuos amplexus habuerunt. Cum autem cogitatio mentem meã subiret,an ne etiam interiorũ partium non naturalis quædam formatio aut coalitio foret, consensu parentũ & Parochi dissecui cum chirurgo præsente Parocho & Diacono: offendimus autem interius unum ventriculum, unum epar, idque

satis

satis amplum & latiusculum, quemadmodū etiam habuerūt foris unum magnum umbilicum & ductum, quo hauserunt maternum alimentarem sanguinem: Intestina erant uniusmodi, nec ita divisa aut disterminata, ut quilibet infans sua haberet, nihilominꝰ duos splenes, in utroque ventriculi latere unū, habuerunt, quemadmodum etiam duas vesiculas felis, utrinque jecinori subnexas, habuit præterea quilibet infans binos suos renes, suam vesicam, suamque matricem, & partes genitales, singula justo suo loco sita. In medio ventre pectore nimirū habuerunt unum cor amplum & latum, quod non circumplicabatur à pulmone, ut alias solet, sed membrana, mediastinum dicta, quæ mediū pulmonem dorso & pectori alligat, erat gemina; quæ tanquā duo parietes, & latera aliquatenus à se distantia, intermedium cor cum pericardio continebat, utrinque deinde in reliqua cavitate pectoris erat exigua portio pulmonis, suis ligamentis alligata, ut non unum, sed duos pulmones cognoverimus. Capita non fuerunt aperta aut dissecta, fuit enim cuique infanti suum peculiare caput, nec aliquid singulare & præter naturam in his fore arbitrabamur conspiciendum. Quare post diuturnam inspectionem fuerūt

tum

tum terræ mandati: aliquot etiam maculæ visæ sunt, præsertim in brachijs & posteriore parte corporum, alterius etiam caput nonnihil grandius fuit altero. De observationibus à D. D. Ioach. Camerario missis.

OBSERVATIO CXCVII.

Gemini ventribus cohærentes.

HEydelbergæ ad Necharum flumen, die Pentecostes duo conjuncti & masculi duobus corporibus, ventre conglutinatis, duobus capitibus, quatuor manibus & pedibus, quorum mater Catharina, Pater vero Casparus Besler faber. Baptisati sunt ambo, quorum unus Ioannes, alter vero Hieronymus nuncupatus est, vixerunt diem unum cum dimidio. Defunctis vero à Medicis membra interiora per secationem visa, cor tantum unum inventum est. Lycosth. Prodig. Anno Domini 1554.

Herbeslebij in Thuringiæ pago, 20. Martij gemellæ natæ sunt, ventre concreto, ac fascia carnea in unum quasi colligatæ, medio corpore se mutuis amplexibus retinentes. Idem eodem opere Anno Domini 1553.

In fine Iulij Anno 1538. mulier quædam peperit geminos fœminei sexus, solo ventre, unico umbilico tantum insignito, connatos. Vissennac. lib. 2. Theoricæ pag. 88.

OBSERVATIO CXCVIII.

Gemelli umbilico connati.

CONstantiæ ad Lacum Acronium, duo infantes, masculus ac fœmella, duobus capitibus, quatuor brachijs totidemq; pedibus, membris omnibus absolutis, sed circa umbilicum conjunctis corporibus nati sunt. Lycosth. lib. Prodig. Anno Domini 1093.

In pago vallis superioris Arni, nomine Tertanio, monstrum est natum, habens duos pueros uno umbilico ad invicem junctos, cui ab uno latere & genitalia erant mẽbra, & bina quoq; pendebãt invalida crura, ab altero vero latere crus solum exibat imperfectũ, vixitque diem unum. Lycosth. Prodig. lib. Anno Domini 1316.

In pago Grossouu agri Tigurini apud Helvetios, mulier honesta peperit masculos duos, duob⁹ capitibus, uno quidem corpore, umbilici vinculo conjunctos, quatuor manibus totidemque pedibus. Lycosth. lib. Prodig. Anno Domini 1503.

Anno 1590. 4. quarto Maij. circa meridiem, in pago Hermeltzheim, ditionis Episcopatus Argentoratẽsis: Margareta Theobaldi

obaldi Helden, civis, uxor enixa est fœtum bicipitem, quadrimanum, quadrupedem, duobus membris muliebribus, omnibus reliquis partibus, uno excepto umbilico, quo nimirum colligati erant gemelli, distinctum. VVilhelmus Mees Amicus.

OBSERVATIO CXCIX.

Gemini lateribus connati.

IN Oppido Seckingen (patria Ioannis Iacobi Beurersi in Academia Freiburg. Professoris, amici nostri singularis) tribus miliaribus supra Basileam ad Rheni ripam sito, gemini nati sunt, cõjunctis lateribus, qui tamen proptet matris graviter parturiẽtis dolores non diu vixerunt. Lycosth. lib. Prodig. Anno Domini 1534.

In Acken oppido Saxoniæ ad Albim, infantes femoribus laterotenus connati visi sunt, qua crura subnectuntur coxæ, eo situ ut dexter siniſtra manu humero dextro alterius incumberet, siniſter dextram thoraci alterius transversim prætenderet. Peucerus Teratoscopiæ pag. 441.

Scaphusiæ Helvetiorum anno 1543. infantes duo nati sunt, conjuncto altero latere, capitibus duobus, brachijs quatuor, totidemque pedibus, umbilico uno,

fœminei sexus uterque. Ex his alter mortuus in lucem prodijt, alter vero vivus prodiens, continuo expiravit. His per omnia similes alij quoque anno 1553. in Einsidler nati sunt. Iacob. Rueff de Cõcept. & Generat. hominis lib. 5. cap. 3.

OBSERVATIO CC.

Gemelli dorso conjuncti.

IN Palatinatu non procul ab Heydelberga in Pago quodam Rorbachio, gemini utriusque sexus, obversis tergoribus annexis, nati sunt. Lycosth. Prodig. lib. Anno Domini 1486.

Nati sunt quidam tergoribus ánexis singillatim umbilici vinculis propendentibus, distinctis membris, nullo deficiente aut superãte. Iacob. Rueff. de Cõcept & Generat. hominis lib. 5. cap. 3.

Anno Domini 1475. Veronæ in Italia natæ produntur duæ virgunculæ sibi dorso ab humeris ad nates usque arctissime cohærentes. Monstri novitas pauperes parentes impu it, ut id per omnia Italiæ oppida, ad corrugandam ex accurrente ad spectaculum undiq;

undique multitudine pecuniam, circumferrent. Pareus lib. 24. cap. 2. historiæ.

Ejusdē (ut apparet) historiæ meminit Lycosth. Prodigiorū lib. his verbis. In Veronēsi (inquit) agro, infans fœmina orta est, binis genitalibus, duplici ventre, quaternis brachijs. Id monstrum parentes, multum diuque per Italiæ urbes, quæstus causa circūtulere vide. Annum Domini allegatum.

Simile Romæ Anno 1493. visum annotavit Gēma cosmorit. lib. 1. cap. 6. Ex Lycosthene, cujus hęc sunt. Romæ gemini nati, simulque uno corpore juncti adversis inter se manibus ac facie, qui pauxillos vixerunt dies. Vide ejusdem Prodig. lib. anni cicati.

In Romana historia Vrbis 660. geminas puellas dorsorum concretione continuas, natas legimus. C. Lælio & L. Domitio Coss. Peucerus in Teratoscopia pag. 441. b. forte ij qui à Ruefio adducuntur proxime.

Vulsinijs gemelli nati tergis sibi affixi, capitibus duobus, brachijs quatuor, totidemque

demque pedibus, uterque sexus fœminei. Iacob. Rueff. de Concept. & Generat. hominis lib. 5. cap. 3.

OBSERVATIO CCI.

Bicorpora tergeri connata: quorum anticum homini, posticum canis forma.

CIrca finẽ imperij Lotharij Cæsaris, qui qui fuit Saxoniæ Dux, quædam mulier edidit partum monstrosum, specie videlicet hominis ac canis, integerrime corporibus conjunctis, dorso connexis, ac dorsi spina solidissime conglutinatis. Lycosth. lib. Prodig. Anno Domini 1854.

In Albania ignobilis muliercula, monstrum bisgemini corporis est enixa, aversis vultibus, & corporibus sibi cohærens: ante quidem effigies hominis, integro corporisque membrorum homine distincta, retro vero facies canis similiter corporis & membrorum proprietate integra. Idem Anno Domini 1126.

OBSER-

OBSERVATIO CCII.

Monstra bicipitia & gemina superna corporis parte: inferna simplicia.

ANte annos aliquot, nostra certe memoria, in Oriente duplex homo natus est superioribus membris, inferioribus simplex: nã duo erãt capita, duo pectora, quatuor manus, venter autem unus, & pedes duo, sicut uni homini: & tam diu vixit, ut multos ad eũ interdum fama contraheret. D. Augustinus de Civit. Dei, lib. 16. cap. 8.

Augustinus in Enchiridio c. 87. facit mẽtionẽ bimẽbris cujusdã nati tũ in oriente, sed descripti ab Hier. apud quẽ est Lyddę natum hominem duorum capitum, quatuor manuum, uno ventre, duobus pedibus. Martinus VVeinrichius Comment. de Monstris c. 24.

Constat monstrum in Ægypto nimirum vixisse ad quartum usque annum, quod umbilico tenus ex duobus constabat, infra autẽ unus erat puer. Cardanus Comment. ad Hippoc. de sept. partu.

Anno Henrici 3. Imp. 5. in confinio Nortmãniæ & Britanniæ, portentum visum est in una vel potius duabus mulieribus. Duo erãt capita, & 4. brachia, cætera gemina usque ad umbilicum, inferius singula omnia. Comedebat, ridebat, loquebatur, una flebat, esuriebat, altera tacebat, ore gemino man-

ducabat, ſed uno meatu per ventrem eijciebar, una defuncta, ſupervixit altera, pene triennio mortuam portans, donec & pondere molis & nidore cadaveris defecit. Vincēt. lib. 26. cap. 38. Speculi hiſtorici. ex Guillerino. Sed hæc Matth. Palmerius retulit ad annum Chriſt. 1061.

In infante nato in Britānia, cuj⁹ genitalia genitalibus inſerta erāt, crura cōmixta ut in duo redirent, cætera duorū, caput, brachia, venter, atque ex adverſo poſiti, mortem regis, mutationemq; regni, & ſororis ſucceſſionem oſtenderunt. Cardanus lib. 14. cap. 77. de Varietate.

In Anglia natus eſt puer geminus á chine ad ſuperiores partes ita diviſus, ut duo haberet capita, duo corpora integra ad renes cū ſuis brachijs, qui baptizatus triduo ſupervixit. Lycoſthenes lib. Prodig. Anno Domini 1112.

Aliquando fit bicorporeum ſuperius vel inferius: ſicut accidit de eo qui fuit natus cum duobus capitibus: & poſtea continuata erant duo corpora in collo & in dorſo utriuſque: & inferius videbatur unum corpus. Albertus Comment. ad lib. 2. Phyſicorum Ariſtot.

In a-

In agro Florentino natus puer bicorpori effigie: geminis capitibus: quaternis manibus, circa genitales partes connexus, sic quod non amplius quam in geminos pedes desineret: viderunt illic omnes. Ad nos autem, qui tunc in Gallia degebamus, per amicos cives imago picta transmissa est. Ingensque solius ad picturæ spectaculum concursus hominum fuit. Septimum ætatis annum agens, genitorem meum vidi tabellam ejusmodi in manibus tenentem. Scissitatus quid esset? Rem omnem eo monstrante didici: & aure convulsa meminisse jussus: enarraturus filijs ut ipse dicebat meis. Ego autem & nepotibus renarro. Et hic quidem partus diebus (ut perhibent) paucis vixit. Franc. Petracha lib. 4. Tract. 6. cap. 21. de Rebus Memorandis.

Hac Petrus Paulusq; uno sub corpore bini
Fabrica naturę mira jacemus humo
Cuiq; suum fuit & manuũ: fuit oris opusque
Vesicæ: ast unum ventris opusque fuit
Iunxere extremæ partes nos corporis am-
(bos
Quas neuter simul & dicat uterque suas
Neutra ex parte pedes, capita ex utraque
(fuerunt
Bina: sed è medio corpore planta fuit

Bina fuit medio quæ corpora plãta deorſum
Pendebat: ſurſum quinta erat una manus
Non vero nobis unus ſomnuſque cibusque
Nec riſus nobis: fletus & unus erat
Somno membra dabat unus, ridebat & alter
Surgebatq; unus, flens quoq; & alter erat
In Florentina natos nos fluminis arni
Valle dedit patriæ, nos pia cura patris:
Inde alti: & ſacro pariter de fonte levati
Viximus ambo decem bis totidemq; dies
Quid nunc Neptunum: quid nunc Ianumq; (bifrontem
Miraris? ſtygij terna quid ora canis?
Et quid Gerionis tria corpora? ſcilicet unum
Nos corpus: binas nos animasque lege.

Idem de eodem Monſtro Tract. 7. cap. 2. ejuſdem operis. Effigies monſtri hujus nati in comitatu Florentinorum ſculpta eſt in hoſpitali ad ſcalas. Lycoſthenes ad annum Domini 1310 retulit.

In oppido Germanię Rotvvil, ad Herciniam ſylvam ſito, infans duobus capitibus, quatuor manibus, duobus pedib⁹ natus eſt. Idem lib. Prodigior. anno Domini 1494.

Ante annos aliquot (nimirum año 1489. ut annotavit Corn. Gemma) in ditione Vuerdenberga, mõſtrum fœminei ſexus natũ eſt, capi-

pitibus duobus, brachijs quatuor, pectore & vētre uno, pedibus duobus. Euchar. Rhodiō lib. de partu hominis cap. 3. & Iacob. Rueff. lib. 5. c. 3. de con. & generat. hominis.

Anno Christi, 1543. altera à D. Catharinę die, mulier quædam in pago Reinach prope Basileam monstrosum partum enixa est: superna scilicet corporis parte geminos, at vētribus & pectoribus ad collum usque concretos, sed distinctis capitibus duobus, sese invicem continentib⁹: & quatuor brachijs mutuo se cōplectētibus; genitali unico, eodemque masculo, ano item unico: reliquo inferioris corporis trunco simplici, in duos solum pedes desinente. Ex his alter mortuus, alter vivus in lucem prodijt, qui tamen horā unicam non supervixit. Similis partus alius anno Christi 1063. in Vngaria visus est, cæterum fœmini sexus. Munsterus Cosmographiæ lib. 3. Edit. 1564. pag. 50.

Monstrum novi generis in Scotia natū est, inferiore qdē corporis parte specie maris, nec quicquā à cōmuni hominū forma discrepans, umbilicū vero supra, trūco corporis ac reliquis omnib⁹ mēbris geminis & ad usum atque speciem discretis. Id Rex diligenter & educandum & erudiendum curavit, ac maxime

xime in musicis, qua in re mirabiliter profecit, quin & varias linguas edidicit, & varijs voluntatibus duo corpora secum discordia dissentiebant, ac interim litigabant, cum aliud alij placeret, interim veluti in commune cōsultabant. Illud etiam in eo memorabile fuit, quod cum inferne crura lumbive offēderentur, utrumque corpus communiter dolorem sentiret, cum vero superne pungeretur, aut alioqui læderetur, ad alterum corpus tantum doloris sensus perveniret, quod discrimen in morte quoque fuit magis perspicuum. Nam cum alterum corpus complures ante alterum dies extinctum fuisset, quod superstes fuit, dimidio sui computrescente, paulatim contabuit. Vixit id monstrum annos viginti octo, ac decessit, administrante rem Scoticam Ioanne protege. Hæc de re scribimus eo confidentius, quod adhuc supersint homines honesti complures qui hæc viderint. Georg. Buchananus Scoticæ Hist. lib. 13. Communicante Cl. V. D. Ioach. Camerario.

OBSER-

OBSERVATIO CCIII.

Monstra superno corporis trunco simplicia seu unicorpora: at inferna parte duplicia seu bicorpora.

COntigit in Italia, nō longe ante ista tempora visum est monstrum in specie humana, sexu muliebri figuratum, continuum usque ad pectoris cavitatem, & ab inde duplex extitit perfecte: quod fuit optime cantativum, & huic simile dicit se vidisse Hali in techne, de causis. Petrus Aponens. Comment. ad problem. 62. Partic. 10. Arist.

Aliquando fit bicorporeum superius, vel inferius, sicut accidit de eo qui fuit natus cū duobus capitibus, & postea continuata erāt duo corpora in collo, & in dorso utriusq; & inferius videbatur unum corpus. Aliquando autem visus est natus è contra, qui quatuor habuit crura: & unicum & continuum corpus apparuit in superiori parte, quod absque dubio contigit ex divisione spermatis in matrice. Albertus Commment. ad cap. 2. lib. 2. Aristotelis.

Bernæ in Italia puella nata est, uno capite, duobus posterioribus corporis partibus, totidemque membris. Lycosth. de Prodig. Anno Domini 1472.

OBSERVATIO CCIV.

Bicipitia monstra, quæ una vel manibus, aut pedibus, vel utrisque simul monstrose conformata fuerunt.

C. Lælio. L. Domitio Coss. Puella biceps, quadripes, quadrimana, gemina, fœminea natura, mortua nata. Iul. Obsequens.

In agro Tigurino natus est infãs ei plane similis qui in Helvetijs etiã in pago Gossouu, ante sexennium natus est, uno scilicet corpore, duobus capitibus, tribus manibus, totidemque pedibus. Lycosthenes lib. Prodig. Anno Domini 1536.

Vigesima septima die Decembr. qui Divo Stephano sacratus est, in pago Freyuuerk, nõ procul ab Adorffio Voitlandiæ oppido, biceps infãs, quatuor manibus, ac pedibus totidem, absque secreto sexum prodente (cujus tamen loco umbilicum habebat) à fabri cujusdam ferrarij uxore natus est. Idem Anno Domini 1555.

Non procul à Lypsia, biceps infans, quatuor manibus, totidemque pedibus, uno autem corpore tantum, natus est. Idem. Anno Domini 1556.

OBSERVATIO CCV.

Bicorpora multifariam inter se confusa.

Anno

ANno 1552. in Anglia non procul ab Oxonia, informis quidam partus natꝰ eſt, capitibus duobus, brachijs quatuor, manibus totidem, ventre uno, membro muliebri, ſede una. Ex una parte pedes tranſverſi duo erant. Ex altera unus tantum, rite exporrectus, forma duorum pedum, digitos habens decem. Horum alter diebus quindecim, alter vero uno ſupervixit. Lachrimarunt hoc tempore raro. Alter ex his lætus admodum, alter vero ſomniculoſus & triſtis extitit, viginti digitos tranſverſos erat longitudo & latitudo ipſorum. Iacob. Rueff de Concept. & Generatione hominis lib. 5. cap. 3. Lycoſthenes addit. 3. Auguſti inter decimam ac undecimam noctis horam Mildeltoſtoni in Anglia natum.

Genevæ apud Allobroges monſtrum ex Galla quadam muliere, Genevæ tunc habitante, natum eſt: quod materiæ redundantis indicium fuit. Id monſtrum binas habuit acies, hoc eſt bifrons erat, qualẽ Ianum pinxit Antiquitas. Quod utrinque pendet inflatum, inteſtina ſunt ex dorſo prodeuntia. Quod autem ex ventris inferiore parte pendet, id jecur eſt. ex fœminæ vulva prolapſum monſtrũ hoc utrũq; habet ſexum, ad dextrã mas eſt, ad levam fœmina. Crura quæ jacere ſeparatim vides, ſic diſcerpta evulſaque ex ipſa

matre, dum enitteretur, fuerunt. Ad vivum expressit Caspar Maserius pictor, qui tum ibidem cum multis alijs aderat. Lycosth. lib. Prodig. Anno domini 1555. qui adjecit, quem consulere potes.

OBSERVATIO CCVI.

Toto quidam corpore, aut plerisque suis partibus monstrosi visi.

IN Thracia, paulo ante Mauritij Romanorum Regis obitum, mulier portentum genuit monstrosum prorsus, naturæque ipsius piaculum. Oculis namq; palpebris & supercilijs caruit, neque reliqua corpors constitutione formam & effigiem justã habuit: quippe cui neque manus neq; brachia essent, & cui ad coxẽdices cauda piscis illis innata dependeret. Quod portentum ubi Mauritius Imperator vidit, interfici id jussit, gladiumque statim exosculatus est. Mater autem, quæ monstrũ ipsum protulerat, quandoquidem sua culpa ad inopinatum miraculum nihil contulisset, crimine absoluta est. Lycosth. Prodig. lib. Anno Domini 601.

In Saxonia mense Februario infans natus est horrendo aspectu, corpore quidem integro & bene compacto, sed contusis, lacera-

tis,

tis,atque laxatis membris omnibus excepto capite oblongo, ac quasi turcico pileo insignito.Idem lib.Prodig. Año Domini 1545.

In Ploa Voitlandiæ oppido infãs natꝰ est mõstrosus,in eo n. neq; dorsum neq; venter apparuit,præterquã ꝙ intestina circa pectus exapto corpore lõge depẽderẽt, pedes versꝰ caput inclinavit,umbilicum in mola sinistræ tibiæ habuit,capite fuit acuminato ad similitudinem cidaris aut tiaræ.Idem lib.Prodig. Anno Domini 1547.

Margareta Heckelin civis Passaviẽsis, anno Domini 1590. fœtũ enixa est mõstrosum & horrẽdũ: capite felis, oculis in fronte triginta,pedibus sex,brachijs quatuor,digitorũ manus loco ungulis vitulinis,pedibus omnibus digitatis, & unguibus recurvis, p̃pilatis, forma prsꝰ cacodęmonis,cauda vitulina,corpore scabro & carnoso,voce qualis capræ,id est vanelli vulgo dicti avis. Tetrum hoc animal,simul atq; in lucẽ prodijt,cõclave velocissimo cursu perravit: id mulieres,advocatis in subsidiũ vicinis,captum interfecerunt. Visumq; fœdũ & abominabile monstrum istud aliquod centum hominibus.

Ravennæ natum est monstrum,cornu in capite,alas habebat, brachia nulla, pedem unum,ut avis rapax, oculum in genu, sexum

trumq;, in medio pectore Ypsilon & crucis effigiem. Aliqui interpretati sunt, cornua superbiam, alas levitatē & mentis incōstantiam, carentiā brachiorū, defectum bonorū operum, pedē rapacē, rapinam, usuram & omnimodam avaritiam, oculum in genu solum, ad res terrenas mentis defectionem, utrumque sexum, sodomiam: Et ꝓpter hęc vitia Italiam sic bellicis contritionibus quati, regē autem Franciæ non sua virtute id facere, sed solum esse DEI flagellum. Ypsilon vero & X, signa esse salutis, nā Y figura est virtutis. Ideo si ad virtutem recurrant, & ad Christi crucem, ab his pressuris & tribulationibus respirationē & pacē conquassationibus desiderabiliorem sint habituri. Hæc legimus apud Ioannem Multivallem ac Casparum Hedionem in historica synopsi post Sabellicum ad nostrausque tempora. Verum & aliam ejusdem mōstri effigiem, sed paulo diversam ac priori nō in omnibus respondentem, cum interpretatione carmine expressa, vidimus. Lycosthenes de prodigijs & ostentis Anni 1511.

Cacroviæ natus est infans ex honestis & nobilibus parentibus, teter admodum & horri-

horribilis aſpectu, flammeis & radiantibus oculis, ore naribusque Bovinis, cornu figura exortis & prominentibus, dorſo pilis caninis hiſpido, ſimiarum faciebus in pectore extantibus, qua mammarum locus, oculis felium ſubtus umbilicum hypogaſtrio adfixis, tetris ac minacibus canum capitibus ad utrumque cubitum & pedis utriuſque patellam introrſum ſpectantibus τετραπόδους & τετανόχειρ, figura pedum cigni, cauda ſurſum reflexa, & recurva, longitudine ulnæ dimidiæ, editus in lucem quatuor horas vixiſſe, & tandem his emiſſis vocibus, Vigilate, Dominus Deus veſter adventat, expiraſſe dicitur. Hoc monſtrum deſcribit Caſparus Peucerus de Teratoſcop. & Munſterus noſter in Coſmographicis: elegantiſſimo autem carmine Caſparus Bruſchius. Idem de prodigijs Anno 1543.

In Marchiæ villa Dammenuualde prope VVirſtock, coloni cujuſdã conjunx mõſtrũ, q̃ deſcribit Fincelius, edidit. Infans toto corpore fuit ſpadiceo colore, capite cornuto, oculis craſſis, ꝓminentibus, abſq; naſo, patulo ore, quod longitudine ſpitamæ diſtentum fuit, in cujus medio lingua candida eminuit, & quadrata, colli expers. Caput

enim ſcapulis accrevit, & corpus totum inflatum, & rugoſum, brachia in lumbis hęſerunt, pedes longe tenuiſſimi. Ab umbilico autem ſpecies laxi inteſtini longe dependit ad pedes. Idem in Prodigijs Anni 1551.

DE TVMORIBVS
præter naturam.

OBSERVATIO CCVII.
Boa cujuſmodi morbus.

BOa appellatur morbus papularum: cum rubent corpora: Sambuci ramo verberatur. Opinor (inquit quidam) morbum eſſe hactenus incognitum, qui vulgo rubello dicitur. Crurum quoq; tumor, viæ labore collectus, boa appellatur. Feſtus. Bova ſive Boa morbi genus eſt, cum corpora papularum multitudine rubent, ad ſimilitudinem eorũ qui Boa ſerpente icti obturgeſcunt. Ignovit hæc Feſtus Pompejus, qui boam ſcripſit eſſe crurum tumorem vię labore collectum. Perottus: qui papularum, quibus corpus exaſperatur & rubet, genera duo deſcribit: & à Græcis hydracia nominari ſcribit, ab hydro, (ut

(ut quidam existimant) cujus ictus hujusmodi papulas excitet cum tumore. Ebuli folia contrita, & veteri vino imposita, Boam sanant, id est, rubenteis papulas. Gesnerus Hist. Animal. lib. 4. pag. 524. & sequenti.

OBSERVATIO CCVIII.

De abscessu spirituoso dicto, raro evenire solito.

ABscessum patiebatur adolescens Ragusæus, sub ala, & illum quidē præmagnū, qui temporis successu, mollis & lividus, magna cum pulsatione ita evasit, ut intra eū pus contineri medici & chirurgici pro certo haberent: itaq; de eo aperiendo, nulla inter eos discordia habita, opus aggressi sunt, sed quali successu, audite: vix enim abscessus phlebotomo apert⁹ fuit, ex quo sanguis impetuose, quodam cum spiritus strepitu prosilivit, cum ægrotus ipse posito capite exspiravit, non sine tamē ingenti assistentium medicorū opprobrio & dedecore. Amat. Lusitanus Cent. 6. Curat. 82.

Inflammatio ut à sanguine è venis effluxo fieri solet, ita abscessus hic ex arteriæ spirituoso sanguine, extra collecto, evenire solet, q. quidē abscessus periculosus admodū est, ut in quo spiritus, qui, ipso Galeno dicēte, ani-

ma ipsa, vel animæ immediatũ instrumentũ sunt, cõtinentur, quo aperto, vel ex se disrupto, ægrotans periclitatur & deficit: memini me alias Romæ similem vidisse morbum, à quo, q illum patiebatur, ut & hic, brevi obijt. Idem in Scholio ad eandem Curat.

OBSERVATIO CCIX.

Melicera pro carbunculo judicata.

VLcere sinbalbido, furũculo simili, quod Græci, eo q favi speciẽ habeat, μελικηρὶν vocãt, vir quidam nomine Paul⁹ laborabat. Id autẽ cum febrẽ & inflammationẽ ingentem excitasset, Medicum quidẽ, sed q per imperitiã ulceris ipsius naturã minime calleret, accersit. Eo autem judicante ulcus ipsum pestilẽs esse (venit n. cum dolore vehemẽti, habẽsq; foramina p quæ fertur humor glutinosus, vix maturescit) simul oẽs cum cõsulente Medico aufugiunt, uni tantũ viro ægri curã cõmendantes. Quo factum, ut desperatis pene rebus ad me mitteret, rogaretque aliquod pereunti illi auxiliũ ferrẽ. Scisciti itaq; nunciũ vlceris naturã, an increscat ægritudo, vel deficiat virtus, aut forte eo loco pestilentes sint febres. Refertur ulcus non nigrum, non lucens, nõ pallidum esse, febrem lentã & pene levatã, sana omnia in regione illa. Accedo igitur ad hominẽ: cumq; hilari vultu

vultu residissem, faciē primo oculosq; sano similes intueor. Tum arteriā tāgēs, plenioreq; reperio. Quare sanitatem pollicitus, ulcus detego, & omni sublato timore, familiā revocās, curā aggredior: quæ licet difficilis admodū fuerit, ad integram tamen sanitatem æger ille p Dei gratiam reuersus est. Benivenius cap. 67. Abditorum.

OBSERVATIO CCX.

Acrochordones, & verucas aliquando sua sponte citra medicamentorum usum evanescere, at contagio minime vacare.

Filiam habeo quę quintum annum exegit, Margaretā nomine, cui plures acrochordones & aliæ verrucę accidere, & per faciem & manus innatæ sunt: sed sponte sua, nulla ope medica adhibita, sanatæ sunt: & alij mei filij, qui eodem linteo faciem abstergebant, ex contagio infecti sunt, tamen nulla cura oēs evaserunt. Ant. Musa Brasavola, Comment. ad aphoris. 26. lib. 3. Hipp.

OBSERVATIO CCXI.

Aneurismatis exempla illustria.

QVod á me paucis ab hinc annis animadversum est, in sacrificio quodā S. Andreæ ab Arcub⁹, magistro Ioañe Mailleto, a-

pud primariũ præsidem Christophorum d: Thou commoráte. Illi igitur, ad humeri de articulationẽ cum aneurisma subesset nucis juglãdis magnitudine, edixi, ne id sibi aperiri curaret, alias vitam in manifesto futuram discrimine: tutius ipsi futurum, si conduplicatis linteis in solani & aizoj succo maceratis, caseo recenti & seroso admixto, i unguento de bolo, emplastro contra rupturam, alijsque refrigerantibus & astringentibus, mali impetum retunderet, si laminam plumbeam imponeret, caligisque uteretur brevioribus, ut ad eam continendam esse: illi thorax ex quo caligas subnectebat fasciæ loco: interim vitaret omnia quæ sanguinem attenuant & incendunt, præsertim vero à vocis omni contentione sibi temperaret. Hac diæta, etsi per annum esset usus, efficere tamen nequivit, quin tumor crescceret. Quo animadverso, tonsorem adijt, qui ratus tumorem illum esse ex genere vulgarium apostematum, pyroticum escharoticum, quo apertionem moliretur, sub vesperum apposuit: exacta nocte, sub auroram tanta sanguinis, rupto tumore, prorumpebat copia, ut attonitus omnium opem imploraret, atque me vocari juberet, qui ipsi hæmorrhagiam tantam sisterem, pœnitere quod monitis

minus obsequens fuisset. Vocor igitur, sed cum vix dum ædium limina attigissem, jam animam cum sanguine reddiderat. Quare Tyronem chirurgum diligenter monitum velim, ne temere Aneurismata, nisi forte exigua & in parte ignobili, nec insignibus vasis prædita, aperiat: hac potius curationem adgrediatur. Cutis superincidatur dum pateſiat arteria, patefacta ipsa scalpello undiq; à circumstantibus particulis diducatur, ipsi retusa & incurva acus introrsum filum trahens subijciatur, ligetur, hinc abscindatur, intorti fili lapsus ex sese expectetur, dum natura abscissæ arteriæ oras regenerata carne obducet: dehinc reliquum curationis simplicium vulnerum modo absolvatur. Quæ in partibus internis contingunt aneurismata, sunt incurabilia, qualia frequenter accidunt his, qui litus & sudores ad curationem luis venereæ multoties pertulerunt, quod sanguis attenuatus, & nimium inde incalescens, adeoque incandescens, nec jam arteriæ conceptaculis contineri potis, ipsam in eam distendit amplitudinem, ut manum inpugnum complicatam capere possit. Quod ego animadverti in cadavere Vestiarij cujusdam, qui ex Aneurismate arteriæ venosæ repente, dum pila palmaria luderet, rupto

vaſe, corruit; diſſecto cadavere, magnã ſanguinis copiam in thoracis capacitatem effuſam inveni, arteriæ vero corpus in eam quã dixi amplitudinem dilatatum, internamque ipſius tunicam oſſeam: quo ego nomine ejus paulo poſt cum magna admiratione copiam in Scholis Medicorum feci, dum cadaver publice diſſecaré: ille dum viveret, micãtium impetu arteriarum omnium pulſum ingentemque toto corpore calorem ſe percipere dicebat: cujus rei occaſione ſæpe animo linquebatur. Dominus Sylvius, Regius tum Medicinæ profeſſor, interdixit illi vino, aquam coctam pro potu, & pro cibo lac preſſum, caſeoſque recentes eſſe, atque cataplaſmatis forma imponi dolenti & tumenti loco voluit: veſperi ptiſana ex farina hordei & ſemine papaveris utebatur: clyſtere vero ex refrigerãtib. & emolliẽtib. aut caſſia ſola p intervalla purgabtur, qb⁹ remedijs multo meli⁹ ſibi eſſe dicebat. Cauſa oſſeę ejuſmodi arteriarũ per aneuriſmata cõſtitutionis eſt, quod ſanguis calidus & fervens primo tunicarum arterię facit dilatationem, inde ruptionem. Quod cum contigerit, mutuatur tum ex corporibus vicinis materiam idoneam qua ſolutam ſui unitatem reſtau-

restauret. Hæc materia dum sensim reficcatur & induratur, in cartilagineam vel etiam osseam substantiam degenerat, eatundem plane causarum materialium & efficientium vi, qua in renibus & vesica calculi generantur: sanguinis enim portio magis terrestris desiccatur & densatur, vi caloris contra naturam in parte aneurismate obsessa existentis, quo fit ut ad arteriæ dilatatæ & ruptæ substantiam additam in osseæ consistentiæ corpus abeat. In quo naturæ, Dei ministræ, elucet singularis providentia, ut quę novo velut aggere comparato, & oppsito, furentis sanguinis, spirituum vitalium copia turgentis, impetus retardare velit, nisi quis malit ejus duritiei causam referre ad continuam medicamentorum refrigerantium & astringentium, quibus densandi & indurandi vis inest, appositionem: ut non omnino obscure licet colligere ex Galeni scriptis. Cæterum ne falleris signis supra commemoratis: nam nonnunquam in insignibus Aneurismatis nec pulsum ullum percipere licet, nec digitorū appressione sanguinē in arteriam cōpellere, vel quia sāguinis ejusmodi effusi ma-

major ſubeſt copia, quam pro priſtinis arteriæ cõceptaculis coerceri poſſit, vel quia in thrombos coit & cõcreſcit, ex quo mox putreſcit, ventilationis à corde beneficio deſtitutus: unde dolor ingens, Gangræna & partis necroſis, animantis denique ipſius interitus. Pareus lib. 6. cap. 28.

Ante annos plus minus 40. habui cũ collegis D. Achille Graſſaro Lindavienſe, & quodam noſtrate, in cura quendam patritium, magni nominis virum, Leonh. Velſerum. Is ex ſaltu & concuſſione equi ferocientis incidit in vehementiſſimum dolorem dorſi qui nulla erat medicabilis arte, plurimis & diverſis cujuſque generis tentatis, tãdem ex Belgio, ni fallor, huc vocatus Andr. Veſalius, cui in anatomicis adminiſtrationibus ſuo tempore par non erat, nedum ſuperior: is ut deprehendit tumorem aliquem haud ita magnum in dorſo circa vertebras aut ſpinam pulſantem, ſtatim dicebat eſſe ἀνεύρισμα ex dilatatione aortæ arteriæ: nam ut in varicibus videmus contineri ſanguinẽ in media vena, ita in hoc affectu in media aorta arteria, idque ex ſaltu ſeu concuſſione equi contigiſſe, & incurabilem fore: idem aſſerebat ſe ejuſmodi affectus vidiſſe in gutture, in pectore, in poplite, in brachijs, &

ſemper

ſemper inferre extremos dolores, & tãdem ſyderationem, nec curari niſi abſciſſa parte affecta. In ejuſmodi aneuriſmate ſe quandoque reperiſſe humorem concretum inſtar glaciei aut humoris criſtallini, interdum veluti ſanguinem concretum, aut molam, in vivis corporibus verum ſangvinem deprehẽdiſſe, in defunctis nigrum & ſyderatum, & cum graviſſimis doloribus ægros mori: ſpõte interdum fieri ejuſmodi vaſorũ dilatationẽ, interdum ex cauſa antecedẽte, qualis fuit in hoc noſtro ægro, qui, ſupra bienniũ hoc graviſſimo morbo conflictatus, omniq; auxilio medico deſtitutus, tandẽ in manus emperici cujuſdam incidit, qui, ſalutem pollicitus, exhibuit catapotia neſcio qualia, ex quibus in ſanguinis ſputum incidit, & miſer ille in ſinu conjugis tandem extinctus 25. Iunij Anni 1557. Diſſecto corpore, reperimus id quod Veſalius prædixerat, in ipſa aortæ arteriæ cavitate tumorem prægrandem, durum, carnoſum, ex ſanguine arteriali concretum, qui foras etiam protuberans, in dorſo dolorem & pulſationes inferebat: ejuſmodi nimirũ, qualis in arteriarum pulſu deprehendi ſolent. Ita de hoc affectu incurabili edocti ſumus à Veſalio, priuſquam bonus ille vir moreretur.

Etiam-

Etiānū apud nos est civis, q̄ ex læsione arteriæ in brachio dextro ex venæsectione incurrit ἀνεύρισμα magnitudine ovi gallinacei aut anserini, q̄ tamen cōsolidata arteria nullā molestiā p̄bet, ita ut ōnes actiones volūntarias obire possit citra noxā. CL. V. D. D. Adolphi Occonis Observatio.

OBSERVATIO CCXII.

Monstrosa in abscessibus visa,

ABscessꝰ ἀπόστημα Græce dicitur. Hujus duplex genus est. Vnū cum phlegmone in pus versa, pus ipsum tanquā in sinu aliquo est collectū. Alterū cū nulla p̄cedēte phlegmone, humor aliquis statim ab initio, isq; alias specie alius, cæterū omnino acris, in parte aliqua colligitur, porro excoriat hic circūpositā corpora: spatiū videlicet sibi moliens vel inter duas tunicas, vel sub certis mēbranis. Excoriat autem omnino ipsa copia distendens: interim vero acrimoniā quādā à putredine tēpore cōtrahēs. Sane inveniūtur in hujusmodi abscessib. cū scalpello sunt divisi, ꝓprietates quædā non paucæ, nec humorū modo, sed etiam solidorū quorundā corporū. Siquidem unguium, pilorum, ossium, testarum, lapidū, & pori fragmentorum similia inventa in his corpora quædam sunt. Ac humorum ipsorum alius veluti lutum, vel cœnum, vel olei quidam limus, vel vini fæ-

fæx, alius adeo graviter olens, ut omnes averſentur. Verum hæc rarius incidunt. Frequentiſſima vero hujus morbi ſunt tria genera, quorum ſingula propriam appellationem Græce ſunt ſortita. Ea ſunt ἀθήρωμα, στέατωμα, μελικηρὶς à ſimilitudine contẽtarum in tumoribus ſubſtantiarum dicta. Eſt enim aliud eorum veluti ſevum, aliud veluti mel, aliud pulticulæ quam ἀθήραι vocant ſimile. Galenus lib. method. 14. cap. 12.

Quocunque modo fiat abſceſſus, id ſpatium, quod abſcedentes partes interiacet, humoribus illum efficientibus impletur. Qui, ſi diutius aliquando maneant, in varias formas mutantur. Etenim lapidibus, arenis, teſtis, lignis, carbonibus, luto, ſtrigmento, amurcæ fęci, multiſque id genus aliis ſimilia ſæpe in abſceſibus contenta deprehenduntur. Galenus lib. 2. ad Glauconem cap. 7. Plura vide apud Celſum lib 7. cap. 6. Nos accerſiti cũ eſſem⁹ præſentes dũ nobili cuidã matronæ Venetæ reſcinderetur abſceſſus vidimus chirurgum extraxiſſe durã quandã materiã ex eo abſceſſu, quã diſcernere nõ poteram⁹, num lapis poti⁹ eſſet, vel os. Vict. Trincavelli⁹ de ratione curand. Human. corp. affect. lib. 10. cap. 5.

Præter Atheromata Steatomata & Melicerides, multa ſunt alia tumorum genera, ut,

Teſtudo

Nata, Glandula, Nodus, Botium, Lupia, quę ut materia (ſunt enim omnia ab humore pituitoſo craſſo, lento, & viſcido) ſic ſpecie cũ atheromate, ſteatomate, & meliceride conveniunt. Quin & in his apertis plerunque cernas omnis generis & à communi tumorum materia longe diſſita corpora, ut lapides, cretam, arenam, carbones, cochleas, ſpicas, fœnum, cornu, pilos, carnes tum duras tum ſpongioſas, cartilagines, oſſa, integra etiam animalcula, tum viva tum mortua. Quarum rerum generatio (per humorum corruptionem & alterationem) nos non admodum tenebit attonitos, ſi conſideremus, quod, quemadmodũ ex totius magni mũdi ſeminibus & elementis omnibus, natura hominem microroſmum cõcinnavit, ut illius magni mundi eſſet viva velut imago: ſic in illo omnes omnium motuum & actionũ ſpecies elucere vult, nũquam in nobis otioſa, quamdiu materia generationi non deeſt. Pareus operum ſuorum lib. 6. cap. 19. De tumoribus contra naturam.

Quid memoré prodigioſa corpora, quæ in præter naturam abſceſſibus reperiuntur, calculos dico, cretam, arenam, carbonem, limacum cochleas, ſpicas, fœnum, cornua, pilos,

pilos & pleraſque animalium vivorum mortuorumque ſpecies? nihil enim eſt in earū generatione (per corruptionem facta quam multiplex præcedit alteratio) quod attonitos animos noſtros & ſuſpenſos tenere debeat: ſi præſertim conſideremus fœcundam & parentem omniū naturam, univerſæ materię ex qua maior mūdus contextus eſt, varias portiones, & particulas, in microcoſmū hominem indidiſſe, quo amplius ad magni illius imaginem, & unum exemplar factus eſſe videretur. Itaque in eo ſibi placere, ut omnes actiones, motuſq; quos obire & edere in majoris illius mundi ſcena ſolet, eoſdē in hoc parvo effingat nūquam in nobis otioſam, modo ne materia deſit. Idem eodem opere, lib. 19. cap. 3. De Infantum variolis.

OBSERVATIO CCXIII.

Septicum ad diſſecandam cutem carnemque ſine dolore admirabile, quo abſceſſus perforari, & membra brevi tempore fere ſine dolore cauterio affici queant.

PVblicæ utilitatis gratia, quædam, quæ tibi non ingrata futura arbitror, & quæ te mihi ſemper accepta laturum certo ſcio, addam. neque me ab hoc propoſito nōnullo-

rum ingratitudo (quę in noſtra hac urbe maxima eſt) removebit, qui ut hæc noſtra diſcant experimenta indigniſſimi ſunt; vincat tamen publica utilitas, & quod forte aliquis tanquam arcanū ſibi a dijs commiſſum reticeret (quamvis vera eſſe arcana exiſtimē morborum eſſentiam cognoſcere, & ipſo tempore medicinam facere) in omnium bonorum gratiam, quibus maiora & meliora debentur, in publicum prodeat. Septicum hoc medicamentum ſi in aquam verſum fuerit, atque illi quintam partem humanę pinguedinis, ut penetret, addideris, & partem etiam exiguam opij, ſupra modum tibi gratum erit: iſto enim commodiſſime cutem carnemq; perforare poteris, ſi hoc pacto eo uſus fueris, primum perforandus locus optime abſtergatur, deinde baculo buxeo vel oleagino (quod depreſſi ſpecilli formam habeat) in hoc medicamento madefacto vel cuſpide ſpecilli argentei in hujuſmodi medicamento etiam madefacta, locus in quo debet fieri inciſio, ſecundum inciſionis magnitudinem, quę fieri debet, perfricetur, dum perfricabis, colorem propriū perfricatam illam partē mutare videbis, idq; advertes magis, ſi pauliſper perfricationē intermiſeris. Tunc autē alteratam partem illā lanceola ſcindere tuto poteris, levi tamē in-

cisione, ꝙ sine aliquo dolore fiet, quia pars illa jam alimẽto destituta & emortua nõ sentiet, deinde eodẽ specillo vel ligneo, vel argenteo, ut magis commodum fuerit, in eodẽ medicamẽto iterũ madefacto, refricabis, & & rursꝰ partẽ illã, q̃ post primã incisionẽ ꝓpriũ etiã colorẽ mutaverit, secabis, hoc pacto perges, quoad ꝓfundã etiam sectionẽ, ut opus erit, feceris. Possem quoq; medicamẽta alia septica recẽsere, quale illud esset, ꝙ ex chalcantho, nitro, alumine, & similibꝰ patatur, ꝓ artem chymicã, sed cum maxime penetrẽt, violẽtissimeq; operentur, & ꝓpterea maximos inferãt dolores, illa soleo ut plurimũ respuere, quocirca ea silentio involvam. Hoc autẽ nostro medicamẽto abscessus perforare q̃plures poteris, & mẽbra brevi tempore, & fere sine dolore, cauterio afficere. Bartol. Maggius de Vuln. sclop. Cur.

OBSERVATIO CCXIV.

Carbũculꝰ quo tẽpore Italiæ novꝰ morbus.

L. Paulo Q. Martio Cẽsoribus, primũ in Italiã Carbũculũ venisse, Añalibꝰ cõscriptũ est, peculiare Narbonẽsis ꝓvinciæ malũ: quo duo Consulares obiere condentibꝰ hęc nobis eodẽ anno, Iuliꝰ Rufus, & Q. Lecanius Bassus, ille medicorum insciti a sectus, hic vero pollice lęvę manꝰ evulso acu ab semet-

tam parvo vulnere, ut vix cerni posset. Nascitur in occultissimis corporum partibus, & plerunque sub lingua, duritia rubens, varicis modo, sed nigricans capit, alias livida, corpus intendens, neque intumescens, sine dolore, sine pruritu, sine alio quam somni indicio, quo gravatos in triduo aufert, aliquando & horrorem afferens, circaq; pustulas parvas, rarius febrem, stomachū fauceſque cum invasit, ocyssime exanimans. Plinius Nat. Hist. lib. 26. cap. 1. Quomodo cum veterum Antrace conveniat, Ingrassiā de tumorib. præter nat. p. 213. consule.

OBSERVATIO CCXV.

Puer sphacelo correptus, mutilatis membris omnibus, perijt.

PVer erat annos natus sex, cum articulos digitorū & manuū & pedum sphacelus occuparet, qui sensim serpens supra genua, ad utrumque cubitum pervenit. ubi autem hæ emortuæ partes decidissent, summam sive extremam narium partem, & aurium alulas, ac lobos sive fibras invasit: morte paulo post subsequente. Sic tandē miser puer mutilatis ac amissis membris perijt. Dodonæus Observat. 53.

OBSER-

OBSERVATIO CCXVI.

Gangrænæ à frigore excitatæ historiæ miræ.

LVtetiæ Brito quidam servus à stabulo, cum à cæna probe potus supra lectū se conjeciſſet, per proximā feneſtram, quam patentem reliquerat, frigus subiens sic alterū ejus crus occupavit, ut mox à somno excitatus, nec tibijs ingredi, nec pedibus se sustentare posſet. Cum igitur crus stupefactū tantū putaretur, jussus est igni adstare. sed cum illud propius admoviſſet, plantā pedis sibi sine ullo doloris sensu digiti crassitudine inussit, jam enim plusquam dimidiam cruris partē necrosis occupaverat. Itaque in Nosocomium deportatus cum esſet, conatus ejus loci Chirurgus est cruris emortui amputatione reliquū corpus á morte imminente vindicare. Sed frustra: gliscente enim in supernas partes necrosi, intra triduum mortuus est, cum laboriosis ructibus & singultibus, delirijs, frigido sudore, & crebra syncope. Profecto tota illa hyeme frigoris tanta extitit inclementia, ut pleriſque in Nosocomio narium alas seu pinnas necrosis sine ulla putredine occuparit. Itaque cum ex tam multis quatuor delegiſſem quibus nares am-

rem, duo q̃dē incolumes evaſere: reliq̃ ſerpē te malo interiere. Pare° opū ſuorū lib. 11. c. 12.

OBSERVATIO CCXVII.

Gangræna, ſeu corruptio partium extremarum, amputatione earundē curata.

Nō poſsum hoc loco ſilētio prętereire caſum inſignē q̃ accidit cuidā viro noſtra memoria. Accidit illi in pede nigredo cū aduſtione q̃ aſſimulatur combuſtioni ignis, & corruptio illa in primis accidit in digito ejus, donec occupavit pedē totū. Poſtq̃ ergo vidit corruptionē lōgius quotidie ſerpere in mēbro cum dolore & aduſtione, iudicās celeritēr malo creſcēti reſiſtendū, nullo adhibito medico, ipſe incidit pedē apud junctūrā, & ſanatus eſt. Et longiore poſt tempore accidit ei illa eadem corruptio in digito manus ſuæ. Venit ergo ad me, & conatus ſum avertere & expurgare illam ſuperfluitatem medicinis, mundificando corpus ejus, & ſupfluitas malitioſa tenaxque nullis catharticis potuit revelli, ſed cœpit invadēre digitum alium donec pervenit corruptio in manū. Vocavit ergo me ad incidendum manum ejus, & nolui illud, ſperās adhuc me efficacioribus medicamētis humores illos malos revulſurum ex corpore hominis. Timui enim ne poſſet pferre ſectionem manus, erat enim admodū

im-

imbecillis, ob humores quibus pessime abūdabat miseri postquam ergo me non potuit induci ut abscinderem illi manus corruptas partes, reversus est demum, & pervenit ad me de eo quod properavit & incidit manū totam suam, & sanatus est. Hoc exemplum nullam aliam ob causam dico, nisi ut discamus hinc quid sit audendū in his corruptionibus serpentibus. Plurimū enim arbitror prudēti medico prodesse, si q̄ plurima notet exempla, q̄ sequatur. Albuc. lib. 2 cap. 87.

OBSERVATIO CCXVIII.

Gangrænæ et sphaceli curandorū leges, illustri historia demonstratæ.

PLacet nunc gangrænæ & sphacelī curandorū leges proposito exemplo cōfirmare. Dum ego Taurini ageré Chirurgus Polemarchi Mōteiani, miles q̄dam Gregarius, vulnus ad carpū seu manus articulū, glande plūbea sclopo explosa, accepit: unde fractis insigniter ossibus & tendinibus, nervosisq; corporibus crudeliter laceratis, gangrænæ, ac tandē sphacelī, ad cubiti usq; articulū, cōsecutio facta est, sed & mediā thoracis partē inflammatio invasit, & ad gangrænam quædā velut dispositio, quo factū est, ut ructibus, singultib°, vigilijs, jactationib & crebra syncope laborioſe & periculose admodū exer-

ceretur, q̃ causa fuit, cur multi illũ Chirurgi relinquerẽt, tanq̃ deploratum. Ita factũ est, ut amicorũ ejus precibus coactus, miserũ illum & omni humano pręsidio orbum curãdum susciperẽ. Cognito igitur suis signis sphacelo, brachium ad cubiti articulum primo quoq; tempore amputo, superinducta prius deligatura. amputo inquam, non serra, sed sola novacula: excisis quæ ossa, id est, humerũ brachiũq; continebant ligamentis, ꝙ in articulo cubiti sphacelus consisteret: ersi gangręna ad humerũ ascenderet: nec vero nova cuiquã hæc in articulo sectio videri debet. Illam enim Hipp. valde cõmendat, atq; sanatu facilem prædicat, nihilq; ex ea timendũ præter syncopẽ, ꝓpter dolorem, qui incisione tendinũ & ligamentorũ cõmuniũ excitatur. Cæterũ incisione ejusmodi à me peracta, prohibere non potuit superducta ligatura, quin multus sanguis inde manaret, propter insignia quæ illac perreptant vasa. Sino igitur sangvinẽ liberi⁹ fluere quo parte deonerarẽ, atq; inflãmationis ac gangrænæ periculis metuq; in posterũ expedirẽ: mox ignito ferro fluorẽ cohibui, neq; dum enim aliam viã noverã. Inde soluta blande deligatura, humeri partem gangræna obsessam multis & profundis incisionibus disseco, vitata & intacta interna parte, ꝓpter insi-

gniũ vaſorum & nervorũ, qui illac feruntur, multitudinem, mox inciſionum quibuſdam pyroticum admovi, tum ut ſanguinem ſiſterem, tum virulentam ſaniem in parte reſtitantem exhaurirem. Inde immiſſis, appoſitisque remedijs alibi deſcriptis, ſerpentem putredinem debellavi: ad thoracis coërcendam inflammationem omni medicamentorum refrenantium genere ſum uſus: epithemata etiam regioni cordis adhibui, & cardiaca ægro potanda, devorandaque exhibui, nec ante deſtiti ab illorum uſu, quam illi ruſtus, ſingultusque atque leipothymiæ vaneſcerent. His ego dum attentius intendo, aliud ægrum mali genus occupat, convulſio nempe, non ulla mea, aut ejus culpa: ſed loci in quo jacebat vitio, in granario enim decũbebat, rimis undique dehiſcente, & ventorum omnium afflatui pvio, media vero tum & pruinis, gelu, omnique frigore horrida ſæviebat hyems, nec has cœli, locique injurias ignis aut eorum aliud quæ ad vitam tuendã neceſſaria ſunt minuebat: jam artuum contractio, dentium conſtrictio, & oris, facieiq; partium omnium tortura miſerum exercebãt, cum ego ejus miſertus, in proximum ſtabulum multo fumo fumans deportari curavi, importatoque in duas pyrotecas igne, de-

scriptis aliis ad convulsionem linimentis, quam primum cervices, totamque homini dorsi spinam oblino, vitatis partibus thoracis: mox ipsum calido linteo involutum, infimum pariter calens & recenti stramine ante constratum ad cervices usque defodio. Illic cum triduum mansisset, oborto tandem levi alvi profluvio, & copioso sudore, os sensim, dentesque ante constrictos & rigentes dilucere cœpit. Hinc rei melius gerendæ opportunitatem nactus, instrumento in dentes inserto, os illi amplius diduco. Illum oris hiatū, subducto dehinc dilatatorio, insertis hinc & hinc salicis bacillis, servo integrum, ut liceret mihi ipsum paulo liberalius cibis paratu facilibus, nempe lacte bubulo & ovis sorbilibus cibare, tantisper, dum mandendi libertas, devicta convulsione, rediret. His igitur artibus convulsionis illo casu mox liberatus tum demum brachij curā repeto, ferro candente extremum os denuo inuro, ut sanie affluxum perpetuū exhaurirem. Notatu vero haud omnino indignum est, quod ejusmodi cauteriorum actualium appressione, mira se voluptate perfundi dicebat: titillante quodam pruritu per totam ossis illius longitudinē grassante, ob caloris ab admoto cauterio blandam diffusionem, quod idem ego

in multis alijs, præsertim in Nosocomio Lutetiano decũbentibus simili in casu animadverti. Secutus est hanc inustionẽ multarũ & insignium ossis squamarum & testarum, plapsus, ad id etiam faciente aëris liberiore quã par erat appulsu, quin etiã ubi fotui locus datus est, rosarum rubrarum, absynthij, salviæ, foliorum lauri, florum chamæmeli, melilo-ti, anethi decocto, sic parti solatiũ paravi, ut interim saniem virulentam, carnes ossaque pertinacius imbuentem, una eademq; opera exhaurirẽ. Deniq; factũ est, ut Dei opere, & illa quam dixi arte, & sollicita cura tandem convaluerit. Ex quo monitum velim chirurgiæ tyronem, ut nunquam quenquam sic deploratũ habeat, ut ipsum penitus pro derelicto habere velit, hominẽ cum prognosticis dimisisse cõtentus. Nam ut apppsite à vererũ Doctorum quodam scriptum est, ut in natura, sic etiam in morbis monstra contingunt. Pareus operum suorum lib. 11 c. 25.

OBSERVATIO CCXIX.

Gangræna & necrosis ad febrem inveteratam consecuta, citra dolorem, livorem, aut tumorem.

VIdimus evenire mortificationem putrefactionẽq; membri in extrematibus ægrotãtiũ quorundã, qui diutius febre laborarunt

verunt

verunt antiqua, & satis acuta, tantum quod eorum corpora adeo arefacta & macrefacta remanserunt, quod extremitates tibiarum interdum, tempore præsertim hyemali, ad tantam infrigidationem, congelationem seu stupefactionē, defectu caloris naturalis, redactæ sunt, ut membrum ipsum propria caliditate naturali privatum esse videretur: & tamen licet membrum quo ad tactum videretur frigidissimum, patiens nihilominus multum conquerebatur de magno dolore, & loci incendio, ac si in ipso ignis naturalis adfuisset: hoc quidem temporibus nostris vidimus evenire nullo præcedente dolore, nullaque tumefactione, & nulla insuper lividitate ac nigredine loci (ut solet in cancræna evenire) in quadam nobili muliere in civitate Genuensi, Salvagina de grimaldis nuncupata: quæ post longam infirmitatem in lapsum prædictæ corruptionis incidit: & sic manifestus est unicuique morbus. Ioan. de Vigo Chirurg. major. lib. 2. c. 6.

OBSERVATIO CCXX.

Carnes cuidam ab ossibus discedentes.

CRateri medici servus novo quodā mor-

bo

bo captus fuit, ita ut carnes ejus ab ossibus abscederent. Porphyrius lib. de Abstinent. & animal.

OBSERVATIO CCXXI.

In junctvrarum amputatione ut os contegatur diligenter observandum.

VT transversum dissectum os contegatur in membrorum incisione ministris jubere soleo, ut amputandum membrum contineant, & ad se quantum possunt membri illius cutem carnemque trahant, ut dissecta pars, in cutis & carnis musculorum relaxatione, facilius tegatur, atque ita quandoque statim os illud contegitur, ut nullo modo cõspiciat, ex quo facili⁹ curatio absolvitur. hoc tamen commode careremus, si extra carnem os promineret, quod chirurgia esset deinde removendum, & si naturæ permitteretur nisi post longum tempus abscederet. In junctvrarum amputatione, ut os contegatur, diligentius soleo observare, jubeoq; ministris, ut, quantum in ipsis est, pellem quæ supra junctvrã est, ad se trahãt, facta deinde arctissima ligatura, membrum in ipso articulo excido, vasa præterea sanguinem effundentia inuro, post hæc ut minini stri, quam contraxerant

xerant manibus pellem carnemq; remittant; impero, quæ quandoq; bonã juncturæ partem, nonnunquam totam junctura ſponte cõtegit, nõ ſecus ac ſi dedita opera manu attraheretur cõjungereturq;. & nullis, vel paucis ſaltem, ut ſanguinis fluxus compeſcatur, membrum eget cauterijs, quippe à pelle illa vaſa cõteguntur, & fluens ſiſtitur ſanguis, ſed tamen ut melius pellis committatur, digiti nonnihil eam attrahe, deinde eo modo, quo pelles ſuuntur, illam conſues, dando operam ut omnino juncturam contegatur, emplaſticis poſtea medicinis vulnus, ut dictum eſt, communies. Neque hunc modum amputandorũ membrorum à me relatum & obſervatũ Venetorum lictores ignoraverunt, qui facinoroſo alicui homini manum exciſuri, pellem eo (quem diximus) modo ad ſuperiora contrahunt, & poſt manus amputationem ilico contractam pellem laxant, & diligenter circa juncturam conſuunt, vulneriq; ventrem gallinæ morientis adhibent, nec ullum deinde fit ſanguinis profluvium. Nec hoc à Gal. ſententia abhorret, qui 5. meth. ſcribit, ſanguinis fluxum ſiſti ex propriæ cutis ſuperpoſitione, quapropter tuto hoc modo membra ſecabis, qui ſi tibi ſatis fecerit, illum te docuiſſe

ille non me pœnitebit, daboq; operam, dijs volentibus, ut propediem & majora, & utiliora intelligas. Bartol. Maggius. de Vul. Sclop. curat.

OBSERVATIO CCXXII.

De nova remediorum forma ad compescẽda sanguinis post amputatum membrum profluvia, discrepantes sententiæ.

FAteor equidem me olim alia via sanguinis ab amputatione membrorum fluores compescuisse, quam quę alibi tradita est. Cujus equidem rei pudet me, & piget: sed quid facerem? sic à magistris, quos mihi imitandos propolueram, semper factitari animadverteram: qui nempe tum demum se præclare instructos ad hæmorrhagiam sistendam arbitrabãtur, cum ignitorum ferramentorũ & medicamentorum causticorum varia suppellectile circumfusi, nunc hæc, nunc alia, p arbitrio amputatæ parti apprimerent. Quod profecto facinus nõ sine summo horrore dici aut cogitari, nedum fieri potest. Id n. remedij genus non poterat non summum doloris cruciatũ ægris inferre: cum ejusmodi vulnera recẽtia, & vivã sanãq; carnẽ cõprehendẽtia, exquisitissimo sẽsu prædita sint. Nec vero

nervosis corporibus causticum quidquam apprimi potest, quin statim ignis ęva illa impressio viscеribus communicetur: unde pernicioſorum ſymtomatum, ac mortis ſæpius cõſecutio. Et certe ex ita inuſtis vix unquam tertia pars convaleſcebat, & id admodum ægre, quod ambuſta vulnera difficillime ad cicatricem deducantur: illa enim uſtulatione ſævi dolores excitantur, unde febris, convulſio, & ſępe his alia pejora accidentia. Addeq; eſchara lapſa nova ſæpius hæmorrhagia ſuperveniebat, cui coërcendæ alijs pyroticis & ignitis ferramentis opus. Neque enim aliam viam noverant boni illi viri, ex quorum repetitione magna fiebat carnoſæ & nervoſæ ſubſtantiæ conſumtio & perditio. Cujus occaſione oſſa denudabantur, unde plurimis cicatricis inducędæ ſpes ademta eſt, coactis in vitæ miſeræ reliquum tempus ulcus ex eo loco quo membrum excisum fuerat circumferre: quę res opportunitatem illis adimebat, cruris aut brachij arte parati in excisi locum optandi. Itaq; Chirurgos omnes obnixe rogatos velim, ut vetere illa, & crudelitatis crimine obſita medendi via relicta, hanc novam amplectantur, quam me edoctum Dei numine arbitror: non enim illam à magiſtris, non à quoquam alio didici, aut uſurpa-

ſurpatum unquam animadverti. Tantum apud Galenum legi, ad ſanguinis fluxum ſiſtendum nihil eſſe præſentius quam vaſa ipſa, quorum ductibus fit fluxio, verſus radices ſuas, hepar nempe & cor religare. Hoc Galeni præceptum de vinciendis & ſuendis venis & arterijs, in vulneribus recentibus, ad ea quæ membrorum amputatione fiunt cum traduci poſſe putarẽ, tentavi in pleriſque, ſic tamen ut per initia & prima experimenta cauteria & ignita ferramenta parata ſemper haberem, ut ſi mihi minus quid feliciter novo illo opere ſucceſſiſſet, ſubſidium mihi ex vetere doctrina compararem: donec tandem magiſtra & felici prope infinitorum experientia confirmatus, ignitis ferramentis, omnibusque cauterijs, quod ad hoc opus intereſſet, vale id ſempiternum dixi. Idem ego Chirurgis omnibus cenſeo faciendum: non enim ut in negotijs civilibus, ſic in his rebus, quæ arte geruntur præſcripto, jus, authoritatem, aut locum contra rationem habere poteſt: ne quis obtrudat ſic ſemper à majoribus fuiſſe factitatum. Pareus operum ſuorum lib. 11. cap. 24.

Nimium arroganter inconſultus & temerarius quidam, vaſorum uſtionem, poſt emortui membri reſectionem, à veteribus o-

mnibus plurimum commendatam,& veteres oēs medicos,ſine ratione,ſine experientia & iudicio docere cupiēs, nec animadvertit,majora multo pericula ex ipſa nova vaſorum deligatione(quā acu, partem ſanam p- funde transfigendo,adminiſtrari vult)imminere,quam ex ipſa uſtione: Nam ſi acu nervoſam aliquam partem vel nervum ipſum pupugerit,dum ita novo & inuſitato modo venam abſurde conatur conſtringere, nova inflammatio neceſſario conſequetur, à qua convulſio,& à convulſione cita mors. Quorum ſymtomatum metu Galenus non ante tranſverſa vulnera ſuere audebat (quod tamen minus erat periculoſum) quam muſculorum ἀπονευρώσεις denudaſſet. Adde quod forcipes,quibus poſt ſectionem iterum carnem dilacerat,cum retracta verſus originem vaſa ſe poſſe extrahere ſomniat, non minorem afferrent dolorem , quam ignita ferramenta admota. Quod ſi quis novum hunc laniatum expertus incolumis evaſerit, is DEO opt. max. (cujus beneficentia crudelitate iſta & carnificina liberatus eſt) maximas gratias & habere & ſemper agere debet.

Stephanus Gourmelenus Chirurg. Art. lib. 2. pag. 124.

OBSER-

OBSERVATIO CCXXIII.

Nova alia extremarum partium amputãdarum ratio, citra ſerræ uſum.

PRæſtantius eſſe cenſeṽ altero modo hęc ſecare, videlicet cultro. Cæterum major cura eſt adhibenda in magnis mẽbris amputãdis, q̃ ſi digitus tantũ ſit: nã hic facile demitur: collocatur aut ſup bãco, filtro, vel exiguo pulvillo ex goſſippio ſubmiſſo, mox illi acies gladij, vel ſcalpelli plani ac lati, optime acuminati, quaſi ad ꝑpendiculum aptatur, & inſtar cunei ligneo malleo adigitur, ut unico ictu opus ꝑagat. Pro magnis vero mẽbris aliꝰ modus eſt excogitatus: nempe cultri duo lati, quorũ unus intra duas columnas ligneas cippo infixus eſt, aciem ſurſum producens, alter vero intra eaſdem columnas ſuperiore loco ponitur, qui ad amuſſim deſcendat, ut aciem acie fricet. Hic autẽ, quo minus labatur, ſulco in utraq; columna facto recipit, ut quaſi fiſtuca ſurſũ deorſũq; ferri libere poſſit, nõ ultro citroq;: & quo ſuo ſolo deſcenſu ac põdere totum mẽbrum detruncet, cippo vel plumbo onerandus eſt quantum ſatis eſſe videbitur, vel ipſe quoque cædendus eſt ingenti & gravi malleo ligneo, ut unica illiſione opus abſolvatur: Sed melius eſt ſi inſtar fiſtucæ cadat. Modus autem hic, eo qui ſerra efficitur, multo tutior eſt, faci-

lior & celeriot, imo etiam ferme citra dolorem: adeo ut Regius Chirurgus magister Iacobus cognomi, Regius, vir in arte sua cum doctrina tum experiētia exercitatissimus, fateatur sua opera nonnullos vivere simili instrumento crure mutilatos, qui putabant, ex lychnio ignis scintillam super pedē incidisse, cum detruncatum membrum est: quod non evenit nisi actionis ejusdem instrumenti celeritate, quæ quantum commodi ferat, solummodo prudens artifex novit, & quibus talem calamitatem incidit. Nam præterid quod dolor exiguus & momentaneus est, ex arbitrio etiam artificis illico arteria & vena occludūtur: quod non pauci est momenti. Imo quidem ex ijs, qui à cæsis membris intereunt, plures ob effusum sanguinē occidūt, quam ob aliā causam. Nā interea dum serra ossa secantur (præter id q; & plerunq; multas nervosas partes à novacula relictas hæc misere lacerat) pperuo sanguinē & Spiritus fundunt sectę venę & arterię: quare non possum non vehemēter hoc loco secram vituperare, & ex adverso cultros laudare ac cōmendare. Sed qui vel animi prudentia, vel stupore, vel artis imperitia nō facile ad insueta transeūt, statim opponunt ossium confractionem, vel carnosæ partis contusionem, vel operis crudeli-

delitatem. Aſt hæc nulla prſus eſt, ſi cum ea, q̃ ferrã cõſequitur, cõferatur: & cõtuſio nulla fit ſi cultris acies prout licet fuerit adducta: nulli⁹ etiã momẽti eſt oſſis confractio, cũ facile fragmenta hoc loco arte deducantur, vel à natura reijciantur. Cum igitur negotiũ ipſum obeundũ eſt, cãdentia cauteria habẽda ſunt pſto: apponenda ad axillã, vel inguen tepe. létiã, aures obturãdæ, oculi avertẽdi: & mẽbrum put dictũ eſt ligandũ, poſtea ſic inter utrãq; acie eſt collocãdum, ut (ſi infra cubitum vel genu ſectio fiat) ambo oſſa ęqualiter inferioti acici inſiſtant, nõ autẽ unum alteri ſuperſiſtat, (nõ idẽ obſervandũ eſt ſi ſupra genu vel cubitũ ſecare expediat, q̃ unicũ tantum os ſit) deinde repente à ſano ſegregandum, mox ad cauteria deveniendum eſt, quib⁹ arteriæ & venæ cohibentur: incepto opere ab arteria: nã ſanguinis aliq̃d effluere utile eſt, deinde ptinus tenuis cruſta inducẽda, pinde atq; alibi juſsũ eſt: inde vincula ſolvenda, & totũ ulcus cum adiacẽtibus partib⁹ obtegẽdũ medicamẽto cõfecto ex roſaceo, ovo, & bolo armeno, q̃ tepidum applicetur: uſurpetur hoc biduũ. Diebus ſequẽtib⁹, quo cruſta decidat, infraſcripto medicamento uteris: butyri non omnino recentis, nec vetuſti unc. vi lavetur per horam in ſucco porri,

ſuccum bis terve renovãdo, cum quo cruſta implaſtretur. Quod ſi porrum non adſit, butyrum ſolũ, vel ſuilla axungia non admodum antiqua ſatisfacient. Et cum cruſtam iam ſeparationi vicinã eſſe noveris, butyro ſimplici, vel axungię recẽti mellis tantundẽ immiſce, & utere. Illa deciſa, medicamentũ q̃ mediocriter exſiccet cum abſterſione cõducet: cui ſuccedant cutem generantia, quæ ſcilicet potentẽ exſiccandi ſine morſu vim habeant. Sed virt⁹ hic poſtponenda non eſt, eo q̃ facile labaſcat, cum ꝑpter doloré, tũ ꝑpter evacuationẽ multã ſanguinis, ſpirituumq;, præcipue ſi per ſerram opus fiat. Quare p̃ horulã ab opere p̃ter rationem nõ erit, infuſum panem in vino paucifero dare. Nec aggrediẽda res eſt ſtomacho vacuo: ſtatim enim moleſta ſyncopi p̃hendi ſolent: nec eo repleto, ne cib⁹ propter agitationem corrumpatur, vel in venas meſaraicas omnino incoctus trahãtur. Leonard. Botallus de vuln. Sclop. c. 13.

OBSERVATIO CCXXIV.

Extremarum partium frigore propè enectarum curatio mira.

QVod audivi à quibuſdam Nobiliſsimis Polonis, q̃ inquiũt, & eſt res notatu digna, in regione ſua, q̃ gelidiſſima eſt, ſæpe fieri ut aures, nares, man⁹, pedes p̃ ſũmo frigore ita rigeãt, & torpeãt, ut ſi vel tãgãtur manib⁹

calidis, vel approximentur igni, ſtatim decidant; atq; unum eſſe in eo caſu ſummum auxilium, ſi, priuſquam ſeſe calori exponant, partes torpefactæ in aquã gelidiſsimam mittantur, cujus eventus breviter ratio eſt apponenda. Nã definitum eſt ab Ariſtotele quarto Meteor. corpora, quæ congelantur frigido & ſicco, vel ſumme congelari, vel minus; ſi ſumme cõgelata ſint à nulla re, niſi à vehementiſſimo igne, & raro etiã poſſunt diſſolvi, cujuſmodi eſt cryſtallus montanus, & adamas; quæ cum ſint ſumme cõgelata à frigido, nullo pacto diſſolvi poſſunt. Sed ſi nõ fuerint ſumme congelata, diſſolvuntur tum à calido humido actu, tum etiã ab humido, & frigido. Exemplum eſt de glacie, quę & à calida aqua, & à frigida diſſolvitur. Sed differentia eſt, qa calida aqua cito diſſolvit, atq; etiã conſumit; frigida diſſolvit tantummodo, nõ autem cõſumit. Quamobrẽ cum partes externę à gelu torpeſcãt, & cõgelãtur, ſi à calore ſtatim diſſolvantur, ſimul etiam ab eo calore conſumuntur, ut conſumtæ ſtatim decidant, veluti emortuæ; ſed ſi tractentur aqua frigida, fit qdem pedetentim illa diſſolutio, abſque tamen ulla conſumtione. Hieron. Mercurialis de morb. puerorum lib. 2. cap. 5.

DE VVLNERIBVS.

OBSERVATIO CCXXV.

Vlcus ex vulnere illato curatum.

PLutarchus, lib. de utilitate capienda ex inimicis, narrat Theſſalum quendam nomine Proteum, inveteratum, & ad remedia contumax ulcus parte quadam corporis circumtuliſſe, nec ſervari ante potuiſſe, quam hoſtili in certamine vulnere illic forte accepto, redintegrata cura, ad unum corpus reductum vulnus fuerit.

OBSERVATIO CCXXVI.

Vulneratis ſanguinis profuſionem quandoque prodeſſe.

VIdimꝰ vulneratos poſt ſanguinis copioſum profluvium, ſine contractionis metu, paucis diebus liberatos. In caſtris quendã chirurgum vidimus, nobilẽ juvenem in humero vulneratũ, curantẽ; cui linteolos protinus vulneri admoverant amici contra ſanguinis ꝓfluviũ; linteolos ſtatim evomuiſſe, neſcio qd in vulnere digito ꝓquirentẽ, dum amicos ꝓfuſione larga ſanguinis conquerentes fruſtraretu, rſanguinem pro ægri viribus citra animæ defectum fluere permiſit, haud

haud ignarus, quo æ grotantem tutum à ſpaſmo reddidit, & octavo circiter die per cubiculum ambulantem vidimus. Alex. Benedict. de Curand. morb. lib. 1. cap. 47.

OBSERVATIO CCXXII.

Vermes in vulneribus, ulceribus, & abſceſſibus nati.

ALiquando in vulneribus pauperum hominum, vel puerorum, vel aliorum animalium male curatis tales (aſcarides) genera̅tur. Valeſc. de Taranta.

Fiunt etiam vermiculi in ulceribus ſordidis. Guil. Rondelet.

Vidi in puella tumorem magnum inter ilia & inguen, quem incidendo Chirurgus quidam, me præſente, reperit plenum vermibus.

Quidam miles Mutinenſis in Hoſpitali Carmelitano habebat multos tumores intrinſecos & extrinſecos, quos vidimus poſt ejus mortem (nam ex illis mortuus eſt) qui tumores erant pleni vermibus parvis, videbantur pediculi. Fallopius cap. 4. de tumor. præter naturam.

OBSERVATIO CCXXVIII.

Miræ vulnerũ observationes atq; curationes, dum in eo conflictu, q ad Divi Ægidij pagũ, die vicesima septima septẽbris habitus est, sub annũ restitutæ salutis millesimũ quingẽtesimũ sexagesimũ secundũ, vulnerati cæsiq; multi essent: & qui eorũ gravibus acceptis vulneribus curati sint, dũ victi sese in Arelatem urbem reciperent, summaq; charitate à civibus essent accepti.

DE vulnerum admirabilium ratione tractaturus, non aliunde auspicatius principium sumturus sum, quam si Dei in his potentiã admirer, & cum Psalmographo rege atq; propheta dicã: Mirabilia opera tua Domine, & anima mea cognoscet nimis: ipse est qui sanat omnes infirmitates nostras, qui redemit de interitu vitam nostram, coronans nos in misericordia & miserationibus: cujus miserationes super omnia opera ejus. Hujus unius potentiæ & miserationi referamus acceptũ, q ij, de quibus dicturus sum, ab hostibus lethalibus plagis vulnerati, propeque ad internecionem cęsi, incolumes evaserint. Ne id nobis adscribamus, ne gloriemur lethalia nos vulnera nostro marte curasse, quasi ad id vires nostræ suffecerint, & non potius gratia Dei, qua freti atq; adjuti tantum opis in tam misero

miſero & luctuoſo caſu miſeris mortalibus tulerimus. Incipiamus ergo ea narrare quæ legentibus admirationē paritura ſint: in quibus recenſendis fidem obſtringo meam, nihil me quicquam obſervationi huic inſerturum, q̄ non ipſe oculata fide viderim. Abſit n.à me ut veritati mēdacio imponere velim. Res, ut à me viſæ ſunt, plena fide ſynceraque explicabo, &, ubi res popoſcerit, teſtes chirurgos, qui una mecum in curandis ægris nō inſtrenuam operam navarunt, adferam: etſi res ea, quæ omnium oculis expoſita fuit, teſtibus minime egere videatur, ipſa ſibi fidem abunde per ſe faciente.

In eo itaque miſerando conflictu, cum ordines ducerent Hiſpani aliquot duces ſtrenui cum ſuis turmis atque manipulis, & pro inſita Hiſpanis militari virtute aduerſ⁹ hoſtes fortiter ſtarent, male mulctati ſunt, & graviſſimis vulneribus affecti: ſiquidem cum pauci inter multos, aut potius ſoli hoſtium impetum ſuſtinerent, fuſis fugatisque reliquis exercitus militibus ac ducibus, nec terga hoſti dare vellēt, obſtinato animo pauci adverſus multos, rari inter dēſos militum cuneos ſtare auſi ſunt. Sed (proch dolor) bona eorū pars cecidit, & q̄ ſervati ſunt, ſervati quidem

non

nō fuissent, ni se mortuos prostratosq; effinxissent. Quos inter duo Hispani duces, haud minus moribus quam militari virtute conspicui fuere. Alteri Alunso nomen erat, alteri Manrico, è interiori Hispania ambo, quam vulgus Castiliam vocat. Strabo, Ptolomęus & Plinius Tarraconēnsis Hispaniæ partem dicunt. Alonso duci fortissimo septem in capite gladio militari (cotelas vulgo vocant) inflicta vulnera fuere, galea cristata in terram deiecta, ipsoque etiam prostrato: quorum quidem vulnerum quatuor cum insigni cranij fractura ad duram vsque meningem descendente erant, reliqua sine fractura ad calvariam vsque: idem in brachijs octo vulnera exceperat, quatuor in utroque, è quibus duo circa cubiti articulum & metacarpiū consistebant: rursus in cruribus sex vulneribus erat cōfossus: vt in summa uno supra viginti vulneribus dilacerum corpus esset, quæ ipse singula denumeravi, loca sedesque affectas cōtemplando, & vulnerum magnitudinem numerumque spectando. Vt plane dum ad eum curandum publico decreto venissem, vna cum alijs vulneratis tractandis, quorum numerus ad ducentum sexaginta ascendebat, in stuporem versus, nec qua curationem inciperem, nec

qua

qua desinerem, satis mihi compos eram: tam multa, tam gravia inerant in enecto fere homine vulnera. Nam quum à sanguinis incredibili profusione, quę à tot vulneribus emanarat, & à frigore perpetuo, & coacto sanguine, viribusque pene extinctis, deficere æger in momenta singula videretur: priusquam capitis vulneribus manum admoveremus, reficiendæ nobis ægri iam moribundi vires fuere. quod omnium indicationum prima & potissima sit, quæ à viribus sumitur, ita tradente Galeno. Itaque iusculis è capi contusis carnibus paratis, tum vino aromatite intrita panis in eo infusa, ac vitellis ovorum ex vino exceptis, saccharo & cinamomo respersis, parato ex his ferculo, vires defectas reparare studeo. Qua victus ratione (quum exanimis esset, & vivens potius cadaver quã homo) mire intra biduum refotus recreatusque fuit. Nec vero interea dum hæc obimus vulnerum obliviscimur: siquidem calẽte vino ex rosis detersis vulneribus, fuere illa studuimus quę futura indigebant, & topicis admotis unguinibus, fascijs vulnera molliter & absq; dolore, quoad fieri potuit, tractavimus. Capitis porro vulnera quum forationem terebellis exposcerẽt, nec eam vires deiectæ sustinere possent, in tertium diem distu-

distulimus id muneris aggredi: tumque terebellis, scalpris & volsellis, malleoque diffracta & intrusa ossa sustulimus, ne duram meningem comprimerent. Sed cum à vulneribus ijs, quæ in cubito & metacarpio consistebant, ob vehementissimos dolores & convulsivos motus, quibus torquebatur, pessime haberet, ijs maximopere insistendum omni cura diximus. unde enim à quoquam grave periculum imminet, ab eo exordiēda curatio est, ut belle Gal. docet. Quod & nos fecimus, dolorem quidem cataplasmate ex farinis sedantes, & oleo multo calente tum simplici tum chamæmelino & lumbricorum vocato cervicem universam ad caudam usq; illinentes, mollibus superinjectis pinguibus lanis, ne convulsio procederet, quæ infestare jam ægrum incipiebat, & quæ, auctore Hippocrate atque Galeno vulneribus superveniens, lethalis plerumq; esse solet. Interea vero mollibus clysmatibus ventrem purgabamus, q̄ solventia medicamenta dejectæ vires non sufferrent: & si in hujusmodi vulneribus necessariam esse purgationem eam quę medicamentis fit Hippocrates & Gal. dixerint. Adauctis tamē sensim viribus, catholiconem cum rhacomate & syrupo rosaceo dare ausi sumus, feliciterq; suc-

succeſſit. Tanta autem cura in hoc curando uſi ſumus, ut prope ægro aſſideremus. Vulnera capitis omnia ex roſaceo melle, & Conciliatoris unguento, quod ad tergenda capitis vulnera mirabile eſſe ſolet, ut & capitali pulvere, & emplaſtro demum ex betonica utentes, Dei gratia adjuti, perſanavimus, tum vero reliqua quę in cruribus & brachijs cõſtabant, ſua cuique auxilia admoventes, magna omnium admiratione ac plauſu, Deo gratias reddentibus cunctis. Atque hæc Alonſi graviter vulnerati curatio fuit.

Collega illius porro Manricus, & dux quoque ipſe fortiſſimus, ſæviſſime vulneratus ſecundum thoracem, coſtas, faciem, brachia, caput, proximus morti erat, biduumque conſtitit ſine voce ac ſenſibus, planeque ἄσφυγμος, id eſt, ſine pulſibus, ut vermiculans & interiectus vix in eo appareret pulſus, cui & ipſi cũ facto de morte prognoſtico, manum vix admovere vellemus, quod deplorati à medicis non ſint contingendi : (auctore Hippocrate) juſſi tamen, manum tanquam deplorato admovimus: vires primum refoventes, quæ penitus conciſæ erant, præ nimia ſanguinis profuſione & frigore. Nam fugiens

acce-

acceptis vulneribus seſe prȩcipitem in Rhodanum dedit, in quo horas plus minus tres aut quatuor latitavit, nunc caput exerens, nunc condens, quoad à ſuis ſub noctem adjuctus, fluvium fere totum natatione meavit. Quis hæc credat? attamen veritate ipſa veriora hæc ſunt. Nam vno impulſu plus minus centum vulnerati ſeſe in Rhodanũ proijciẽtes, natatione virili ſalutem ſibi quæſierunt: quorum tamen multi viribus deficientes, medio in alveo ſubmerſi perierunt. Multi tamen evaſerunt, quos nudos Arelatenſes cives charitate plauſibili ac pia in altera Rhodani ripa urbi ꝓxima ſemienectos exceperunt, qꝫbus potuere præſidijs cõfovẽtes: quos inter hic ſtrenuus dux, tribunꝰ militum erat. Hunc itaque curandum ſuſcipientes, hunc ſervavimus ordinem. Primum omnium panniculis lineis mollibus & ſtrigulis congelatum fere hominem tepida caliditate fovimus, motum dantes, & enectam virtutem inſtaurantes juſculis & contuſis et cinamomo paratis, odoribus item bonis ſpiritus diſſolutos foventes, ex aqua florũ citri, roſacea, vino odorato & caryophillis invicẽ mixtis, tempora, pulſus brachiorum, nareſq; madefacientes, linteiſq; hoc liquore imbutis ſȩpe ad nares admotis, ſpiritus pene extinctos

tinctos refecimus ac recreavimus. Vbi sese exerere vires visæ sunt, tractanda vulnera sumpsimus, cum prius etiam in primo aditu eadem quo poteramus modo procurabam⁹, necessarijs ad vulnera datis auxilijs, quo tempore scilicet æger sine voce ac pulsibus moriturus sperabatur. Resumtis porro viribus, quę punctim inflicta erant vulnera, turundis longioribus intro datis, & rosaceo melle cũ terebinthina ex aqua vitæ lota illitis detersimus, quo præsidio mirabiliter se iuvari æger dicebat. Erat enim secundum pectus vulnere punctim facto, & intra cavum pectoris discisso peritonæo, graviter sauciatus: tum & secundum latus dextrum inter sextam & septimam costas vulnus acceperat secũdum dorsum cum gravissimis symptomatis ad hęc vulnera insequentibus: nempe gravissima spirandi difficultate, tussi molestissima, cordis palpitatione, & animi deliquijs: quibus omnibus curam ad se trahentibus, pro cuiusque ratione prospeximus. Spirandi namque difficultati hydromelite ex hyssopi, fœniculi, prassij, & capillarium herbarum decocto confecto, adiectis uvis passis pinguib⁹, caricis, glycyrrhiza, myxis, xyli semine, & malvæ cum melle electo, prospeximus: quo sæpe in die laborantem uti iubebamus,

lambendo, idque calide. Nam frigida pectori inimica, tusses commoventia, & dolorem inferentia, esse solent, pro Hippocratis sententia. Linctibus quoque & unctionibus ad pectus sputum promovere & tussim sedare conabamur. Constabant linctus ex pulvere glycyrrhizæ, hyssopo montana, caricis pinguibus ex hydromelite coctis, pulvere diatragacanthi & diaireos, pulmone vulpis ex arte parato, saccharo cando, penidijs & syrupo capillorum atque hyssopi. Ad pectus inunctionem admovimus ex oleo violaceo, liliorum, butyro recenti, pinguedine gallinæ, croco & radice iridis Florentinæ, omnibus cera alba exceptis. Quin & eclegmatis vice oleum amygdalinum è dulcibus amygdalis exceptum, & saccharocando vocato admixtum sumere sæpe jubebamus. Sed quod in hoc viro admirādum fuit, id jam dicere pergam. Is quum secundum thoracem, tum & secundum dorsum inter costas duobus vulneribus punctim factis, idque ab hasta mucronata (vulgo hellebarde vocant) graviter vulneratus esset, nec ulla aut exigua puris copia foras prodiret, post vicesimum diem ingens puris proluvies è ventre per anum prodijt, fluxu ventris oborto: quum nulla tamen à pectore in intestina via communis sub-

subsit,qua excerni contentũ in thorace pus & emitti possit. Sed conspirabile & cõfluxile est universum corpus, ut recte Hippocrates dixit, & ipsa sibi natura vias facit ac præstruit,quib⁹ nedũ per alvum, sed & per ossa quandoq; saniem pellat:ut minime mirandũ sit in hoc ęgro p ventrẽ è thorace pus copiosũ emanasse. Quod & prius in Ioãne à Lugd. montis majoris secus Arelatẽ monacho annotaverã, qui grauissimo vulnere in pectore accepto, acuto spathæ mucrone in cavum pectoris penetrante, quum præ puris intro contenti copia in præfocationis periculum esset adductus, erumpente tandem die decimoquarto tum per vulnus,tum per ventrem ingenti puris copia,ab impendenti discrimine levatus est, & post diutinum tempus utcunque sanatus, ulcere in fistulam desinẽte: vivitque adhuc decimosexto post acceptum vulnus anno, sed male habitus & tabi proximus:sed vivit tamẽ: & munia,quæ sanus obire solebat,obit. Vt ergo ad ægrum nostrum redeamus, quum multa puris copia alvo effluxisset, pauca per accepta vulnera, allevatum se sensit, paulatimque probe detersis vulneribus, quæ nos sæpe lotionibus syphone recto immissis ex decocto myrrhæ,aristolochiæ rotũdæ,absinthij, & agrimoniæ vino

excepti, interdum prius ad deterſionem hydromelite injecto, nonnunquam vero vino & melle, adjecta aqua vitę (quæ in hujuſmodi eluendis & detergendis exſiccandisque vulneribus admirabilis eſt) vulnera eluere, detergere, tandemque exſiccare moliebamur. Tantumque hac curandi ratione Dei miſericordia profecimus, ut ſanata ſint prorſus vulnera thoracis & coſtarum. Reliqua vero quæ in facie erāt ſutura ſicca labia jungentes, & glutinatoria poſt deterſoria adhibentes, facile curavimus, ſicut & quæ in capite, quæ ſine fractura erant, & quæ in brachijs, etſi magna forent, perſanata omnia ſunt nutu Dei, qui quos vult ſervat. Mira ſunt hæc profecto at mirabiliora quæ nunc proxime enarrabo.

Eodem in conflictu miles quidem è peditibus fortis ac generoſus, dum fortiter pugnat, ictum excipit ab æneo tormento (vulgo Arquebuſe vocato:) ingreditur globulus plumbeus ſecundum tempus ſiniſtrum, paulo altius egreditur ex altero latere è regione oppoſito, diffracto utrinque cranio & dilacerato: ſanatur tamen is miraculo. Nam poſt acceptum vulnus Nemauſum conceſſit, & ibi curatus fuit. Qui ad me poſtea veniens, ut a me conſilium poſceret, cum nondū plene cu-

ne curatus esset, omnia ut acciderant bona fide recensuit, vidique hominem ita ut præenarravi affectum, & illi in curatione adiutor ac propitius fui. Hic cæcus & surdaster remansit : vivitque nunc sanus & incolumis, nisi quod ijs duobus sensibus visu & auditu privatus est. Sentiendum vero nec cerebri membranas nec cerebrum ipsum læsum fuisse : sed globulum rupto cranio superficie tenus, in alterum oppositum latus impetu esse deductum. Mira profecto sunt hæc, & quæ fere captum superent humanum: & nisi à me visa pertractataque fuissent, vix essem fidem daturus. Quod autem cæcus & surdus remanserit, id factum putarim, quod ab ictu & contusione pars aliqua sanguinis à commotione cerebri in opticos & auditorios nervos inciderit, obstructionem pariens, unde & cæcitas & surdidas oborta sint.

Massilienſis miles quidam robustus bellator, ac sui ordinis Vexillifer, eodem in cõflictu ictum excipit ab æneo tormento, globulo per medium thoracis immisso, & per dorsum è regione prodeunte : atque hic iridem miraculo sanatus. Curam illius ego & Claudius Laydetus chirurgus sumpsimus. Quumque globulus intra constitisset, tumoremque in dorso inferret, hunc dextre

Claudiùs Laydetus chirurgus ſumpſimus. Quumq; globulus intra conſtitiſſet, tumoremq; in dorſo inferret, hunc dextre Claudius chirurgus præfatus ſectione facta evulſit,& laqueis impoſitis ad deterſionem (vulgo ſetones vocant)cęteriſq;ex arte peractis, integre ſanatus fuit nutu Dei,qui ſolus mirabilia facit.Hic,quod maxime mirãdum, nulla aut exigua ſpirandi difficultate nec ſymtomatis verendis ullis affectus,curatus fuit,ſed longiusculo tempore,vivitq; adhuc incolumis,& ſuarum rerum ſatagens.

Miles alius è Borbonij pago ſecus Arelaten, gladio militari (quem vulgo cotelas vocant) ſecundum cervicem vulneratus, dum ipſum fugientẽ equites eodem in conflictu perſequerentur, vulnus mirabile accepit.nã ab aure in aurẽ ſecundum cervicẽ, inter primam & ſecundam vertebram,diſſecta cervix fuit, ita ut collum in anteriora prolapſum ſuſterniculo indigeret. Hic fere mortuus in xenodochium Arelatenſe cum reliquis ſaucijs perductus eſt, & noſtræ curæ à proceribus & decurionibus commiſſus. Hunc nos quum tam grandi vulnere affectũ vidimus, plane in conſternationem animi quaſi quãdam deducti ſumus: vulnus tractamus, quid bone Deꝰ?ad vertebrã uſq; fere vulnus attingebat, jugulares venę diſſectę, latitudo vul-

neris vasta, ut ab aure in aurē vulnus ꝑtende ret: profunditas vero tāta, ut integra manus passa intra vulnus conderetur. Hunc etsi vix evasurū prædixissemus, quod auctore Galeno magnę discissiones mortem inferāt, nihilo secius tamen tentandā curationem duximus. nam robustissimus erat juvenis, florenti ætate, & virtū plenus. Itaq; vulnus nō alia ratione sui poterat ob distātissima labia, quam ut sutura sicca, quā vocāt, labia conjungerētur: quod & nos fecimus, pannis laneis coccineis glutino adstringente illitis, & ubi glutinū inaruisset, filis sericeis duplicatis, invicē hinc inde commissis, labia ut potuimus conjunximus, introq; splenijs datis, unguine detersorio primū illitis, nempe Conciliatoris vacato, mox etiā lotionibus ex œnomelite, decoctionis agrimonij & radicis iridis, paucaq; myrrha & vitæ aqua: quæ profecto in omnibus ulceribus detergendis & glutinandis mirabili exprimēto valet, ut à me millies expertum. Vbi vero abunde mundificatū ulcus esset, glutinātibus utentes, & lotione ex vino acerbo decoctionis foliorū hederæ, equiseti, & plantaginis ulcus ad coalitionem deduximus. In quo mirum id fuit, quod cum distantissima ulceris labia essent, & magna intus facta discissio, ut nunquam

coaleſcere poſſe dixiſſes: tanta tamen eſt naturæ vis atq; potentia in conjungendis que diſſident, ut nativo quodam amore caro carni (etiam tum cum vacuitas intermedia magna ſubeſt ac cavitas) agglutinata fuerit, ſenſim genita ex vulnere materia ex affluente ſanguine, unde fit ut regenerari caro poſſit modo adducta ſint quæ diſſident chirurgica manu, quod per ſuturam fieri ſolet. Hic tandem nutu Dei curatus fuit, vivitque nunc ſuperſtes quarto poſt anno quam vulnus ti grande accepit. Adoleſcens tamen quidam pari vulnere poſt undecimum mortuus eſt.

Claudius Allobrox eodem in prælio ad caput vulneratus, cum è lapicida militiæ ē adſcripſiſſet, ingens accepit militari gladio vulnus, abſciſo & diffracto univerſim cranio ſecundum ſuturas petroſas, nempe altero latere in alterum latus diſciſſo utrinque cranio uſque ad ſuturam lambdoiden. Sed & hic (mira res) nunquam febrivit, nec ullum ſymtomatum paſſus eſt, quæ pati ſic vulnerati ſolent. Oſſa diffracta terebellis, uncinis & ſcalpro ſuſtulimus: mox roſaceo melle & Conciliatoris unguine, ac pulvere capitali, & emplaſtro betonicæ intra duos menſes hominem integrę ſanitati reſtituimus. Hunc Claudius Laydetus chirurgus tractavit.

Alter

Alter è Nicea urbe primipilus ac ſtrenuus miles, eodem in conflictu in domeſtica cruris parte vulneratus bellico torméto (fauconeau vulgo vocant) cum ingenti foſſilis majoris fractura, globulo ingreſſum ſupra genu faciente, & in ſylveſtrem partem prolato, atque inde evulſo, magna cura ſervatus, longoque temporis ſpatio curatus à nobis fuit Dei gratia.

Ferdinandus Fat peditum ductor, Arelatenſis civis mihi perfamiliaris, ad foſſam Marianam dum fortem militem agit, in conſpectum hoſtium poſitus vulnus accepit ab æneo torméto in tarſo pedis, pede in utrumque latus transfixo, & foras globulo prodeunte. Is graviſſime & periculoſiſſime laboravit, ingẽtib⁹ doloribꝰ ob partis naturã obortis, cum pars illa tota oſſea nerveaq; ſit, ac tẽdinum plena: unde nimirum acerbiſſimi dolores oborti ſunt, & oſſa multa diffracta, quę auferre neceſſarium fuit. Quin & carioſa nõ nulla ob pus retẽtum fuere. Tumor magnus & phlegmonoſus in toto pede ſuberat, vigiliæ immenſę ob perpetuos dolores, & convulſivi motus plurimi. Hunc nos poſt univerſalia diligenti & ſolerti cura tractavimus, pro eo quod illum proſequebar amore. Nam

fotib⁹ ex betonica, malva, ſampſucho, ſalvia, libanotide, adiectis anthemidis, meliloti, & roriſmarini atq; ſtœchados floribꝰ, cũ furfure omnibꝰ in vino decoctis (aqua nãq; locis nervoſis plurimũ nocet) interdũ vero ex oleo calente locũ fovebamꝰ, à quo mirifice juvabatur: emplaſtro poſtea ſuperdato ex farinis orobi, lẽtiũ, fabarũ & ſeminis lini ex oxymelite exceptis, qꝫ in cataplaſmatis moté admovebamꝰ. Intꝰ vero laqueo immiſſo, & deterſo rijs unguẽtis illito, ulcus purgabamꝰ, tũ & lotionibus ex aqua vitę, in qua flores & cacumina libanotidis immaduiſſent, multisq; alijs ad nervoſa vulnera accõmodatis, uſi fuimus: idẽ vero ægre poſt ſex menſes curatus magna ſane difficultate fuit. Claudus mãſit, ut nõ niſi ſcipioni iñixus ꝓgredi valeat, ita pes totus imbecillus relictus eſt, ob tẽdones dilaceratos, & tarſi oſſa diffracta. Vivit tamen alioq; vegetus & ſanus, & rebus ſuis intentus.

Iacobus famulus Domini à Meianes Patritij Arelatẽſis, in eo cõflictu, q ad Ciſtertium oppidũ habitus eſt, vulnus accepit ab æneo torméto in brachio dextro, inter cubitũ & humerum, maleq; à Chirurgis qui in exercitu aderant, aut certe ob rerum indigentiam negligenter tractatus, Arelaten venit, toto iã brachio in ſphacelũ cõverſo, cũ fœtore mirabili, ingredine, mollitie, frigiditateq; ſuma,

ipſoq; ægro crebra animi deliqa patiẽte. Vnde cõcilio una mecũ chirurgorũ coacto, cõcluſimus nullã eſſe aliam curationis viã, quã ſi ſphacelatum mẽbrum ſecarerur Nam cum nõ niſi unica ſubeſt ſalutis via, etſi ea periculoſa ſit & dubia, oportet, Thucydidis cõſiliũ ſequẽtes (vt Galen. ait) adverſos periculis ire, & id incunctãter obire: q & nos fecimus: novacula primũ ſupra carnẽ demortuã brachiũ ſecãtes, mox ſerra ferrea os detrũcãtes, cauterijsq; ſãguinis fluorẽ cõpeſcẽtes hominẽ ſanitati poſt mẽsẽ, Dei gratia adjuti, reſtituim⁹.

Quæ in eodẽ cõflictu Ciſtertiẽſi acciderũ memoratu & obſervatiõe digna, Deſiderius Teſteius chirurgus, homo doctus & fidei exploratæ, q plẽs ſẽp in exercitu erat, ut vulneratis mederet in caſtra deductus, mihi pq̃ familiaris & amicus, hæc ex vero retulit a ſe nedũ viſa, ſed manu ſua tractata atq; pcurata, nẽ pe q̃ mox à me ſubſcribent. Nobilis qdã, (cui vulgo nomẽ Le Cadet du monſtier) circa ſternũ parte ſiniſtra thoracis inter ſextã & quintã ex veris coſtis vulnus excipit æneo torm̃eto, globulo in thoracis mediũ adacto, & p dorſũ egrediẽte duobus digitis ppe ſpinalẽ medullã, multis circulis ferreis cõplicato globo ex thorace ferreo circulis ferreis intertexto, (q vulgo Cotte de maille vocãt) quorum circulorũ circiter duodecim cum globulo pdiere,

multique alij in muſculis intercoſtalibus & dorſi conſtitere, multiq; etiam intus in thorace conditi una cum pure egrediebantur: intra annum curatus, ſed ægre ſpirans remanſit.

Miles quidam loci à Senas eodem in conflictu ab æneo tormento magno, (cui vulgo nomen Moſquet) vulneratus, cujus globulus pila palmaria luſoria parva major erat: vulnus in brachium ſiniſtrum incidit, cum oſſium cõfractione, dilaceratione tanta muſculorum, ut vix digito uno contineretur in ſe brachium, quin univerſim decideret. Vocati chirurgi in ea ſententia fuere, ut abſcindẽdum omnino brachium ducerent. Curatur tamen à Deſiderio intra menſem citra ſectionem, ſervatis magna ex parte brachij motibus.

Miles alius quidam qui ſub Caſtellero duce ſtipendia merebat, æneo tormento vulneratur, globulo per medium os injecto, egrediente vero prope coronariam ſuturam parte ſiniſtra circa oſſa petroſa & tempus ſiniſtrum, diffracta ſuperiore mandibula. Curatur tamen is ſumma difficultate, degitque nunc ſanus, ut ajunt.

Bajulus quidam Arelatenſis, factus miles, ictum mucronato gladio prælongo (vulgo Eſtoc

go Estoc vocant) accipit tribus sub umbilico digitis parte sinistra : adigitur ensis magno impetu in thoracem mediũ, egresso mucrone in dorsum inter tertiam & quartam costas prope spinalem medullam. Curatur tamen præter omnium opinionem ab eodem Desiderio & Ioanne Anglesio chirurgis: vivitq; nunc sanus & incolumis Dei bonitate adjutus. Hæc inter cætera admiranda, vel quæ conspeximus ipsi atque curavimus, vel quæ ab chirurgis probatæ fidei accepimus, cũgna relatu duximus: ut nemo quicquam in rebus arduis desperet, uti in levibus non nimis confidat, cum interdum mori eum cernamus quem medicus evasurum certus fere erat, & evadere eum non raro de quo medicus desperarat, (quæ docta Celsi sententia est) existimetque medicus mirabilia etiam in arte contingere atq; monstrosa, uti in naturę operibus, tantamque esse artis vim, ut difficillimis etiam prospiciat, ad laudem Dei optimi maximi. Valleriola Observ. 10 lib. 4.

OBSERVATIO CCXXIX.

Curandorum Sclopetorum vulnerum ratio, memorabilibus historijs ostensa.

CVrandorum Sclopo inflictorum vulnerum leges, placet in Tyronum gratiam appo-

appositis exemplis illustrare. Clarissimus & bellicosissimus Comes Mansfeldan. Augustæ Romanduorum, Prorex Burgundiani ordinis eques torquatus, inter auxiliares copias Gallorū Regi ad Mōdontortiū plium aderat. Ibi in cōflictu manuario torméto cominus tā grā de vulnus ad sinistri cubiti articulum accepit, ut fractis insigniter ossib⁹, multa quasi à malleo supra incudē cōtrita & cōminuta cernerēt. Hinc maligna pleraq; symtomata emerse re, dolorū nēpe acerbi & immanes cruciat⁹, inflammatio, febris, brachij totius ad extremos usq; digitos tumor œdematosus & flatulētus, ac q̄dā ad gāgrenā dispositio. Huic ut occurrerent Nicol. Lābertus, & Richardus Hubertus Regij chirurgi, multas & pfundas scarificationes inflixerāt. Ego vero ad eū, qui invisere & curare, Regis jussu cū venisse, ingētemq; fœtorē & putredinem animadverte rem, suasi ut lotiones ex egyptiaco viribus aucto, & in aceto ac aqua vitę dissoluto, instituerēt, aliaq; fierent, q̄ capite de gāgrena fusius explicant. Nā & Diarrhœa ægro supvenerat, qua purulentā & fœtidam saniem à brachio & vulnere manantem reddebat. Quod, quo modo fieret, abunde alibi dicet: permultis n. absurdum id videbat, q̄, ut è brachio purulēt⁹ ille humor in alvum deflueret, necesse haberet

beret in venas remeare, sãguini miſceri, ſuoq; pniciali & contagioſo p cor & hepar tranſitu peſſima omnium ſymtomata, tãdẽq; mortem inferre. Certe crebrę nobilẽ ægrum ſyncopę invadebãt, tetrorũ vaporum ab ulcerib. ſuſcitatorũ ad partes nobiles trãſlatione: qb⁹ ut occurreré, degiutire ipſum jubebã aquæ vitę in qua theriacæ parũ diſſolverã cochlear unũ. Tumorẽ œdomatoſum & flatulẽtum brachium totum occupãtẽ reprimere conabar ſplenijs oxycrato imbutis, cui ſalis momẽtum & aquæ vitæ parũ affuſum eſſet. Ejuſmodi ſplenia duplatis linteis, q̃arctiſſime poſſẽ cõſutis, cõtinebã & ſtabiliebam. Talis cõpreſſio oſſa fracta ſua ſede cõtinebat, ſaniẽ ab ulcerib. exprimebat, affluentes in partem humores retro in corporis centrũ cõpellebat. Hanc cõpreſſionem ſi quãdo intermitterem, adeo augebatur tumor, ut nõ levis me met⁹ haberet, ne partis nativus calor inde ſuffocaretur. Nec vero alia faſciandi erat commoditas aut facultas, propter doloris acerbum cruciatũ, quo habebatur ęger, ſi quando vel leniter brachium commoveretur. Multi inſuper abſceſſus ad cubiti articulum, pq; totum brachium paſſim eruperunt. Quorũ materiebus ut exitum aperiré, novas moliri inciſiones coactus fui: quas ille, ut omnia forti & intrepido animo tolerabat, detergendorũ ulcerum &

putredinis corrigendæ ab ægyptiaco in vino vel melle roſato diſſoluto, & ulceribus infuſo, ſpongioſæ carnis luxuriantis caſtigandæ, à pulvere aluminis, deſiccationis poſt deterſionem completam à linimentis, ſanitatis denique à potione vulneraria compendium illi comparavi. Vere hoc affirmare & profiteri poſſum, me pendente curatione illi à brachio pluſquam ſexaginta oſſium teſtulas exemiſſe, & eximere neceſſe habuiſſe, inter quas una viſebatur digiti longitudine: Dei tamen favore ſuperſtes & incolumis evaſit, cętera ſanus, niſi ꝙ contrahendi aut explicandi brachij non illi libertas eſt.

Non ita multo poſt juſſu Regis inviſi haud longe à monte urbe Hannoniæ Carolum Philippum de Croy, Haureti dominũ, Aſcotij Ducis fratrem. Is à ſeptem menſibus lecto afflictus jacebat, ex Sclopi vulnere trium digitorum interſtitio ſupra genu accepto. Eum hæc tum ſymtomata habebant: dolores intolerabiles, febris continua, ſudores frigidi, vigiliæ, coccygis excoriationes, ob diuturnam in illam partem decubitum, deiecta ciborum appetentia cum multa ſiti. Cadebat ſępe epileptico ſimilis, cum nauſea & continuo tremore, ut ne manum quidem ori citra alterius auxilium admovere poſſet:

crebra

crebra à vaporum translatione ad partes nobiles leipothymia p̄hendebatur. Nam os femoris fractū erat in lōgū & trāsversum, cum multis testulis ossiū, quarū nōnullę iam exciderant divulsæ à vivente osse, alię tenaciꝰ adhuc hærebāt. Erat insup ei ulcꝰ ad Bubones, q̄ in medium femur desinebat, sed & alia ipsi iuxta genu erant ulcera sinuosa. Musculi oēs femoris, crurisq; insigniter tumebāt, humore pituitoso, frigido & flatuoso, adeo ut earū partium calor nativus prope omnis extinctus videretur. Quibus omnibus expēsis, vix unquā sperabā ipsum cōvaliturum, adeo ut me incepti mei pœniteret. Tandē tamē fretus viriū & florentis in eo ætatis fiducia, cœpi mihi aliq̄d melius polliceri. Itaq; cum bona ejꝰ venia ante omnia duas incisiones molior, ut exitū materiebꝰ patefacerē, q̄ ossi circūpositæ musculorū substātiā irrigabāt. Successit res feliciter, & multa humoris copia educta est, hinc syphūculo exp̄ssum in illas excisiones à me est ægyptiacum multū, in vino & pauco aqua vitæ dissolutū, quo sic putredi nē cōprimerē & emēdarē, carnem spongiosam, laxā & mollē corrigerem, tumorem œdomatosum & flatulentum resolverem, dolorem sedarem, & calorem nativum sub humoris excrementitij mole fere oppressum,

sic ut vix alimenti quidq̃ assimilare & partib⁹ adjungere posset, excitarẽ & roborarẽ. Hinc partẽ affectã fovi salvia, rosmarino, thymo, lavendula, floribus chamæmeli, meliloti, rosis rubris in vino albo & lixivio ligni quercini incoctis, salis & aceti q̃ sufficere videbat̃ addito. Ejusmodi fotui vis erat humorem morbificũ attenuãdi & exhauriendi. Diu vero & multũ hi admovebãtur fot⁹, quo sic plus humoris dissiparet̃, siccando, & cutis spiracula reserãdo, q̃ in partem advocaretur. In eundẽ hũc finẽ frictiones illi ex linteis calidis instituimus, mixtas seu rotundas, id est, q̃ superne deorsum, inferne sursum, atq; in oẽm partem fierent, quæq; fierent diutius: nam brevis fricto plus in partẽ attrahit humoris q̃ resolvere queat: interpositis diebus illi circum crus, femur, & pedis vestigium lateres ab igne cãdentes admoveri iussi. Extinguebantur vero & irrigabantur illi aceto & vino albo cũ tantula portione aquę vitæ. Suscitati inde vaporis vi, multi aquosi humores sudoribus diffluebant, tumor minuebatur, nativus sensim calor restituebatur: inde splenia circũponebãtur, imbuta lixivio ex cinere querno, in quo incoxissent salvia, rosmarinus, lavendula, sal, aqua vitæ, cariophilli. Fascię vero tam artificiose & suaviter ipsi advolvebantur, ut earũ con-

constrictionē sine dolore & facile ferre posset:tā felici successu, ut, si vel diem unum intermitterētur,tumor ingenti mole attolleretur.Diplomata vero lintea crassiora ulcerum sinubus imis admovebantur, quo sic faciliu⁹ compressa sanies foras exprimeretur. Cæterum hoc sedulo curavi semp,ut ulcerum orificia hiarent,immissis peniculis fistulatis:nōnunq̄ ad tumoris resolutionem sequens cataplasma apponebatur. ℞ far·hord.fab. & orob.ana unc. vj.mel. cōm. & tereb. ana unc. ij.flor. cham. melil. & rosarū rub. ana unc. s. pulv.rad.ireos flor.cype. mastich. ana drach. iij.oxymelitis simplicis quātū sufficit, fiat cataplasma ad formā pultis satis liquidę. Apposita & fuere emplastra de Vigo sine mercurio,quibus mirifice sedatus est dolor,& resedit tumor:non tamen ante apponebātur quā partes incaluissent fotu, frictionibus & evaporationibus,alias è facultate in actum nunq̄ id emplastrū potuisset emergere,ꝓpter insignem partium affectarum intemperiem frigidam:nec vero pulveres catagmatici,eliminandis, eximendisque collisis ossibus idonei, omissi fuere. Vsus est per dies quindecim potione vulneraria: iam vero,præter particulares affectarum partium frictiones, alias generales instituebā ad universū corpus

multum emaciatum: his n. attrahebatur una cum ſpiritu ad partes ſanguis, fuligo acris & ſubcutanea reſolvebatur. Deniq; febre dolo ribusq; ſedatis, reſtituta, appetētia, cibis bo ni ſucci abunde ꝑ virium ratione aſſumtis, brevi habilior factus, omnino tandem ſingulari Dei beneficio ſibi & ſanitati eſt reſtitutus, niſi quod plena flectendi genu libertas non eſt reſtituta. Pareus operum ſuorum lib. 10. cap. 12. de vulnerib. Sclop.

OBSERVATIO CCXXX.

Tela & plumbeas glandes interdum diu in corpore delitescere, etiam persanato vulnere.

INterdum tela infixa integra intus, cicatrice obducto vulnere, citra noxā aliquādiu delituerunt. Deinde longiore temporis ſpatio, partem eam abſceſſu occupante, ac diruꝑto, exiiiere: quo facto, vulnera mox ad ſanitatē ꝑducta ſunt, ea illis curatione adhibita, q̄ alijs debetur vulnerib. Tagaultius Chirurg. lib. 2 cap. 4.

Mulierem vidimus, cui vulnus ſagitta iuxta ventrem illatū coaluit, & telū in corpore detētū delituit, q̄ nihilomin⁹ inde inculpata ſanitate actionibusq; naturæ illæſis perfuncta eſt Albucaſis lib. 2. c. 64. Chirurg.

Quidam ſagittam gerens in corpore, intra ſtomacchū penetrātē, & ſic lōgo tēpore nul-

lũ doloré patiebatur, niſi cum ſtomach° implebatur. Gilbert. Anglic° in cõpẽdio. p. 233.

In qualibet fere corporis parte plũbea pila ita ſine læſione, ac diutiſſime detinetur, pinde ac ſi corporis portiuncula ſit eadẽ natura fabricata. Quod ego ipſe oculis ſæpi° vidi, cũ quandoq; p viginti iã años ita retẽtam extraxerim. A fõſ. Ferr. lib. 3. c. 5. de vuln. Sclop.

Hærent infixæ ſeptẽ, nõnunquã octo pluribusve añis in parte corporis plumbeæ glãdes, ſic ut nec inde vulneris agglutinatio retardetur, nec ullũ aliq; ſymtoma ſuperveniat, ut à me pluries obſeruatũ eſt: quouſq; tandẽ naturę excernẽtis robore & ꝑpria gravitate deorſum pulſæ, in parte aliqua inferna ſuo ſe tumore ꝑdãt, chirurgi manu eximẽdę. Aiũt n. plũbo occultã quandam eſſe cum humani corporis, carnoſa præſertim mole, ſympathiam, & familiaritatẽ. Ideo in corpore nec putreſcere, nec putrefacere. Itaq; inſignẽ eius, in antiqs ulcerib. cicatrice obducendis, eſſe vim: aliam vero rationẽ eſſe glandiũ lapidearũ, ferrearũ, aut alteri° metalli: nõ poſſe n. diutius ꝑſtare illas in corporib° citra pernicié, rubiginẽ n. ferrum cõtrahere, unde vicinorũ corporum ſequatur eroſio, & aliorũ ſymtomatũ conſecutio: quãquã ne diuti° qdem in nervoſis, vel nobilibus partibus cũctari poſſit plũbea glãs, citra ꝓnicié. Pare° lib. 10. c. 10.

OBSERVATIO CCXXXI.

Tela & glandes ſape, ubi multo tempore in corpore delituerunt, tandem per abſceſſus in variis corporis partibus obortos eximi, aut per alvum excerni-

QVidam iuxta inguen ſagitta percuſſus, quē nos vidimus, maxime præter oēm opinionē ſervatus eſt. Neq; n. cuſpis exemta eſt, erat n. valde in ꝓfundo, neq; ſanguinis eruptio ulla memorabilis fiebat, neq; inflammatio, neq; claudicavit. Cæterum cuſpidem invenimus nos, ipſamq; exemimus, cū ſexiā eſſent añi ex quo ſauciatus erat. Suſpicio antē erat hæc, inter medios nervos cuſpidē occultatam fuiſſe, nullāq; venam aut arteriam diſſectam eſſe. Hipp. lib. 5. morb. ꝓp.

Multis infixa tela integra intus inſederūt, q̄ vulneribus cicatrice obductis, deinde longiore temporis ſpatio, partem eam abſceſſu occupante & dirupto, exiliere. Paul Ægineta lib. 6. c. 88.

Iam quidem viſum fuit, de quodam cujus dorſum ingreſſa fuit ſagitta, quæ poſt ſeptem años exivit cum ſtercore. Alſaharavius Theoricæ Tractat. 16. cap. unico.

Homo quidam in inteſtino ſagittam habens cum ęgeſtione eduxit, & tunc evaſit. Gilbertus Anglicus lib. 5. Compend.

Supra fidem est, ꝙ ipsi, cum in Creta essemus, vidimus. Rusticus in quodam seditioso tumultu sagitta circa dorsum impacta vulneratus fuit, evulsa sagitta ferrum intus in thorace relictū est: vulnus frustra perquisito ferro medicus persanavit, ꝙ post biennium per inferna extulit, id miraculi gratia, barbatæ figurę 2. digitorum latitudinis ostentabat. Secundum n. diaphragma prius mucrone penetravit, ubi pars carnosior est, deinde secūcum intestina delapsum iuxta alvum sensim podicē secuit, viamq; sibi ad exitum fecit seni exesum, de qua re magna medicorū concertatio fuit. Alexand. Benedict. lib. 3. cap. 9. anatom.

Iuvenis Tharasconensis quidam, Eleonora Labianę honoratissimę fœminę filius, cui Ludoico nomē, dum æneum tormentū manuarium (vulgo Pistolet vocāt) globulo plūbeo farctum, & pulvere tormentario plenū, male cautus adornat, claviculasque ejectorias concinnat, imprudenter ad pectus conversō telo, dissultantibus claviculis, ictūexcipit mirificum, globulo in viscera adacto, atq; igniveomo impetu intruso tribus sub ventriculo digitis. Paucis post diebus emisso per anum globulo, nulla noxa in intestinis

relicta, aut ullo viscerum, pfecte agglutinato vulnere, miraculo potius quam naturæ ductu, sanatur. Valleriola lib. 4. observ. 9.

Ad sancti Angeli oppidū Franciscus Mies ex turma Capitanei Mureti, vulnus in ventre accepit, manuario tormento inflictum, inter umbilicū & ilia. Haud eqdem glans extracta est, quia sedulo vestigātibus Chirurgis reperiri & occurrere nō potuit. Qua de causa gravibus & torminosis doloribus conflictatus est: donec nono demū post vulnus die glāe per anum excrevit. Itaque intra tres dehinc hebdomadas plane convaluit. Curabat illum Simon Crineus Chirurgus turmarum gallicarum. Pareus operum suorum lib. 24. c. 7.

Debetis scire, quod, nisi facillima sit extractio, (telorum & glandinum) non extrahatis, si potest vivere homo nō extracta materia. Si homo haberet mille globos in corpore, nūquam debetis tētare extractionē, initi sūt. q sagittas & globos plūbeos habēt. Gal. pponit quatuor hominum genera, habebant sagittas in corpore, & nō laborabant & ego habeo exempla nobilissima Principū habentium glandes plumbeas & nihil patientium. Ego post quintum annum extraxi glandem plumbeam receptan in inguine: & etiam extraxi iuxta genu: cum

ergo

ergo videmus posse sanari vulnera, sanemus: si est periculum extrahēdi, non extrahamus. Ex cavitate thoracis extraxi laminam ferreā hac æstate cuidam nobili, quam habuerat per novem annos. Ego habui casum in muliere meretricula, cui fuit percussa facies phiala stercore plena: intra oculum frustum vitri habuit, non aderant symtomata mala: ego curavi solidationem, & curata est: nihil aliud symtoma patitur, & credo quod sit sextus annus, nisi quod clauso altero oculo, & remanente altero percusso vitro aperto res majores videntur quam sint, & nihil aliud. Fallopius lib. de vulnerib. cap. 22.

OBSERVATIO CCXXXII.

Lamina ferrea annis 14. intra claviculam impacta latens; tandem excitato tumore eoq; suppurato extrahitur, egro superstite.

VIllicus quidam in vicinia, natus annos circiter 50. febre ardente cum alijs gravissimis symtomatis correptus, præ dolore ex animi impotentia sibi ipsi mortem consciscere volens, frustulum cultelli fracti forte fortuna in terram projectum alijs absentibus invenit, illudque sibimetipsi intra cla-

viculam dextram in pectus ita valide impegit, ut postea domestici vel chirurgi non potuerint eximere. Paulo post convaluit,& vulnus fuit consolidatum, ipseque ad solita munia reversus est, de nulla re nisi sicca tussi,ac levi interdum dolore circa locum affectum conquerens. Post 14. annos è regione istius loci ad scapulam sensit dolorem pungitivum: qui indies factus est vehementior, donec in ea parte tumor manifestus appareret, qui tandem in abscessum fuit mutatus. Conijciens itaque esse aliquid de ferro, quod exitum quæreret, ivit ad imperitum quendam balneatorem in alterum pagum à suo distantem dimidio miliari. Qui magna vi ferrum extraxit, cum copioso sanguine effuso. Villicus nihilominus ad noctem domum ire cupiens, in itinere animo linquens,coactus fuit sub dio decumbere,& tam diu expectare, donec domum veheretur. Hoc facto vulnus rursum consolidatum est, & ipse adhuc vivit, sed tussi subinde infestatur. Ferrum in meis manibus habui & rusticum ipsum sæpe ob hanc causam sum allocutus. D. D. Ioach. Camerarius in suis ad me literis.

OBSER-

OBSERVATIO CCXXXIII.

Loricarum circuli in corpore per vulnera consolidata delitescentes, Ferinis thermis educti.

LOricarum annuli, apertis consolidatis membris in thernis Ferinis, sublati sunt. Insignes tumores pluribus, præsertim monacho, qui nullis unguentis vel emplastris emolliri vel aperiri poterat, in Ferinis aperti, magna illuvie evacuata, sanati sunt. D. D. Esaias Meuschnerus de obseruat. proprijs.

OBSERVATIO CCXXXIV.

In educendis è sclopetorum vulneribus globulis, æger eodem quo ictus est situ constituendus.

HVjus operis primum hoc caput est, ut eodem situ collocetur æger, quo erat dum vulnus accepit, alias enim musculorum alia conversio contentis corpusculis viam exitumque vel intercludit vel angustiorem facit. Sunt vero si fieri potest corpuscula illa digito exploranda, quod sic certior & exactior sit sensus.

Quan-

Quanquam si altius glans impulsa subiverit, tum specillo obrotundo & obtuso vestiganda venit, ne dolor inferatur, quanquam & hanc sæpe industriam fugiat glans, nec specillo comperiri possit. Vt contigit Polemarcho Brissacio, cui in Parpinienſi obsidione ad dextram omoplatam glande vulnerato putabatur illa ab his qui aderant chirurgis in corporis capacitatē subivisse. At ego eodem in corporis statu ægro esse jusso, quo erat dum vulnus accepit, digitis vicinas vulneris partes, & alias de quibus suspicabar blande comprimendo, tandem glandis latibulum comperi, partis tumore, duritie, dolore, & lividitate in carne. Id autē erat in parte inferna omoplatæ, ad septimam aut octavam dorsi vertebram. Eo igitur loco facta incisione, educta glans, facilem & brevem mihi curationem, nobili viro & generoso ægro sanationem paravit. Notanda igitur hæc ars, & digiti potius quam specilli credendum judicio. Pareus operum suorum lib. 10. cap. 3 de vulnerib. Sclop.

OBSERVATIO CCXXXV.

Vulneratis aliquot partibus æger restitutus est.

CVravi quendam hominem de Papia, de prædela, qui vocabatur Ioannes, qui ci quo-

quodam cultello percuſſit ſe in ventre, & ex vulnere inteſtina erant vulnerata ſecundum longum & ſecundum latum : fuit eadem hora Octobonius de Papia vocatus ad eum, videns ipſe inteſtina infirmi vulnerata, extra corpus, dixit mortuus eſt, volens ipſe magiſter reducere inteſtina ad interiora, non potuit, quia inflata erant, & vulnus ventris ſtrictum : & ſic venit dictus magiſter cum amicis infirmi ad me in palatio Comitis in quo eram, rogans ut amore ſui irem ſecum, cauſa videndi infirmum : & ſic feci, & cum vidi infirmum ſic ſtantem cum inteſtinis vulneratis, multum timui : ſed ſtatim feci apportare vinum calidum, quia tempus exportationis ſuper alia non erat. & cum iſto calefeci & ablui inteſtina, & hora ablutionis cũ vino exibat à diverſis vulneribus ſtatim ſtercus inteſtinorum, poſt ablutionem conduxi partes inteſtinorum cum ſutura facta ad modum piliparíorum : & ſuper futuram conducentem partes vulnerum inteſtinorum poſui pulverem ſecundum bonam quantitatem, & ſtatim adhæſit : & poſt futuram volui inteſtina reducere, & non potui. tum accepi raſorium, & dilatavi vulnus ſecundam debitam quantitatem & modum, & ſtatim reduxi ea ad interiora. poſt hoc conduxi partes

ſiphas

siphac & pellis exterioris unica futura, simul continuavi curam cum magistro Octobono: & curatus fuit: & habuit infirmus post curationem uxorem & filios, & vixit longo tempore. Guliel Placentinus Chirurg. lib. 2. cap. 15.

OBSERVATIO CCXXXVI.

Communem causam, quæ ab aere pestilentia infecto sumitur, sæpe impedire vulnerum & ulcerum curationem.

FAlsissimum est & ab Hippocratis doctrina alieniissimum asserere, anni tempestatibus à naturæ lege aberrantibus, & aeris, non quidem simplicis & elementaris, sed varia vaporum putridorum & pestilentium, vel è terra suscitatorum, vel cœlitus demissorum admixtione inquinati & corrupti, vulnera alio atque alio tempore haud maligniora & remedijs contumaciora non effici: nam aer vel incalescens, vel frigore torpescens, inspiratione, transpiratione in corpus assumtus, similem suis qualitatibus conditionem nobis ingenerat. Cur non igitur putredinosis insepultorum post dira prælia & navalium exercituum naufragia vaporibus inquinatus, corpora vulneraque simili qualitate inficiet?

Anno

Anno Domini milleſimo quingenteſimo ſexageſimo ſecundo, qui annus bellorum civilium primis tumultibus toti Galliæ fuit funeſtus, cum Penæ, quod caſtrum eſt toto flumini impoſitum, multa interfectorum hominum cadavera in puteum centum ulnas altum projecta fuiſſent, tam fœtidus hinc & adeo venenatus vapor, poſt duos menſes ſuſcitatus eſt, ut multa inde hominũ millia paſſim per totam Agenenſium provinciam tanquam peſte interierint, veneni ſui perniciali lue late per viginti undique in ambitu miliaria diffuſa. Quod mirum cuiquam videri non debet, cum, præſertim ventorum afflatu, putridæ exhalatiõnes in varias & diſtantiſſimas regiones impelli & jactari, ſparſis tanquam peſtis ſeminibus poſſint: unde ſpirituum humorumque & vulnerum lethalis corruptio contingat: haud vulnerum malignitati proprię, aut perverſæ curationi, ſed aeris vitio attribuenda. Itaque Franciſcus Dalechampius, in Gallica ſua chirurgia, inter ea quæ ulcerum ſanationem impediunt non omiſit illam, quæ abaere peſtilentiæ ſeminibus inquinato advenit, cauſam communem. Didicerat nempe à magiſtro Hippocrate mutationes temporum potiſſimum pare-

parere morbos, & legerat apud Guidonem hanc maxime cauſam exiſtere, cur vulnera capitis Lutetiæ, crurum vero Avenione curatu & ſanatu eſſent contumaciora. Denique ipſis etiam eſt tõſoribus notum, per aeris conſtitutiones calidas & humidas vulnera facile in gangrænam faceſſere. Itaque Auſtrali tempeſtate per aerem regnante, ne ipſi quidem lanij carnes niſi in diem mactant. Adnotavi antea, quæ vulnerũ fuiſſet in Rothomagenſi obſidione ab aeris vitio malignitas, quæ nemini, ne regio quidem ſanguine ortis principibus, quibus omnia compendia abunde ſuppetebant, parceret. Quæ me cauſa impulit, ut tandem experientia factus peritior, ſuppurantium loco ægyptiacum unguentum, & ſimilis facultatis medicamenta vulneribus tota illa tempeſtate admoverem: quo graſſanti paſſim putredini & gangrænæ occurrerem. Sed ſi aſtrorum varius motus, influxu ſuo peſtem dimittere in aerem poteſt: cur non & vulnera corporaq; vulnerata, ſuis, & aeris mutationibus obnoxia, qualitatum ſuarum vitio inficere & tanquam immiſſo veneno corrumpere poterit? Magiſtra experientia didicimus, jamdudum dolores omnes, ſed vulnerum præſertim, pluvioſo & udo cœlo ingraveſcere, maxime

quod

quod in Auſtrali illa conſtitutione craſſis & nebuloſis vaporibus gravis aer humores intus in corpore exagitet : qui mox facile in partes affectas decumbant, & dolorum exacerbationem faciant. At, inquit adverſarius, in Drvedarum & Dyoniſiaco conflictu media etiam hyeme infinita Sclopo vulneratorum militum millia interiere, non alio profecto quam perverſæ curationis, quæ ſuppurantibus aut acribus medicamentis inſtituitur, vitio. At ejuſmodi hæc verba niſi hominis eſſe nequeunt ignorantis frigus vulneribus ulceribuſq; eſſe inimiciſſimũ, quod Hippoc. ſententia ſit mordax, cutem obduret, livorem, id eſt, gangrænam obducat. Si ille mecum in Metenſi obſidione fuiſſet, oculorum fide intellexiſſet multis militibus crura computruiſſe, moxque gangræna correpta concidiſſe, ſola frigoris ſævitia: ſi mihi non credit, faciat periculum. Cellam catalepticorum & frigore enectorum in humandis corporibus inter Alpes Cottias ſeu mõtem Cineſium dicatam adeat, intelliget ſentietquè quam vera loquar. Pareus operum ſuorum li. 10. cap. 13. de vulnerib. Sclop.

OBSERVAT. CCXXXVII.

Acetum non ſiſtere, ſed ciere fluxiones, vulneribus inditum,

ACetum, cum tenue sit & mordax, non est dubium quin dolorem sit illaturum, fluxionem & inflammationem. In quam sententiam, memini aliquando Mauro cuidam equiti, ex familia Comitis Rossiani, cui Anglus eques lancea brachium traijceret, ea arte medicinam factam: fluentem enim sanguinem dum sistere cuperem, adstringēs medicamentum, cui acetum admixtum erat, alterius melioris remedij penuria, in vulnus indidi. At ille paulo post ad me redijt, querens, ejulans, sibi totum brachium tanquam ab igne ardere. Itaque eum denuo curare coactus, aliud medicamentum in vulnus injeci, adstringens remedium: vulneri superposui, non infudi. Idem eodem loco.

OBSERVATIO CCXXXVIII.

Prodigiosa vulnerum curatio.

ILlustris quidam in thermis Ferinis (odiosum esset referre nomina, & quæ fidei concredita sunt evulgare fas non est) fassus est mihi, se vulnus posse sanare inuncto saltem gladio ex quo illatum est, statim tum sibi offeratur ensis oportet. Quæ sympathiæ ratio? D. D. Esajas Meuchsnerus de observat prop.

Fama

Fama est, esse unguentum, quo si telum aut ensis, cum quibus vulnus illatum est, illinatur, non secus levari ægrum, quam si ipsi vulneri salutare imponatur medicamentum. & ut fidem faciant, rei descriptionem etiam addunt. constat autem thure, croco, myrrha, bdellio, mosco, humana pinguedine, aut saltem osse, sarcocolla alöe, centaurio, seu ejus succo, lachryma abietis, seu laricis, gummi elemi, styrace, pæoniæ radice, panacis succo, pice liquida, iride illyrica, verbena, betonica, cocco, brassica rubra, ozimo, ulmi folijs, lachrima sycomori, sorde balnei, vino, melle, sale, nec telum aut ensem detersisse oportet. Sunt qui dicant quatuordecim tantum constare medicamentis. Itaque hæc ad signa potius quam curationem pertinent, cum etiam absentem afficere liceat. Hier. Cardanus libr. 2. de venenis capite 6.

OBSERVATIO CCXXXIX.

Rarum & novum compertissimi usus remedium, spatio 24. horarum vulnera etiam nervosarum partium conglutinans.

NOn possum silentio involvere medicamentum quod dam prestantissimum ad partium nervosarum vulnera: cujus descriptionem ab Hispano quodam sacerdote, fide dignissimo, accepi: qui retulit in Hispania nō licere hoc medicamentum componere, quod homines medicamenti viribus confisi facile digladiarentur inque arenam descēdant. Est autem hoc: Rec. ol. vetustissimi unc. iij therebinthinę purę unc. viij. frumenti integri unc. js. hyperici unc. ij. rad. cardui benedicti, rad. valerianæ ana unc. j. thuris pulverisati unc. ij. Radices & herbæ crasso modo contunduntur, in olla ponuntur, & tantum vini albi superfunditur, ut omnia in vino mergantur: & per biduum facta infusione, oleum & frumentum adjciuntur, & coquuntur omnia ad vini consumtionem: mox facta forti expressione additur terebinthina & thus: & iterum parum sinuntur bullire; servanturque in vase vitreo. Sanat vulnera, ut ajunt, spatio 24. horarum. Modus utendi talis est: Abluto priꝰ vulnere vino albo frigido, statim inungit totum vulnus oleo prædicto calente: quod si hoc fieri cōmode nequeat, per siphonem intra vulnus tanquā per clysterem immittitur, & confestim labia vulneris ad mutuum cōtactum adducuntur, deli-

deligatura, aut sutura, aut glutino : deinde partes circamstantes prędicto oleo similiter inunguntur. Supra vero vulneris labia iam reducta linteum imponitur prædicto oleo madēs;& supra hoc aliud vino nigro expressum: mox alia lintea sicca: deinde fascia supligatur. Hieron. Fabricius ab Aquapend. lib.2.cap.7. De Vulnerib.

DE FRACTVRIS ET OSSIBVS.

OBSERVATIO CCXL.

Incurvatio & fractura ossis portentosa.

NObilis quidam Pomeranus annos quadraginta quatuor natus, circa solstitium hyberum, superioris anni 1593. gravissimis in humero dextro, nullo vel tumore vel qualitate præter naturā affecto, doloribꝰ, nocturno potissimū tempore, torquebatur. Quorū leniēdorum causa, primū Tonsoris cujusdā opera usus est, qui neglecta morbi causa, parti affectæ multis septimanis medicamenta calida, attrahentia & exulcerātia applicavit. Sed magis subinde auctis doloribus, & succedēte insuper femoris dextri dolore, relicto tonsore à me cōsilium petijt. Vrinę tamen erant aquosæ & crudæ, appetitus mediocris, mens integra, vires tātę, ut interdiu

cum dolores remitterent, in area domus obambulare posset. Etsi vero ipsi conuenientia q̃dam pro concoctione, evacuatione, revulsiõe, & discussione redundantiũ humorum, remedia tã intra quam extra corpus adhibebã; tamen parum aut nihil ijs ꝓfeci. Cumq; post me aliorũ quoq; medicorũ auxiliũ frustra expert⁹ esset, omnẽ deinceps recuperãdæ pristinæ valetudinis spem abjecit. Porro Dominica Exaudi anni hujus 1594. matutino tẽpore è lecto in sellã sublatus, maximo tremore & cõcussione totius corporis oppressus, eoq; simul ac lectũ repeteret, iterũ relevatus est. Eadẽ die circa vesperã dolorib⁹ femoris ingravescẽtibus contenta voce exclamare cœpit: **ḣaldt/ḣaldt/ḣaldt.** Vxor igitur ipsius ad eũ lecto decumbentẽ accurrẽs, femur affectũ utraq; manu cõprehendit, idq; media parte introrsum versus siniſtrũ pedẽ subito inflecti atq; incurvari sensit, sic ut genu dextri pedis inguẽ siniſtrũ respiceret. Visa tamẽ est ægro arbor in pedẽ decidere, eiusq; casu femur, in quo se manifestũ fragorẽ percepisse ajebat, cõfringi. Cumq; & uxor & cæteri amici in eadẽ cum ęgro opinione essent, ac femur plane confractum esse arbitrarentur, sequenti die chirurgum pro ejus curatione accersiverunt, qui, locum affectum dili-

diligentissime inspiciens, atq; contrectans, præter inflexionem, quę postmodum indies magis magisq; aucta est, nullum vel fracturæ vel tumoris præter naturam indicium in eo deprehendere potuit Hanc femoris inflexionem octo diebus antecesserunt, ac totidem etiam consecutæ sunt urinæ cruentæ, quæ tamen postea ad naturalem statum redierunt, ratio quoque circa illud tempus ut plurimum turbata fuit, vires prostratæ, dejectio appetitus.

Facta inflexione æger cruciatus in femore sensit intolerabiles, ut se loco dimoveri non pateretur, sed quinque septimanis continuis in lecto immotus jaceret, donec tandem ipsa solstitij æstivi die, vitam cum morte commutaret. Mortuo ægro, femur incurvatum nullo negotio extendi, atq; in pristinum statum reduci potuit, ac tum demum fractura media ipsius regione se conspiciendam exhibuit, commissura partium fracti ossis adeo æquali, ac si serra esset præcisum. Similis fractura mortuo jam ægro in medio quoque ossis humeri dextri deprehensa est, cujus tamen nullum, ipso adhuc vivente, vestigium animadvertebatur, & semihora ante obitum amici astantes utrumque brachium citra omnẽ difficultatem ab ægro

elevari atq; extendi videbant. D.D. Iacobus Seidelius de ſuis per CL. D.Laurent. Scholzium communicatis exemplis.

OBSERVATIO CCXLI.

Oſſa fracta, contra veterum ſententiam, novo remedio, citra inflammationem & prava ſymtomata, aliquando intra quinque dies ferruminata.

FAcit Morochthi lapidis aſtringens facultas, qua cruentas rejectiones ſiſtit, & corporis ſpiracula obſtruit, ut alterius quoque lapidis hic mentionem faciam, admirabilis ſane facultatis ad oſſium fracturas. Siquidem tãetſi perfracta oſſa à chirurgicis ante quadrageſimum diem ſanari ſoleant; compertum tamen eſt à compluribus in Germania, ea, proculdubio, ſanari triduo, aut quatriduo, hujuſce lapidis potu ſeſqui drachmæ pondere ex rubro meraco cum mane tum veſperi hauſto. Sed interim os fractum reſtaurare, æquare, & aſſerculis circumquaque munire operæ pretium eſt: & affectum locũ illinire unguento ex radicibus Geranij cœruleũ floré gerentis, & lactentis ſuis axungia, ſiccatis priꝰ radicibꝰ, & in pulveré tritis, & deinde ex axungia pſcripta in mortarium exceptis. Extenditur enim ſuper linteolo cera odorata imbuto, & fracto loco adal-

liga-

ligatur. Est itaque lapis is longus, perinde ac humanus digitus, teres, crassitudine fere annularis, & sæpe tenuiore, albicans, friabilis, tophacea intus substantia. Hunc primo ad me misit excellens ac doctus Medicus Georgius VVirt, qui olim in Aula Cæsaris Caroli Quinti honorifice medicinam fecit. Nascitur in eo Rheni tractu quem Germani Bergstras vocant, circa Derenstatt oppidum, duobus à Rheno miliaribus; & reperitur in arena. Tale est enim illius loci solum. Sunt qui hos lapides è plantę cujusdam, bechio similis, radicibus, ibi nascentis, gigni existiment. Sed an hoc verũ sit mihi certo nõ constat, Germani hunc lapidẽ ab effectu appellãt Beinbruch. Matthiolo Cõment. li. 5. c. 109.

Vtendum erit potionibus vulnerarijs, ad hanc rem aptissimis: quarum opera vidi fracturas sanari, posteaquam ossa in suam sedem restituta fuerant. Idque potissimum in Germania obseruari vidi: ac memini me Reystadij non procul à Rheno didicisse, loci eius incolas uti lapide quodam, qui in illa vicinia nascitur, & ab effectis Beinbruch appellatur. Vnam enim illius drachmam in vino rubro exhibent, in quo prius vinca pervinca medefacta fuerit per noctem, idq; mane per dies quatuor aut quinque, atque hac

ratione dolores eximunt, gtaviaque ſymtomata, fracturasq; intra quatuor aut quinque dies ſanant, magna cum omnium admiratione: cuius rei oculatus ipſe ſum teſtis, eiusque rei Matthiolus in Cõmentarijs ſuis mentionem facit. Eodemque lapide uti prætera ſolent in formam cataplaſmatis redacto, cum Geranio contuſo, & oleo olivarum, vel roſato, tam felici ſucceſſu, ut ſine ullo dolore ac inflam̃atione partis oſſa coagmẽtẽtur; quod incredibile videri poſſet, niſi præter me innumerabiles alij oculati & idonei teſtes extarent. Quamobrẽ conjecturam facio, genus illud medicamẽti ad Sclopetaria vulnera fracturis oſſium complicata, eſſe accomodatiſſimum. Magna n. iam operis pars effecta eſt, cum oſſa confracta tam facile & tã brevi tẽpore ſanãtur, ſine ullo ſymtomate quodã: pſertim cum id non ꝓhibeat nos vulnus tanquam contuſum, & quemadmodum decet tractare. quin eriã viã nobis cõpendiariã ad breuem curationem patefacit, & ad ſauciatũ ſublevãdũ accomodatiſſimã. Ioſephꝰ Quercetanus de Curand. Vulner. Sclop. pag. 112.

Enoſteos lapis diviſus oſſium effigiem repreſentat, Agricola: qui hũc lapidem Germanice interpretatur Knochenſtein. Idem lib. 5. de nat. foſſilium: Cotibus aquarijs gran-

grandibus tãtum (inquit) tympani figura datur,& ex ſaxo molari duro fiunt. Ex his autem ipſis,quæ ex inferiori Germania afferũtur,variæ nigro & candido dolore, quædam fractæ oſſis ſpecié repræſentant: quas idcirco στεγεις Græci appellarent.Eſt in animali porus oſſis duritia(inquit Scaliger) à natura in quaſi defuncti oſſis locum ſuffecta ſuccéturiatave. Callum latini appellant. Sic & in terra oſſa lapidea, aut lapides oſſeos eadem meditata eſt, ut legimus apud Plinium.

Quatuor lapides,quos Oſteolithos dixeris,ab amicis miſſos accepi.

Ex his primus in Palatinatu locis arenoſis copioſe naſcitur ex ſabulo oſſium ſpecie, στελεχοειδῶς, hoc eſt,truncorum quadã forma, cum rudimẽtis ramorũ,unde & Στελεχιτας dici poſſunt,vel Οστεῖτα à ſimilitudine oſſium,vel Ammoſtei, cõpoſita ab arena & oſſe dictione:ves Oſteocolli,à facultate qua oſſa fracta intra corpus ſumti & foris emplaſtris additi mirifice ferruminant: & ab eodẽ Holoſtei:unde & Germanice, Beinvvell & Vvalſtein appellant.Poſſunt autem etiã Sandſtein & Steinbein nominari: Sed nomẽ Sandſtein ſaxo arenario potius tribuitur. Bruchſtein aliq nominãt,ſicut & ſtillatitios lapides, de q-

bus

bus supra dictum est, quod ad ossa fracta valeant, Zu den Beinbrüchen. Nostri saxa quæ ex Latomijs eruuntur, & quasi retringuntur, & exciduntur, Bruchstein appellant. De horum lapidum natura & usu Commentarium doctissimum Thomas Erastus rei medicæ professor Heydelbergæ, vir in omni philosophia summus, in meam gratiam cõscripsit: quem huic nostræ lucubrationi quia non licet inserere, ut cupiebam, propter festinationem typographi, prima quaque occasione alias edendum, ut dignus est, curabo.

Secundus & tertius, figura à primo differunt: tertius quidem ea sola: quartus vero substantia quoque: quæ non arenosa vel terrena & friabilis ei est, sed tenacior & ossi similior. odor aut sapor potius idem qui cornui Monocerotis falso dicto quod diu sub terra marcuit, gratus & subastringens. Eum misit Ioan. Kentmãnus, & alteri lapidi inclusum fuisse significavit, Enostei nomine.

Quartus à Clarissimo medico Ioanne Dryandro, felicis memoriæ, privatim Stelechitæ nomine ad me missus est. differt autem à præcedentibus, quod eis durior est, magisq; lapideus sit. (imo solidus lapis, cum illi leves, molles & friabiles, albique sint, pri-

mus

mus & secundus etiam cavi : ut non modo foris, sed intus quoque præ se ferant) & coloris fusci, figura modice inflexa costarum instar. Ego hunc unum tantum duos pollices longum vidi : conijcio autem hunc tantum esse, qui in saxis, è quibus Cotes aquariæ fiunt, inveniri ab Agricola scribitur. ea enim colore & substantia refert.

Quod ad facultatem attinet, nõ dubito quin ad multos affectus egregie faciant, albi præsertim illi ac probe maturi, si medici cum ratione experiri vellent Sed nimia plerorumque inertia & ignavia est multorum etiam stoliditas, qui vetera solum retinenda aiunt, nova experimenta non facienda, tanquam periculosa. imo ne vetera quidem, si à Galeno aut illis quos sequuntur medicis non tradita, paucis, vel plebi & rusticis forte tãtum in usu sint, facile admittunt. Ego Ammosteorum vim ad ossa consolidanda, & chirurgis vulgaribus & agrestibus quoque illiteratis hominibus à majoribus traditam, perq; aliquot secula confirmatam, natura ipsa indicante & propemodum loquente, illam ex ea quam habent forma nõ vulgarem esse, multorum & fide dignorum hominum tum indoctorum, tum etiam doctorum quorundam experimentis credo: & medicos adhor-

hortor, ut pharmacopolos iubeant hos lapides semper in promtu habere: qui procul dubio ad alia etiam multa utiles erunt, quæcunque siccari, sisti, astringi sine ulla acrimonia opus fuerit. Lavari etiam, ut ab arena crassiore separentur, & in pastillos formari poterunt, Lemniæ terræ instar: cui non impares forte vires in præservandis etiam à pestilentia corporibus habuerint: ij præsertim qui in hoc genere odoratiores sunt, qualis videtur qui in ditione Comitum à Solms, nó procul ab urbe Iena effoditur monte arenoso, femoris quandoque figura & magnitudine, quandoque aliorum ossium, Beinbruch appellant: & utuntur ad fracta crura consolidanda intra corpus per aliquot dies exhibito, & ad dentium nitorem conciliandum: ut Laurentius Hiel, Doctissimus medicinæ in Ienensi Academia professor ad me scripsit, ac simul misit lapidem: qui mihi mali coronei fere odorem repræsentare visus est: Linguæ leviſſime adhærent frustula eius, minimum enim glutinosi, idque probe exsiccatũ habet, cavernulis etiam modice spongiosus est, ideoque levior. Eiusdem plane facultatis & substantiæ, Lac lunæ etiam dictum à nostris videtur: & ipsum interdum satis boni odoris, figuram nescio.

Nuper

Nuper vero lapides quosdam ossibus ustis persimiles, sed solidos & parvis foraminibus in superficie plenos, Petrus Coldebergus pharmacopœus Antuerpia ad me misit: in farcinis nucum muscatarum repertos: unum rectum fere, alterum curvum in medio prominente ceu articulo insignem, q intus quoq; spongiosam ossium quorundam compagem præ se fert. hos Osteitas fœtidos appellarim, attriti enim vel usti, lotij veteris instar aut ossis usti fœtent, ut ossa vera fuisse in lapides mutata suspiceris.

Ab Ammosteis illis, qui in Palatini Electoris ditione non procul Spira ad Rhenum urbe Episcopali fodiuntur, & alijs qui non procul Iena Saxonię, non differt Darmstetēsis lapis, quem à nobili viro Io. Guil. Reiffestenio accepi: & similiter ad ossa fracta in cruribus aut brachijs commendatur, si drachma una aut sesqui detur quotidie per triduum, applicatis interim etiam emplastris, quibus miscetur: quanquam & sine his proficere aiunt, modo ossa ab initio rite fuerint restituta. Gesnerus lib. Fossilium & lapidum pag. 151. & sequentibus aliquot.

OBSER-

OBSERVATIO CCXLII.

Conferuæ vis mira ad ossa fracta ferruminanda, memorabili & veteri exemplo illustrata.

PEculiaris est Alpinis maxime fluminibus Conferua appellata à conferruminando, spongia aquarum dulcium verius, quam muscus aut herba, villosæ densitatis atque fistulosæ. Curatum ea scio, omnibus fere ossibus confractis, prolapsum ex arbore alta putatorem circũdata uniuerso corpori, aquam suam inspergentibus, quoties inarescceret, raroq; nec nisi deficientem herbam mutationis causa resolventibus, conualuisse vix credibili celeritate. Plinius Nat. Hist lib. 27. cap. 8

OBSERVATIO CCXLIII.

Puella à primo ortu tam laxa habens vincula, ut articuli in omnes partes versari possent.

PVellam cernimus, nostra vicinia, articulorum vinculis adeo laxis, ut quocunq; velis artus invertas, quod illi ab ortu vitium est. Fernel. lib. 2. cap. 9. Abdit. rer. caus.

Cuidam mulieri Lutetiæ totum cor-

pus

pus molle, flexile, & sine solidis ossibus fuit. Hollerius libro Observ. proprio numero. 7.

OBSERVATIO CCXLIV.

De prægnante, quæ peperit infantem sine osse coagulato à cubito usque ad humerum, qui infans egregie curatus fuit.

ALeida de Renes, matrona nobilis, uxor Ioannis de Oestrum, viri nobilitate clari, & quondam urbis arcis VVordenæ præfecti, anno 1587. Delfis habitans in ædibus Adriani Ioannis ichthyopolæ in platea Frādrica dicta. Quæ quidem prægnans mane, ancillis suis absentibus, audiēs ploratum infantiū, subito è lecto surgēs, per scalas admodū precipites inferi⁹ descēdēs, inopinato cecidit in lat⁹ dextrū, & dextrū cubitū, vers⁹ humerum: & circumvoluta, etiā in caput prolapsa est, non sine contusione ejusdem cum vulnere. At paulo post restituta sanitati 8. menses cum dimidio in Haga Comitis tunc agens in domo Præposituræ, anno 1588. 13. Iulij die, peperit puellum, cum brachio dextro à cubito usque ad humerum non tantū resoluto, sed omnino osse non coagulato, ut brachium instar lori in omnem partem flexibile flaccidumq; concideret, ita ut in bra-

chio à cubito usque ad humerum os abesse videretur. Ad infantem ego accitus, una cum M. Ioanne Quatellatio & Iacobo Timanno Capitone dicto, Chirurgis. Communi consilio adhibuimus medicamentum defensivũ & conglutinans (ut in ossium fracturis communiter fieri solet) bolo armeno, farina volatili, pulvere myrtillorum, oleo rosaceo, & albumine ovi concinnatum, mox superimpositis ferulis, primo ligneis (quas infans ferre non poterat) deinde carthaceis, ex charta paulo duriore & crassiore (quas nos magis laudavimus) insuper inductis debite fascijs à cubito usque in humerum, ut ita os paulatim coagulari posset. Quibus remedijs præter omnium hominum opinionem hic infans (cui Bruynic de Oestrum nomen erat) miraculose intra tres septimanas sanitati restitutus est, non solum osse coagulato, & paulatim indurato, tum brachio etiam valido existente; verum etiam belle puellus contritus si quis alius, inter multos infantes & robustissimus & pulcherrimus evasit: adeo ut ad libitum etiam quo velit brachium moveat in omnem partem, non sine admiratione eorum qui puerum viderunt & noverunt. Petr. Forestus lib. 17. Observat. 15.

OBSER

OBSERVATIO CCXLV.

Ossa quorundam morbi vi mollia & cera instar flexibilia evasisse.

QVod Ruellius non ita pridem literis memoriæque mandavit, id ipsi vidimꝰ in milite quodam, ossa crurum, brachiorum & femorum, tam mollia & flexibilia evasisse, ut ceræ modo facile sequerētur quocunque torqueres, quæ tandem balnearum naturalium usu (ejusmodi erant aluminosæ) in pristinum vigorem roburq; restituta sunt. Fernelius lib. 2. cap. 9. de Abdit. rer. caus.

OBSERVATIO CCXLVI.

Articulorum, ligamentorum, atque ossium prope omnium luxatio & corruptio in puero visa.

IN pueris gulosis frequentissime, si constitutio præcedens aëris fuerit humida valde, membra aliqua putrescunt: quod vidi in filio mei vicini, in quo factæ fuerunt omnium articulorum pedis & manus eluxationes, ob ligamentorum putredinem ossa junctuarum putrefacta apparuerunt extra. Rondeletius lib. de dignot. morb.

OBSERVATIO CCXLVII.

Ossa quibusdam concreta, & medullis destituta.

CONcretis quosdam ossibus, ac sic medullis vivere accepimus, signum eorum esse nec sitim sentire, nec sudorem emittere. Plinius lib. 7. cap. 18. N. H.

Lygdamus 53. Olympiade primus ex olympico certamine Pancratij coronam reportavit, ejus ossa medullam non habentia deprehensa sunt. &c.

OBSERVATIO CCXLVIII.

Os coxendicis, ut & alia quoque ossa suppurationem quandoque sustinere.

ANtonij Iaceti filium novimus, qui cum ingenti coxarum dolore vexatus, in maximam primum debilitatem, tum & in mortem, nihil iuvantibus medicis, nihilq; conferentibus præsidijs, deveniisset, inciso corpore, inventus est pestifer humor, in coxa, quo magna pars ossis erosa, etiam in cinerem versa videbatur. Benivenius cap. 79. Abditorum.

Quandoque in suppurationem transit (coxendix) quem transitum in Calceolario Viennæ vidimus, & curavimus. Montuus c. 54. Tom. 4. Anasc. morb.

Fateor

Fateor plerosque medicorum ignorare ossa, quantumvis solida, quasi phlegmone & apostemate quoque corripi posse. Quicquid enim nutritur, crescit, augmẽtatur, aut influxus recipit, id quoque putrescere, & apostemate aliquando turgere fatemur. Proinde Avicenna & Galenus, suo periculo edoctus, apostemate quoq; distendi asserunt. Et Hippocrates os sacrum empyemate quoq; computrescere novit, cuius putredine, & incredibili doloris tyrannide, duos spectatę probitatis viros, N. VVurmhauser in Neoburgo, & alterũ Ioannem Castnerum, efflictim & diu maceratos, tandem contabescere & mori hisce oculis vidi. Langius Epist. 42. Tom. 1.

Nuper, dum mulierem quandam morbo gallico interemtam resecaremus, causam morbi perquirendo, ossa sub membranis suis integra tumentia & ad medullam usque suppurata invenimus, ea duntaxat ratione, quoniam, & ipsa nutriuntur, abscessibus ob id afficiuntur. Alex. Benedictus lib. 1. cap. 6. Anatom.

OBSERVATIO CCXLIX.

Vniversi corporis Sceleton unico osse continuo constans.

EXcellens Medicus Ioannes Bertonius ab Auricula, mihi amiciſſimus Sceleton mihi dedit, quem ego domi ad ſtudioſorum utilitatē diligēter adſervo, in quo oſſa omnia, id eſt, omnes totius corporis arriculi à capite ad extremos uſque pedis digitos uniri conſpiciuntur, huic quatuor dentes deſunt, bini ſupra, totidem infra, ex illorum regione, qua via cibus & potus intromittebatur. Romæ in Xenodochio divi Iacobi incurabilium diu vitam traxit. Vivens autem, quem ſenem vidit & inviſit ſæpe Ioannes Auricula, nihil aliud movebat, quam oculos, linguam, penem, abdomen, thoracem: nam cartilagines quidem coſtis articulatæ erant, ſed nondum coaluerunt: reliquæ corporis partes omnis motus expertes relinquebantur. Columbus Anat. lib. 15.

FINIS.

OBSER-

OBSERVATIONVM
MEDICINALIVM
LIBRI QVINTI
Lemmata,
DE PARTIBVS EX-
TERNIS.

Et primum
DE BRACHIO.

BRachijs tribus vel pluribus, ut & pedibus aliqui nati. *Obſ.* 1.

Brachio unico nati. *Obſ.* 2.

Sine brachijs & ex his nonnulli ſine pedibus viſi. *Obſ.* 3.

Sine brachijs nati, qui vel ore, aut mento, vel pedibus, incredibili induſtria, quævis ſubtiliſſima opera, manuum vice, efficere potuerunt. *Obſ.* 4.

Gangræna brachij percurata, poſt eryſipelas phlegmonodes ſuppuratum inciſumque obortum. *Obſ.* 5.

Nervus chirurgi errore venæ loco in brachijs punctus, Carolum nonum Gallorũ Regem febricitantem, in grave discrimen adduxit, qui tandem opportunis adhibitis auxilijs convaluit. Obs. 6

Mali aurantij particula in socium procurrentem iactu os humeri unius & brachij sinistri perfractum. Obs. 7.

Quidam nucleum amygdalinum pavimento illidere volens: & alius malleo quippiam leviter confringere attentans, brachia fregerunt. Obs. 8.

Historia aciculæ de abscessu brachij post annorum aliquot dolorem exemtæ. Obs. 9.

Struma insignis magnitudinis ac molis vetulæ è dextro brachio enata, & chirurgi opera exigua hæmorrhagia feliciter resecta, quæ glandulis tunicis inclusis referta fuit Obs. 10.

Brachium ab humero diductum. Obs. 11.

Brachia & pedes puellæ cuidam, vi morbi, à reliquo corporis trunco, qui salvus perstitit, exciderunt. Obs. 12.

Erysipelas phlegmonodes dextri brachij exulceratum, cum copiosissimo sanieiefluxu. Obs. 13.

Histo-

DE HVMERO.

NAta humeri pondo ſeptem librarũ feliciter execta. *Obſ.*15.

Nata ſeu ulcere ſanioſo calloſoque humeri inciſo: pure confertim evacuato, æger chirurgorum imperitia occiſus. *Obſ.*16.

Vulnus ſinuoſum ab humero ad nates uſq; extenſum, fruſtra tentatis alijs medicamentis, braſſicæ folio conſolidatum. *Obſ.*17.

Humeri luxationem crebro & facile incurrebat quidam. *Obſ.*18.

Ex vulnere cum fractura oſſis ad cubitum, diæta carnium cum vini abſtinentia imperata; unde æger narium homorrhagiam & magnam corporis imbecillitatem incurrit, à qua non niſi diæta prima reſumta liberari potuit. *Obſ.*19.

DE CVBITO.

ANcyle in dextro cubito curata. *Obſ.*20

Ex leviſſimo cubiti vulnere quidam extinctus. *Obſ.*21.

Cubito, manu, digitis & crurib. monstro-
sus puer. *Obs.* 22.

DE MANIBVS.

Sine manibus nati. *Obs.* 23.
Sine versis manibus & pedibus nati.
Obs. 24.
Puellæ cujusdã sinistra manus enormis
formæ visa. *Obs.* 25.
Manus mulieris cujusdã altera duplo
major. *Obs.* 26.
Puellæ cujusdã manus à nativitate trũ-
ca & tuberosa. *Obs.* 27.
Monstrũ manibus pedibusq; anserinis,
& capite enormi natum. *Obs.* 28.
Præcisa manus intra annum renata.
Obs. 29.
Ex despicabili volæ manus vulnere
mortuus quidam. *Obs.* 30.
Brachialis ossa de facili cariei obnoxia
esse: memorabili exemplo. *Obs.* 31.

DE DIGITIS.

Monstrosæ digitorum manus conforma-
tiones & numerus. *Obs.* 32.
Punctura acus inter unguem & pollicis
carnem quidam extinctus, *Obs.* 33.

Paro-

Paronichia pollicis sævissima incisa, cō-valuit. *Obs.*34.

Pollicis tendo præcisus ut arte ad usum restauratus. *Obs.*35.

In apostemate medij digiti manus, vermiculus albus & pilosus natus, & extract°, intensissimum ejusdem dolorem solvit. *Obs.*36.

Vulnere minimi digiti quidā mortuus. *Obs.*37.

DE CERVICE.

Tuber rotundū capitis humani fere magnitudine cervici cujusdā agnatū, imaginem bicipitis hominis præbuit. *Obs.*38.

Lupia pōderis octo librarū capitis magnitudine é cervice enata et exsecta. *Obs.*39.

Struma pediculis referta. *Obs.*40.

DE SCAPVLIS.

IN tumore sinistræ scapulæ, internæ partis, lapis quadratus inventus. *Obs.*41.

De fractura omoplatæ, qua docetur, naturam sua sponte viam sibi moliri peregrina corpora & materias etiam ex consanatis jam vulneribus propellendi. *Obs.*42.

DE DORSO ET SPINA.

Sinuo-

Sinuosum ulcus dorsi. Obs.43.

Spina vertebræ thoracis abrupta. Ob.44.

Trichiasis spinæ lethalis morbus. Ob.45.

Abscessu in dorso aperto quinquaginta ova, tenuissima membranula inducta, intus aqua limpidissima referta, inventa fuerunt. Obs.46.

Abscessus in gibbo apertus, & pediculis refertus. Obs.47.

Puella semestris nata, cujus mater dum utero gestaretur è scalis procciderat, unde filia luxata dorsi spina, & enata ad lumbos ovi magnitudine excrescentia, paulo post ex convulsionibus mortua est: corpusculo dissecto, desiderata duæ vertebræ, & spinalis medulla denudata conspecta. Obs.48.

De eximia phlegmonarum curatione, prope spinam dorsi. Obs.49.

Cornua in dorso & juncturis nonnunquam agnasci. Obs.50.

In recens nato puello, tumor farciminis instar dorso agnatus visus, quo primum aperto, & tandem in totum resiso mortuus ille. Obs.51.

Erysipelatis species rara & periculosa, cur-

circa dorsum tractum rubrum proferens, tum de eiusdem prognostico & curatione.
Obs.52.

Ignis sacri species rara Zoster appellata, medium hominem cinguli instar ambiens, ex qua, intempestive consolidato ulcere, mortuus Princeps quidam: alius vero tempestivis remedijs adhibitis liberatus.
Obs.53.

In globum quorundam corpora incurvata & contracta. *Obs.54.*

Caro ex dextro latere enata propẽdens.
Obs.55.

De Gibbo. *Obs.56.*

DE HYPOCHONDRIIS.

Durities hypochondriorum. *Obs.57.*

Lapis triangularis, silicis duritie, ex multis alijs pisiformibus coalescens, in ædemate scirrhoso sub hypochõdrio nato extractus. *Obs.58.*

DE ILIIS ET INGVINIBVS.

Vermes in apostemate inguinis visi.
Obs.59.

Car-

Carcinodes, ut credebatur, ulcus mulieri cuidã, circa inguina, cum horribili putri lagine & fœtore crurisq; tumore ædematoso subortũ: cũ rectè curatũ crederetur, metastasi quadã paulo post in altero inguine recrudescens, ægram subito sustulit. Obs. 60.

In apostematibus inguinis & illi calculi ovi & castaneæ magnitudine nati. Obs. 61.

Virgini religiosæ ingens struma ad coxendicem enata. Obs. 62.

Strumarum, steatomatum, atheromatum, aliorumq; ex pituita abscessum historiæ, & cura prophilactica. Obs. 63.

Ganglium capitis magnitudine inguini dextro adnatum, cum tuberculo. Obs. 64.

Struma pondo sexaginta librarum coxæ innata. Obs. 65.

DE PEDE INTEGRO.

TRipedes & quadrupedes homines nati quidã. Obs. 66.

Sine pedibus nati. Obs. 67.

Monstrũ superna parte hominis effigie ad umbilicũ usq;, inferna syrenum caudam pedum loco referens. Obs. 68.

Monstrum pedibus caprinis. Obs. 69.

Monstrum sine pedibus natum, quorum loco cuspidem, ut & circa femora prominẽ-

tias habuit. Obs.70.

De pedis tumore quem Arabes Elephātiā appellant. Obs.71.

De Elephātia Avicennæ. Obs.72.

Magna surę ossis parte resecata, puella convaluit. Obs.73.

Claudius ex loco eminentiore cadens liberum recipit gressum. Obs.74.

Vtroq; pede claudus sustentaculis ligneis rependo quasi corpus de loco ad locum promovit. Obs.75.

DE FEMORE.

De femoris fractura articulo seu ossis capiti superiori propinqua. Obs.76.

Ex tumore in femore post puerperiū oborto, extractus lapis ovi gallinacei magnitudine. Obs.77.

Ex vulnere femoris claudicās, eadē parte denuo vulneratus restitutus est. Obs.78.

Historia femoris luxati & male restituti, unde perpetua claudicatio inducta: quā jā à multis annis occallescentem corrigere volens chirurgus, ægrum infami temeritate necavit. Obs.79.

Femori & tibiæ processus palmi longitudine agnati. Obs.80.

Ex intempestivo refrigerantium & ad-

ſtringentium in Eryſipelate uſu, ſcirrhus in femore obortus & curatus. Obſ. 81.

Femur, tibia & mola connata, eadem in ingentem tumorem producta. Obſ. 82.

DE GENVBVS.

STruma ingentis ponderis in genu obortã. Obſ. 83.

Calculus in abſceſſu aquoſo in genu inventus. Obſ. 84.

Duo poplitẽ flectentes tendones ex vulnere reſciſſi citra claudicationis noxã convaleſcente ægro. Obſ. 85.

Acus mulieris cujuſdam genu inſcie & per imprudentiam inſixa, graviſſima ſymtomata intulit. Obſ. 86.

Vtraq; mola, ſeu patellæ genuum perfractæ, ut ad uſum reſtitutæ. Obſ. 87.

DE CRVRIBVS.

DIfficultas motus cruris ex ſuppuratione orta in altera natẽ. Obſ. 88.

Malignæ vel inveteratæ ſcabiei in cruribus curatio. Obſ. 89.

Antiquatum ulcus cruris cum alijs ſymtomatis. Obſ. 90.

Admi-

Admirandum verruceſum in crure ulcus. *Obſ.* 91.

De Villico qui poſtridie phlebotomiæ onus geſtavit, et paulo poſt maculæ rubicundæ cum livore in cruribus eruperunt.

Obſ 92.

Eryſipelate in dextro crure laborantis hiſtoria: qua errores medicorum in curando detecti, & vera medendi ratio tradita.

Obſ. 93.

Cruris fiſtula cum oſſis corruptione curata. *Obſ.* 94.

Vomica in tibia oborta, mortua mulier.

Obſ 95

Morum caſtaneæ magnitudine cuidam in talo tibiæ enatum. *Obſ.* 96.

Calculus in ſteatomate cruris ovi magnitudine repertus. *Obſ.* 97.

Malignæ febris materia ad crus delata, ſyderationem ejuſdem intulit. *Obſ.* 98.

Ex vulnere cruris mortuus. *Obſ.* 99.

Fibula perfracta, & ex crure in totum ſubtracta, æger ita convaluit, ut poſtmodũ ſine ſcipione incedere valuerit. *Obſ.* 100

Dormiens & ex ſella procidens, utrasq; tibias perfregit. *Obſ.* 101.

Venæ in cruribus et abdomine prægrandes & distentæ visæ. *Obs.* 102.

In utroque crure velut à subjectis spinis punctiones sentiens mulier quædã. *Obs.* 103

DE PEDE.

Sine pedibus nati. *Obs.* 104

Ex tumore dextri pedis steatoma trium librarum cum floccis, pilis atq; unguis caninis extractum. *Obs.* 105.

Distorti pedis historia. *Obs.* 106

Pede offenso mortuus. *Obs.* 107.

Ex levi calcanei vulnere extinctus quidam. *Ob.* 108,

Inversis pedibus nati. *Obs.* 109.

DE PLANTIS ET DIGITIS PEDVM.

Plantæ pedis calor intolerabilis sola scarificatione & faciliore perspiratu levatus. *Obs.* 110.

Sphacelus intra triborium à digito pedis ad præcordia progressus. *Obs.* 111.

Sphacelus sine causa manifesta repente ægrum, sine febre & gravioribus symtomatis, è medio sustulit. *Obs.* 112.

Gan-

Gangrænam mortem adferre, si à digito pedis incæperit. *Obs.*113.
Gemursa novus morbus. *Obs.*114.
Pedis digitus major unico oße conſtans. *Obs.*115.
Ad perniones remedium rarum. *Obs.*116

DE ARTHRITIDE ET EIVS SPECIEBVS.

Podagram nonnunquã populariter graſſari: & contra Divini Hipp. ſententiam etiam pueros, eunuchos, virgines & mulieres ea corripi, velut animalia nonnulla. *Obſ.* 117.
Nova de Arthritidis cauſa, eiuſdemq; loco affecto, & generationis modo ſententia. *Obs.*118.
Ejuſdem authoris ſententiæ aſſertio, ratione & experimento ſtabilita. *Obſ.*119.
De Aegritudine quæ dicitur Nakir, ſeu de flatu furioſo in ambitu corporis. *Obs.*119.
Arthritidis ſpecies quædam univerſalis Menapijs, alijsque Rheni ac Moſæ accolis familiaris: tum quæ ejuſdem curandi ratio. *Obs.*120.

Materiam arthritidis occultæ malignitatis participem sape esse, atque horrendos terrificosq; paroxysmos excitare. Obs. 121.

Podagricorum membra exesa. Obs. 122.

Arthritidem ex plethora sæpe generari, & non ex catarrho capitis. Obs. 123.

Causæ & remedia ad dolores articulorũ ab intẽperie solitaria sine materia. Obs. 124

Cyprinorũ esu quidã quoties vellet podagram sibi provocabat. Obs. 125

Podagræ in varios morbos, & horum in hanc metastasis. Obs. 126

Quando in Arthritide & chiragra metuenda mors. Obs. 127.

Podagra sua sponte ægrum deserens. Obs. 128.

Divites Podagrici, luxu, delitijs atque otio affluentes; pauperes facti parco tenuique victu instituto, & laboribus corpus exercentes à podagra vindicati sunt. Obs. 129

Prophylactica adversus podagrã data. Obs. 130.

Vini abstinentia à podagra quidã tuti. Obs. 131.

Continentia venereorum à podagra sibi caventes quidam. Obs. 132.

Lac

Lac asininũ arthriticis salutare. Ob. 133.

Seri caprini usus ad podagram, recentiorum certa experientia comprobatus. Ob. 134

Ad podagram duo remedia magnis elogijs celebrata. Obs. 135.

Annuis purgationibus & venæ sectionibus, accedente competente victus ratione, quidam multis annis à podagra immunes. Obs. 136.

Ad podagram electuarium admirabile, dolores junctur arum subito & sine molestia solvens. Obs. 137

Podagricus quidam, materia ad stomachum conversa, prater omnium spem convaluit. Obs. 138

Ab Arthritide liberatorum, historiæ aliquot raræ & admirandæ. Obs. 139.

Ossium humanorũ ad podagrum ex Galeni sententia & recentiorum approbatione compertissimus usus. Obs. 140.

Vinaceorum vires & usus admirandus ad Ischiadem, podagram, articulorum tumores, omnisq; generis arthriticos dolores, memorabilibus historijs comprobatus. Obs. 141.

Pedes podagricus tritici acervo immer-

gens liberatus. *Obſ.*142.

Arthritici quidam nive aut aqua nivali vel alia frigida adiuti ſunt. *Obſ.*143.

Balneo ex juniperino ligno convaluere quidam articulari morbo obnoxÿ. *Obſ.*144.

Podagræ remedium ex vulgo petitum laudatiſsimum. *Obſ.*145.

Hiſt. podagrici fotu ſalis levati. *Obſ.*146

Acetum quomodo arthriticis conveniat. *Obſ.*147.

Intempeſtivo anodynorum adſtringentiũ atque repellentium uſu quidam arthritici aſthmatici facti ſtrangulatu perierunt, aut febribus, tremore totius corporis, ſenſuumq; ſtupore affecti ſunt. *Obſ.*148.

Curatio mira podagræ per fotus, ſudationes, & ſcarificationes. *Obſ.*149.

Arthritici hirudinum uſu reſtituti. *Obſ.*150.

Eſcharotica arthriticis pernicioſa. *Obſ.*151.

Phænigmo podagrico loco adhibito, ſeroſaque & tenui materia educta, æger convaluit. *Obſ.*152.

Per cauteria ſeu fontanellas vulgo dictas podagrici

podagrici aliquot multi restituti. Obs.153
Periapton, seu physicum ad podagram remedium. Obs.154.
De nodosa podagra curata in nobili Silesiaco. Obs.155.
Arthritis hæreditaria in Sebastiano à Dõmendorff in totum curata, ut nunquam postea rediret, etiamsi superstes annos 20. adhuc viveret. Obs.156.
Calculi sive lapides in podagricorum juncturis & extremitatibus nati. Obs.157.
Grandines emplastri vi ex ulceribus podagricorum eductæ. Obs.158.
Curatio tophorum natorũ in juncturis eorum qui morbo articulari excruciantur. Obs.159.
De Ischiade & Arthritide à siccitate. Obs.160.
De Ischiade à materia bilioſa. Obs.161.
Ischiadis locus affectus verus. Obs.162.
Phthisis Ischiadica seu tabes coxaria Hippocrati cuiusmodi. Obs.163.
Vulnere circa malleolum inflicto, & arteria dissecta, coxæ dolor levatus. Obs.164
Octodecim annis Ischiade afflictus, cauterio eandem exstirpavit, Obs.165.

Quotidianis vomitionibus ab Ischiade quidã vindicatus. *Obs.*166.

Mulier à partu ischiadica facta, unde ejusdem articuli luxationem, atq; inde perpetuam claudicationem incurrit. *Obs.*167.

Claudicãs ex ischiade sine luxatione curatus. *Obs.*168.

Ex ischiade decocto ligni cum dropace Pauli liberati. *Obs.*169

Ischiadis curatio probatis & familiaribus remedijs atq; historijs ostensa. *Obs.*170.

Repellentia coxendicum dolori minime cõvenire, præclaro exẽplo docetur. *Obs.*171.

Dolor coxæ fluxu hæmorrhoidum curatus. *Obs.*172.

DE CVTE.

Sine cute natus. *Obs.*173.

Pallio carneo amictus. *Obs.*174.

Quosdã visos, qui cutẽ instar animaliũ quorundã, vel circa pectus, vel alias corporis partes movere potuerunt. *Obs.*175.

Carnosam proprie dictam corporis cutis membranam post cuticulam & cutem veram tertiam male nonnullos cum musculis abdominis confundere. *Obs.*176.

Rubedo dextri lateris aliquoties animadversa in Moniali quadam. *Obs.*177

De universali furfuracea corporis affectione. *Obs.*178.

De Phthiriasis vulgaris causis, variæ eruditorum sententiæ. *Obs.*179.

Phthiriasis rara et horrenda species, qua pediculi universũ corpus infestant. *Ob.*180

Phthiriasis species alia fera dicta, nec satis à veteribus explicata. *Obs.*181.

De Syronibus Græcis medicis incognitis. *Obs.*182.

Pediculi in dorso sub cute inventi post vesiculas excitatas & incisas. *Obs.*183.

Pulicelli instar animalculum, Indis frequens, pedes & manus uiplurimum corripiens. *Obs.*184.

Pediculi alati, muscarum forma, intercutanei. *Obs.*185.

De Dracũculis Aethiopiæ & Indiæ proprijs, græcis, veluti Galeno, nominetenus cognitis. *Obs.*186.

Vermis intercutaneus alius à Dracunculo & superioribus, Alsabaravij & Abenzoaris interpretibus passio bovina à similitudine dictus. *Obs.*187.

Vermiculi, seu, ut alij volunt, pili infantium et puerorum musculosas brachiorum,

surarum, atq; tergi partes infestantes, veteribus incogniti. *Obs.*188.
Ricini in hominibus animadversi. *Obs.*189
Pilosi toto corpore. *Obs.*190.

DE BICORPORIBVS GEMELlis multifariam connatis: & aliis toto corpore monstrosis.

Gemelli unico capite conjuncti. *Obs.*191.
Gemellæ virgines adversis frontib. cohærentes. *Obs.*192.
Gemellæ virgines inferiore maxilla & pectoribus connatæ. *Obs.*193.
Gemini pectoribus connati. *Obs.*194.
Historiæ aliquot memorabiles Gemellorum connatorum: quorum alter acephalus collum circa imum pectus aut ventrem alterius insertũ habens, propendere visus est. *Obs.*195.
Gemelli pectore et vẽtre cõnexi. *Obs.*196
Gemini ventribus cohærentes. *Obs.*197
Gemelli umbilico connati. *Obs.*198.
Gemini lateribus connati. *Obs.*199.
Gemelli dorso coniuncti. *Obs.*200
Bicorpora tergoribus cõnata: quorũ anticũ hominis, posticũ canis forma. *Obs.*201.

Mon-

Mõſtra bicipitia & gemina ſuperna corporis parte: inferna ſimplicia. Obſ.202.

Monſtra ſuperno corporis trunco ſimplicia ſeu unicorpora: at inferna parte duplicia ſeu bicorpora. Obs.203.

Bicipitia mõſtra, quæ una vel manibus, aut pedibus, vel utrisq; ſimul monſtroſe cõformata fuerunt. Obſ.204.

Bicorpora multifariam interſe confuſa. Obſ.205.

Toto quidã corpore, aut plerisq; ſui partibus monſtroſi viſi. Obſ 206

DE TVMORIBVS PRÆTER NATVRAM.

Boa cuiuſmodi morbus. Obſ.207.

De abſceſſu ſpirituoſo dicto, raro evenire ſolito. Obſ.208.

Melicera pro carbunculo judicata. Obſ.209.

Acrochordones & verrucas aliquando ſua ſponte citra medicamentorum uſum evaneſcere, at contagio minime vacare. Obs.210.

Aneuriſmatis exempla illuſtria. Obſ.211

Monſtroſa in abſceſſibus viſa. Obſ. 212.

Septicũ ad diſſecandam cutem carnẽq; ſine dolore admirabile, quo abſceſſ⁹ pforari.

& membra brevi tempore fere ſine dolore cauterio affici queant. Obſ. 213.

Carbunculus quo tempore Italiæ novus morbus. Obſ. 214.

Puer ſphacelo correptus, mutilatis mẽbris omnibus, periit. Obſ. 215.

Gangrenæ à frigore excitatæ hiſtoria mira. Obſ. 216.

Gangræna ſeu corruptio partiũ extremarum, amputatione earundem curata. Obſ. 217.

Gangrænæ & ſphaceli curandorum leges, illuſtri hiſtoria demonſtratæ. Obſ. 218.

Gangræna & necroſis ad febrem inveteratam conſecuta citra dolorem, livorem, tumorem. Obſ. 219.

Carnes cuidam ab oſſibus diſcedentes. Obſ. 220.

In junctura rum amputatione ut os contegatur diligenter obſervandum. Obſ. 221.

De nova remediorum forma ad compeſcenda ſanguinis poſt amputatum membrũ profluvia, diſcrepantes ſententiæ. Obſ. 222.

Nova alia extremarũ partium amputandarum ratio, citra ſerræ uſum. Obſ. 223.

Extremarum partium frigore prope enectarum curatio mira. Obſ. 224.

VLcus ex vulnere illato curatũ. Obſ. 225

Vulneratis ſanguinis profuſionẽ quãdoque prodeſſe. Obſ. 226.

Vermes in vulneribus, ulceribus, & abſceſſibus nati. Obſ. 227.

Mirę vulnerum obſervationes atque curationes, dum in eo conflictu, qui ad Divi Ægidij pagum die 27. ſeptembr. habitus eſt ſub annum reſtitutæ ſalutis 1562. vulnerati cæſique multi eſſent: & qui eorum gravibus acceptis vulneribus curati ſint, dum victi ſeſe in Arelatem urbem reciperent, ſummaque charitate à civibus eſſent accepti. Obſ. 228.

Curandorum ſclopetorum vulnerum ratio, memorabilib⁹ hiſtoriis oſtẽſa. Ob. 229

Tela & plumbeas glandes interdum diu in corpore deliteſcere, etiã perſanato vulnere. Obſ. 230.

Tela & glandes ſæpe, ubi multo tempore in corpore delituerunt, tandem per abſceſſus in varijs corporis partibus obortos eximi, aut per alvum excerni. Obſ. 231

Lamina ferrea annis 14. intra claviculam impacta latens, tandem excitato tumore

more, eoque suppurato extrahitur, ægro superstite. Obs. 232.

Loricarum curcili in corpore per vulnera cõsolidata delitescentes, Ferinis thermis educti. Obs. 233.

In educendis è sclopetorum vulneribus globulis, æger eodem quo ictus est situ constituendus. Obs. 234.

Vulneratis aliquot partibus æger restitutus. Obs. 235.

Communem causam, quæ ab aëre pestilentia infecto sumitur, sæpe impedire vulnerum et ulcerum curationem. Obs. 236.

Acetum non sistere sed ciere fluxiones, vulneribus inditum. Obs. 237.

Prodigiosa vulnerum ratio. Obs. 238.

Rarum & novum compertissimi usus remedium, spatio 24. horarum vulnera etiã nervosarum partium conglutinãs. Obs. 239

DE FRACTVRIS ET OSSIBVS.

Incurvatio & fractura ossis portentosa. Obs. 240.

Ossa fracta, cõtra veterum sententiam, novo remedio, citra inflammationem, aut prava symtomata, aliquando intra quinq; dies ferruminata. Obs. 241.

Con-

Conferua vis mira ad ossa fracta ferruminanda, memorabili & veteri exemplo illustrata. Obs.242.

Puella à primo ortu tam laxa habẽs vincula, ut articuli in oẽs partes versari posset. Obs.243.

De prægnãte quæ peperit infantẽ sine osse coagulato à cubito usque ad humerum, qui infans egregie curatus fuit. Obs.244.

Ossa quorundam morbi vi mollia & flexibilia evasisse. Obs.245.

Articulorum, ligamentorum atque ossium prope omnium luxatio & corruptio in puero visa. Obs.246.

Ossa quibusdã concreta & medullis destituta. Obs.247.

Os coxendicis, ut & alia quoq; ossa suppurationem quandoq; sustinere. Obs.248.

Vniuersi corporis sceleton, uno osse continuo constans. Obs.249.

ERRA-

Errata.

PAg.5. lin caſtro.15.15.brachij.16.11.ſevi.19. 8.reſpondet. 20.6.dolore.22. 7. hæſerat. 42.22. lateraliter.52.17.erupta.53.16. univerſſã.17.cervicis.56.11.luxata 61.9.exercẽdis.74. 12. βραγχέκηλα.76.21 principum.80.27. digerendos. 81.5.cerro. 82.13. Thyerrio.88.19. extenuatis.89.25 partium.91.8.depre- 97. 4. deligationes. 103. 12.tendones. 115. 21.curata 122.10.prẽgrãdes.123.13.caninis.125.3.Evẽ.126 16.Evembolorũ.127.3.Aufidi⁹. 138.24. doloris.146.6.exiccare. 156.10.cõmemoratis.162. 24.omneque.163.3.otio 165.26.heminis.166. 10.accedẽdũ.195.1.thalaſſicum.197.16.acetũ. 201.5.cive Tricaſſino.202. 20. anguſto.207. 19.innitatur.209.26.derat 209.21.teſtudinis 211. 22.etiã.216.12.die.220.8 humorũ *lege* horũ.224 18 eſſentiam.22.arthritidis 225.1.articulos occupante.242.10.exercitia. 272 9.infeſtat.274.26.opinionẽ. 307.10.Beuteri.310. 6.hominis. 14.Anno Domini 854. 311.25.a iq iod 312.24.Cracovię 330.4.ca.12.Ingraſſiã. 333.2.miſer.339.15.ſpiciatur. 343. 1. ſurpatam. 21 preſcriptio. 358.5.junctus.363.19.ſurditas, *ejuſdem paginæ lineas tres ultimas dele.* 368.29 nigred.

ſumma bonitate & ſapientia.

Quid verò ſecundus articulus.

Et in Ieſum Chriſtum filium eius?

Commonſtrat ſecundam in Deitate perſonam, Ieſum Chriſtum ſcilicet Filium Dei naturalem, vnicum illum, ab æterno genitum, & Patri conſubſtantialem Dominum & Redemptorem noſtrum, vt qui

Matt. 16. Coloſſ. Hebr. 1. Pſalm. 2. & 109.